cisol Apps. 1925

J W Stanbridge

J W Stanbridge

CORNELII TACITI

OPERA.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTA ET EMENDATA
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATA

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALVS
PROFESSOR BONNENSIS.

VOLVMEN TERTIVM.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
J. G. SCHMITZ: COLONIAE. T. O. WEIGEL: LIPSIAE.

CORNELII TACITI

HISTORIAE.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTAE ET EMENDATAE
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATAE

OPERA

FRANCISCI RITTERI.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
J. G. SCHMITZ: COLONIAE. T. O. WEIGEL: LIPSIAE.

BONNAE, FORMIS CAROLI GEORGII.

CORNELII TACITI
HISTORIARVM
LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—11: prooemium Historiarum. Scribendi causa definitur et propositum (1) ac summa rerum hoc opere tradendarum exponitur (2—3), mox repetitur qualis status urbis (4—7), quae mens exercituum, quis habitus provinciarum Servio Galba iterum Tito Vinio consulibus (8—11).

Cap. 12—49: imperatoris Galbae postrema. Seditio legionum e superiore Germania nuntiata maturavit consilium Galbae iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Praelatus ceteris Piso Licinianus (12—14). Galbae ad hunc oratio et exhortatio (15—16), Pisonis moderatus animus (17). Adoptio in castris nuncupata apud militem donativum cupide et frustra expectantem, tum apud patres (18—19). Legati missi ad seditiosas in Germania legiones. Proxima pecuniae cura; Neronis donationes repetitae, et urbs inquieta auctionibus (20). Othonis post adoptatum Pisonem desperatio et omne in turbido consilium, stimulatus in praeceps a mathematicis et intimis libertorum servorumque. Studia militum iam ante prompta Othoni et quaesita (21—24). Is e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit (25). Etiam legionum et auxiliorum quae tunc in urbe motae mentes; parata apud malos seditio, apud integros dissimulata (26). Otho ex Palatio et a sacrificante Galba digressus a consciis in castra rapitur et princeps declaratur (27—28). Quo nuntio ad Galbam perlato placuit pertentari animum cohortis quae in Palatio stationem agebat; Pisonis ad eam oratio (29—30). Cohors non aspernata contionantem parat signa: ceteri milites ad Othonem deficiunt (31). Interim plebs adulatur Galbae, qui incertus manendumne intra domum an iratis obviam eundum (32—33). Galba speciosiora suadentibus accessit. Piso in castra praemissus, quo vix egresso vagus rumor occisum in castris Othonem, et Galba sella levatus ex Palatio progreditur (34—35). Haud dubiae in castris omnium mentes et ingens favor erga Othonem, qui oratione militem stimulat (36—38). Galba a

suis desertus trucidatur ab Othonianis (39—41), tum Titus Vinius et Piso (42—43). Studia militum in novum principem, adulatio patrum (44—45). Omnia militum arbitrio acta. Vacationum pretia exoluta ab Othone. Interfectus Laco, item Icelus (46). Novissimum malorum laetitia; Othoni a senatu omnes principum honores decreti. Corpora caesorum sepulturae conceduntur (47). Extrema de Pisone et Vinio (48), de Galba (49).

Cap. 50—90: Vitellii in Germania defectio et belli civilis apparatus. In urbe animorum motus audita defectione Germanica (50). Initia causaeque motus Vitelliani (51—58). Vitellio a Germanicis legionibus in imperium ascito adiungitur Gallia Belgica et Lugdunensis, etiam Raeticae copiae, nec in Britannia dubitatum (59—60). Vitellius viribus opibusque ingens duos duces, duo itinera bello destinat. Fabius Valens per Gallias sumpto itinere Cottianis Alpibus in Italiam irrumpere, Caecina propiore transitu Peninis degredi iussus. Illi non sine plurimo sanguine et praeda ad Alpes perveniunt et Caecina suum militem traducit (61—69). Otho contra spem omnium belli paratus impigre providet, cuncta ad decorem imperii componit. Celso salutem donat et inter duces belli deligit, Sophonium Tigellinum supplicio ulciscitur (71—72), sed Galvia Crispinilla meritas poenas subterfugit (73). Epistolae inter Othonem et Vitellium, stulta utrimque et indecora simulatione, et alia tentata pacis causa (74—75). Illyrici exercitus Othonis partes secuti, mox Iudaicae et Syriae legiones, etiam Aegyptus et Africa (76). In urbe res ordinatae ab Othone, externis nova iura concessa, nonnulla Romae indecore admissa (77—78). Rhoxolani qui ad Moesiam irruperant caesi aut repulsi in paludes (79). Romae tumultus militum senatores ad caedem deposcentium a principe aegre sedatur (80—84). Ibi tamen plena omnia suspicionum et patres prae ceteris anxii; augent trepidationem prodigia diversis auctoribus vulgata (85—86). Otho Narbonensem Galliam aggredi statuit classe valida et partibus fida. Duces equitum peditumque copiis delecti (87). Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, alios fidei suspectos expedire secum Otho iubet (88). Iam vulgus sentire coepit belli mala. Otho adversus Vitellium profectus quietem urbis curasque fratri Salvio Titiano permisit (89—90).

Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius **1**
consules erunt. Nam post conditam urbem octingentos et

Nullus titulus in M^a^. 1. *michi* M^a^. *Servius* et *Titus* omnibus litteris M^a^. *uinius* M^a^, *Iunius* G et alii. 2. *octingentos et viginti* M^a^: *DCCC. et .XX.* G, ubi priori numero *tos* ascriptum est; Beroaldus *DCC. et .XX.*, Puteolanus *ducentos et uiginti*.

Cap. 1. *Initium mihi operis:* ad iustam rerum gestarum enarrationem c. 12 accedit: quae praemissa leguntur, in iis primum qui

viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate: postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere;

3. *potentiam* M[a]: *potestatem* BG.

res populi Romani libera civitate composuerunt, comparantur cum iis qui post pugnam apud Actium commissam facta moresque Caesarum tradiderunt (c. 1), tum summa rerum exponitur, his libris narratarum ab altero Galbae consulatu usque ad caedem Domitiani (c. 2—3), postremo paucis supra repetitur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit (c. 4—11). Cf. Prooemii nostri cap. 8 et 9 et 14.

Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt: consulatum inchoaverunt kalend. Ianuariis a. 822 ab urbe sive 69 a Christo nato; c. 11 extr. Gruteri inscript. p. 189 3, Muratorii t. I p. 307 5. Ceterum Tacitus nomen abstractum quod vocamus evitaturus non scripsit *alter Servii Galbae et Titi Vinii consulatus*, sed ipsis hominibus pro dignitate eorum positis dedit *Servius Galba iterum Titus Vinius consules*. Simile hoc est ei loquendi generi quod notavi ad III 13. Ante consul Galba fuerat a. 786 = 33 principe Tiberio: VI 15 et 20. Sueton. Galb. 6.

pari eloquentia ac libertate: haec non dicuntur de toto octingentorum viginti annorum spatio, sed de eo tempore quod verbis *dum res populi Romani memorabantur* definitum est. *Rebus populi Romani* oppositae cogitantur *res unius*, ad quem post pugnam Actiacam omnem potentiam deferri pacis interfuit.

omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit: potentia quae nominata est a *potente* statum et conditionem potentis indicat, quae ab eius persona disiungi nequit quaeque cum potente ipsa extinguitur. Potestas autem quae dicta est a *potesse* significat auctoritatem externam, qua qui ornatus est, quamvis natura sua imbecillus, ceteris praecellit. Ea hominis praestantia mutabilis est et ad tempus duratura, ipsa autem cum persona potentis non simul desinit cessatque, sed legibus definita ad quemcumque alium deferri potest. Quapropter tribuniciam *potestatem* ac praetoriam consularemque dicimus, tribunicia autem *potentia* non dicitur neque praetoria consularisve, quod eae dignitates potentium personis non obnoxiae sunt. Iam principis Romani imperium quatenus a senatu confertur, *potestas* est, sed idem dum nascebatur, cum non una aliqua potestas, sed plures iunctae et accumulatae essent, quas unus ad se traxit legibus et institutis maiorum omissis vel contemptis, *potentia* (*Machtfülle*, *gebietender Einfluss*) fuit. Hinc Tacitus de Arminio, cuius potentia saltem in rebus bellicis similis erat principali Romanorum, II 88: *septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit.* Idem VI 20: *quem* (Galbam Tiberius) — *in hanc sententiam adlocutus est, 'et tu, Galba, quandoque degustabis imperium', seram ac brevem potentiam significans.* III 69: *satis onerum principibus, satis etiam potentiae.* H. I 13: *potentia principatus divisa in Titum Vinium consulem ac Cornelium Laconem praetorii praefectum.*

simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile averseris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis neque amore

4. *fensos* Mª: G *infensos*. 5. *aduerseris* GMª: correxit Muretus. *libor* Mª, *liuor* G. 6. *faedum* Mª. 7. *michi* Mª.

simul veritas pluribus modis infracta: ut verba *magna illa ingenia cessere* contrarium eius quod erat *pari eloquentia* continent, sic quae iam sequuntur opposita sunt libertati eorum scriptorum qui res populi Romani veritatis amantes memorarunt. Verbum *infracta* apte respondet *pluribus modis*: *modi* enim proprie sunt varietates vocum (*Melodien*), qui ubi vim suam et nobilitatem amiserunt, fracti esse sive *infracti* dicuntur. Utrumque tamen, et *modis* et *infracta*, translate h. l. positum est. *inter infensos vel obnoxios* (*unter Erbitterten oder Befangenen*): quemadmodum scriptores rerum duabus partibus assentantium aut odio indulgentium modo discreti sunt, sic ceteri quoque homines partim infensi erant principibus partim eis obstricti praemiis atque beneficiis, ut liberum animi iudicium neque ipsi proferre neque ab alio pronuntiatum tolerare possent.

ambitionem scriptoris facile averseris: verbum *aversari*, h. e. averso animo accipere, scribis minus cognitum et hoc loco et aliis *adversari* scriptum est: sed *ambitionem scriptoris adversari* soloecismus est non ferendus, et *adversari* tertio casu iungitur, non quarto. Formam non corruptam Mª servavit H. III 25, codex Perizonianus in O. 20.

principatum divi Nervae et imperium Traiani: Nerva ut *princeps* maxime excelluisse visus est, Traianus ut *imperator*. Copiosius explicui ad Agr. c. 3. *uberiorem securioremque materiam:* securiorem materiam Nervae principatus et Traiani imperium praebere videbantur scribenti, propterea quod a veritate non facile aberrare poterat. Nam cum praecedentium principum res aut libidine assentandi aut odio adversus dominantes compositae essent, magna novo scriptori cautione opus erat ut verum traderet: sed partium studio et odio iam sopito facilius erat verum explorare. Alii, ut Waltherus, *securiorem* intelligunt de nullis aerumnis e publicis malis oriundis et a scriptore tolerandis, sed hoc et longe petitum et parum ex ingenio Taciti dictum videtur. Aperte haec respiciunt priora, quae sine odio et amore referre difficile esse professus erat. Ceterum de consilio Taciti dictum in Prooemio c. 9.

Cap. 2. *atrox proeliis*: Orellius per Historias fere semper formam *praelium* tacite exhibuit, sed idem testatus est in M priore plerumque et perpaucis exceptis locis

quisquam et sine odio dicendus est. Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet.

2 Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Quattuor principes ferro interempti. Trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Prosperae in Oriente, adversae in Occidente res. Turbatum Illyricum; Galliae nutantes; perdomita Britannia et statim missa; coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes; nobilitatus cladibus mutuis Dacus; mota

5. *opimum* ACR: *opibus* M[a], *plenum* G. 6. *ipsa* GM[a], *in ipsa* A. *saevom* M[a]. 8. *prospere* M[a]. *orientes* M[a], *oriente* G. *occidente returbatum* M[a]: correctum inest G. 9. *perdomita britanniae* M[a], *per domita britania* G. 10. *cohorte* M[a] cum ceteris: *coortae* Muretus. 11. *sueborum* M[a]. *mota etiam prope etiam* M[a]: correctum in G.

scribi *proelium*. Hunc testem antiquiorem et minus corruptum in eo nomine ubique secutus sum.

quattuor principes ferro interempti: caesi sunt Galba, Otho, et is quidem sua manu, Vitellius, Domitianus; fato obiere Vespasianus et Titus. Piso item caesus nondum *princeps* fuit sed *Caesar*.

trina bella civilia: Vitellii in Othonem, Vespasiani in Vitellium, L. Antonii, superioris Germaniae praesidis, in Domitianum. *Trina*, non *tria*, recte se habet, quod singula bella a duabus quodque partibus gerebantur. De postremo bello civili cf. Sueton. Domit. 6. Dio LXVII 11. Plutarch. Aemil. Paul. 25. Victor in Epitoma c. 11.

turbatum Illyricum: v. H. II 85 sqq. *Galliae nutantes:* H. IV 12 sqq. 54 sqq.

perdomita Britannia et statim missa: Britanniam h. l. intelligit non modo eam quae proprie dicitur, sed etiam Caledoniam. Perdomita Britannia est a Iulio Agricola Taciti socero, principe Domitiano: Agr. 10, 29 — 40. Sed Caledonia recens subacta mox omissa neque posthac imperio reddita est. Spartiani Hadrian. 5 et 11. Dio LXXII 8. Eutrop. VIII 19. Victor in Epitoma c. 20. Itaque *missa* scribens respicit proximum et contrarium verbum *perdomita*.

coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes: Sueton. Domit. 6: *expeditiones — suscepit — unam in Sarmatas, legione cum legato simul caesa.* Cf. Eutrop. VII 23. De Suevis Dio LXVII 5: *ἐν τῇ Μυσίᾳ* (h. e. *Moesia*) *Λύγιοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες πρέσβεις ἔπεμψαν, αἰτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομετιανοῦ, καὶ ἔλαβον οὐ τῷ πλήθει ἰσχυρὰν ἀλλὰ τῷ ἀξιώματι· ἑκατὸν γὰρ ἱππεῖς μόνον αὐτοῖς ἐδόθησαν. ἀγανακτήσαντες δ' ἐπὶ τούτῳ οἱ Σούηβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ προπαρεσκευάζοντο ὡς καὶ μετ' αὐτῶν τὸν Ἴστρον διαβησόμενοι.* Suevi illi sunt quos Drusus Caesar Danubium ultra inter flumina Marum et Cusum locaverat; v. II 63, XII 29 et 30. H. III 5. Sarmatarum latrocinia H. I 79 tradita Tacitus verbis illis *coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes* non designavit.

nobilitatus cladibus mutuis Da-

prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. Iam vero Italia novis cladibus vel post longam seculorum seriem repetitis adflicta. Haustae aut obrutae urbes, usta fecundissima Campaniae ora. Et urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso. Pollutae caerimoniae, magna adulteria. Plenum exiliis mare, infecti caedibus scopuli. Atrocius in urbe saevitum. Nobilitas opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium. Nec minus praemia delatorum in-

3. *affl.* Or. *usta* insertum ab editore. 7. *infecta* M[a]: G *infecti*. *ced.* M[a].

cus: Sueton. Domit. 6: *in Dacos duas* (expeditiones suscepit), *primam Oppio Sabino consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco praefecto cohortium praetorianarum, cui belli summam commiserat. De Chattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit.* Cf. Agricol. 41. Dio LXVII 6, LXVIII 9. Eutrop. VII 23. Oros. VII 10. Quae in superstitibus Historiarum libris de Dacis referuntur (III 46, IV 54), non pertinent ad clades mutuas quibus nobilitatus est Dacus.

falsi Neronis ludibrio: est ille qui anno 841 = 88 viginti post Neronis excessum annis apud Parthos extitit. Sueton. Neron. 57. Lactant. de Mort. persec. cap. 2. Alius mentionem fecit Tacitus II. II 8, alium sub Tito emergentem Zonaras XI 18 nominavit.

haustae aut obrutae urbes, usta fecundissima Campaniae ora: qui vocem aliquam in codicibus deesse statuere mecum noluerit, ei tres loci expediendi rationes restabunt, ut aut iungat *Haustae aut obrutae urbes, fecundissima Campaniae ora. Et urbs*, ut fecit Bekkerus, aut *Haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora. Et urbs* aut *Haustae aut obrutae urbes. Fecundissima Campaniae ora et urbs* cet. De omnibus ordine dicam. Si iungatur *Haustae aut obrutae urbes, fecundissima Campaniae ora*, ut *fecund. C. ora* in appositione sit, id sane nimium est et veritati non consentaneum, Campaniae oram *haustam esse aut obrutam*. Accedit quod ipsa appositio iners est et sinistre allata, quippe *haustae aut obrutae urbes* sunt ipsius Campaniae civitates. Sin legamus, ut ipse olim feci, *Haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora. Et urbs*, cur Tacitus ambiguitatis evitandae causa praepositionem *in* non adiecerit, vix unquam satis explicare poterimus; dein *Et urbs* post *urbes Campaniae* pessime infertur. Postremo si distinguamus, ut in veteribus exemplis et apud Waltherum, *Haustae aut obrutae urbes: fecundissima Campaniae ora et urbs* tota loci concinnitas corrumpitur. Nam quae cohaerent *haustae aut obrutae urbes* atque *Campaniae ora* divelluntur, quae non cohaerent, Campaniae ora *montis* incendio vastata et urbs civium manibus aut casu incensa, coniunguntur. Omnino per se constare quae de urbe Roma dicuntur, id et decet et ex additis illis *consumptis — incenso* satis manifesto intelligitur. Iam si Tacitus scripsit, ut ego conieci, *Haustae aut obrutae urbes, usta fecundissima Campaniae ora. Et urbs*, ac si *ustam* montis Vesuvii incendiis oram Campaniae

visa quam scelera, cum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent verterent cuncta odio et terrore. Corrupti in dominos servi, in patronos liberti; et quibus deerat inimicus, per amicos
3 oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile seculum ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinqui audentes, constantes generi; contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates [ipsa ne-

5. *steriles* M[a], *sterile* G. 6. *comitate* M[a]. 7. *audientes* GM[a], a correctore *obedientes* in M[a]: correxit Lipsius. 8. *constates* M[a]. 9. *sup̄mae* M[a].

intelligimus, omnia aperta sunt. Tum enim quod sequitur *Et urbs incendiis vastata* praeclare respondet praecedenti *usta fecundissima C. ora*. Fecunditas orae memoratur, ut quantum damni illa montis incendia attulerint, admoneamur. Simul *obrutae urbes* adiectis quae sequuntur *usta fecundissima Campaniae ora* certius definiuntur. Simplex *urere* pro *comburere* posuit XV 44. Agr. 2. De conflagratione Vesuvii et clade pulcherrimarum terrarum, quae accidit a. 79=832 v. Dio LXVI 21. Plin. Epist. VI 16 et 20. Sueton. Tit. 8. Victor in Epitom. c. 10. Oros. VII 9. De urbis incendiis Sueton. l. c. Dio LXV 17, LXVI 24. Plutarch. Poplicol. 15. Partem incendiorum ipse descripsit hic noster H. III 71.

pollutae caerimoniae: incesta Vestalium virginum; v. Sueton. Domit. 8. Plin. Epist. IV 11. Dio LXVII 3. Philostr. VII 3. Stat. Silv. I 1 35.

magna adulteria: prae ceteris intelligit adulterium a Domitiano cum Iulia fratris filia commissum; v. Sueton. Domit. 22. Dio LXVII 3. Plinii Epist. IV 11. Iuvenal. II 29—33.

scopuli: significat insulas exiguas et scopulis horridas, ut Gyarum et Donusam (III 68 et 69, IV 30), Cercinam et Pandatariam, in quas exules gravi poena damnati mittebantur, saepe immisso clam interfectore trucidabantur. Cf. I 6 et 53, XIV 63—64. H. I 46.

procurationes alii et interiorem potentiam: alii delatores res Caesaris in provinciis administrabant (*procuratores*), alii consiliis artibusque in domo principali plurimum valebant *interiorem potentiam* nacti.

odio et terrore: odio sui apud cives, *terrore* quem his incutiebant. Theodisce converte: *während andere zu Procurator-Stellen und innerem Einfluss gelangt, alles in Bewegung setzten und stürzten unter Hass und Schrecken. Verterent* dictum pro *everterent*, ut XII 45 ubi v. annot.

corrupti in dominos servi — oppressi: haec mala Domitiano principe libere grassantia sustulit Traianus, ob id iure laudatus a Plinio in Paneg. 42.

Cap. 3. *supremae clarorum virorum necessitates* (*letzte Nothstunden* sive *Todesnöthen berühmter Männer*): h. e. mortes claris viris indictae et toleratae. *Necessitas* vel *supremae necessitates* idem hoc denotant XI 37 *Lepida — supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta;* XV 61: *intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret;* XVI 11: *uti necessitate*. H. I 72: *su-*

cessitas fortiter tolerata] et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Praeter multiplices rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta tristia, ambigua manifesta. Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

4 Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. Finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita

2. *pare* M^a: G *pares*. *humarum* M^a: G *humanarum*. 4. *tristitia* M^a: correctum in G. *umquam* M^a. 5. *magis vetustis* GM^a: tacite correxit Rhenanus. 6. *de* in versus fine M^a: G *deis*.

premae necessitatis nuntio. Aliud est XIII 1: *Narcissus — aspera custodia et necessitate extrema* (subtractis alimentis) *ad mortem agitur*; aliud etiam XV 57: *in tanta necessitate* (*in so grosser Bedrängniss*).

ipsa necessitas fortiter tolerata: ecce turpis et alienus vel in limine operis pannus fortiter revellendus. Nam cum Tacitus posuisset haec *supremae clarorum virorum necessitates*, ipse continuo, ut quas dixerit necessitates declararet, adiecit *et laudatis antiquorum mortibus pares exitus*, quo enuntiato significavit has clarorum virorum necessitates animi constantia non minus insignes fuisse quam mortes Catonis Uticensis, Gai Cassii, Marci Bruti, aliorum. Quid igitur interturbant haec *ipsa necessitas fortiter tolerata?* Scilicet a glossatore addita sunt, et primo supra versum vel in margine veteris exempli ascripta, ut iis explicarentur verba *laudatis antiquorum mortibus pares exitus*, unde mox in contextum irrepserunt. Sed quoniam explicare volunt quae et melius et aptius ab ipso auctore explicantur totamque sententiam ita pessumdant, ut iam eorundem verborum binas explicationes legamus, haud dubie obelo notanda sunt. Solent interpolatores in iis quae addunt vocabulis auctorum suorum uti, idque ipsum hoc loco usu venit. Qui *necessitates* summas rerum angustias et *ipsam necessitatem* vitae exitum intelligunt, primum hoc non vident, priore loco propter additum *clarorum virorum* multitudinis numero opus fuisse, dein Tacito lusum verborum obtrudunt ipso indignum, denique sic supervacanea illa sunt *et laudatis — exitus*. Ernestius loci difficultatem interpolando tollere conatus est et coniecit *supremae clarorum virorum necessitates fortiter toleratae*, quod quamvis minime probandum sit, praeferendum tamen desperatis et contortis explicationibus, quibus male sarta quocumque modo defenduntur. Omnino Tacitus in operis edendi argumento (c. 2 et 3) non nisi maxime necessaria ponit, nedum verba tam inania adiecerit.

varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi.
5 Miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum sub nomine Galbae promis-

3. *evolg*. Or. 4. *laetius usurpatā statim libertatē* M^{a}: correctum in G ubi *leti*. 6. *integrā* M^{a}, *integra* G. 8. *suetas* M^{a}, G *sueta*. 10. *mesti* M^{a}. 11. *inb*. M^{a}. 12. *inp*. M^{a}. 13. *donativum* M^{a}, non *donativom*.

non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem: mente vere Christiana Lipsius de *impio* hoc dicto disputat, sed idem tamen Cornelio suo iniuriam facit, propterea quod monere omisit, pie dicta haec accipi posse et accipienda esse: scilicet di eos ulciscuntur poenisque persequuntur atque iis securitatem adimunt, qui poenam meruerunt: tales autem plerosque Romanos eius temporis cuius res Tacitus tradidit fuisse, id ex hoc ipso opere patet. Cf. H. II 38: *eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere*; praecipue H. III 72: *nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis*.

Cap. 4. *qui plerumque fortuiti sunt*: haec sententia per se sola si spectatur, falsa est: sed Tacitus cum dicit casus eventusque rerum plerumque fortuitos esse, eos intellexit qui aliter evenerunt ac provisum erat ab hominibus futura prospicientibus et ratione moderari cupientibus. Vera auctoris sententia et ex oppositis *sed ratio etiam causaeque* manifesta est, et ex significatu quo vocem *fortuitus* alias posuit. Nam *fortuitum* dixit ubique id quod nulla ratione hominum accidit; v. H. I 86: *a fortuitis vel naturalibus causis*. H. II 60: *pleraque fortuita fraudi suae adsignantes*. Sic *fortunae* opponitur *ratio* H. III 59. Adde XIV 3, XV 36 et 48.

primores equitum: sunt illi quibus *inlustribus* nomen erat; v. ad II 59. Mox *pars populi integra* prae ceteris *tribus* fuerunt, quemadmodum *plebs sordida*, h. e. nulla re familiari instructa, quae frumento publico aleretur, circo theatrisque unice delectaretur. Conf. annot. ad H. III 58.

Cap. 5. *arte magis et impulsu*: arte et impulsu Nymphidii et Tigellini, qui tunc erant cohortibus praetoriis praefecti, miles urbanus ad destituendum Neronem traductus erat; v. Plutarch. Galb. 2; conf. Tacit. H. I 72. Idem Nymphidius *donativum* ingens sub nomine Gal-

sum, neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum, praeventamque gratiam intellegit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini praefecti imperium sibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam, atque ita quattuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia principum amarent quam olim virtutes

6. *sed* Rhenanus: M^a^ *et.* 7. *conscentia* M^a^, *conscietia* G. 9. *angebat a* (in versus fine) *aspernantes* M^a^.

bae promiserat; v. Plut. l. c. Sueton. Galb. 16.

scelere insuper Nymphidii — agitatur: hoc scelus et caedem Nymphidii Sabini copiose executus est Plutarchus in Galba c. 8—9 et 13—14. Cf. Sueton. Galb. 11. *Agitatur* praesente historico positum idem valet quod *agitatus est,* quod non monerem, nisi et Gronovium haesisse et Waltherum falsa dubitationis Gronovianae expediendae ratione usum esse viderem.

avaritiam Galbae: v. Sueton. Galb. 12. Dio LXIV 2.

legi a se militem: non emi: Sueton. Galb. 16: *subinde iactavit legere se militem, non emere consuesse.* Dio LXIV 3. Plut. Galb. 18. Ipsi Galbae *anceps* haec vox erat, quod pecuniam militibus haud concessam aliis viis dissipari patiebatur. Per v. *cetera* significat ceteram imperii rationem statim explicatam.

Cap. 6. *Titus Vinius et Cornelius Laco:* Sueton. Galb. 14: *regebatur trium arbitrio —. Hi erant Titus Vinius, legatus eius in Hispania, cupiditatis immensae; Cornelius Laco, ex assessore praefectus praetorio, adrogantia socordiaque intolerabilis; libertus Icelus, paulo ante anulis aureis et Marciani cognomine ornatus ac iam summae equestris gradus candidatus.* Conf. ibid. 22. Tacit. H. I 13. Plut. l. c. 7 et 10 et 12 et 16 et 29. Dio LXIV 2. Ceterum translatae orationis *invalidum senem — odio flagitiorum oneratum contemptu inertiae destruebant* imago sumpta est ab aedificio vetere, cui nimium pondus superimpositum, quodque sublatis singulis trabibus et lapidibus postremo destruitur. Conf. IV 18: *destrui per haec fortunam suam Caesar — rebatur.*

Cingonio Varrone — Petronio Turpiliano: cf. Plut. l. c. 14 et 15 et 17. Taciti de utroque locos index hist. monstrabit. *hic ut dux Neronis:* Turpilianum in Britannia legatum Neronis fuisse (Tacit. XIV 39) monet Orellius: verum id Tacitus nunc non respexit, cum scripsit verba *ut dux Neronis,* neque legatio illa crimini Turpiliano verti poterat. Immo Nero Turpilianum, sibi gratissimum (XV 72), adversus Vindicem et Galbam ducem destinaverat praeponendum militibus undecumque contractis.

introitus in urbem: v. c. 31. Sueton. Galb. 12: *cum classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes atque*

verebantur. Accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. Nec enim ad hanc
6 formam cetera erant. Invalidum senem Titus Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum contemptu inertiae destruebant. Tardum Galbae iter et cruentum, interfectis Cingonio Varrone consule designato et Petronio Turpiliano consulari: ille ut Nymphidii socius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefensi tamquam innocentes perierant. Introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus omine, atque ipsis etiam qui occiderant formidolosus. Inducta legione Hispanica,

6. *ciconio barrone* M[a], *ciconio uarrone* G: e Vatic. correxit Lipsius. 8. *nimphydi* M[a]. 10. *homine* M[a]. 11. *legiones* M[a], G *legione*. *Hispanica* editor: codices *Hispana*.

insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes non modo immisso equite disiecit, sed decimavit etiam. Dio LXIV 3, ubi tamen aut Dionis aut Xiphilini epitomatoris errore δορυφόροι (praetoriani) Νέρωνος, non ἐρέται (classiarii), memorantur. Dionis errorem primus notavit Reimarus ad l. c. Scilicet auctor a vero seductus est similibus Traiani imperatoris et Septimii Severi exemplis, qui praetoriarum cohortium insolentiam et delicta gravibus poenis castigaverant. Aliter erravit Plutarchus in Galba ubi refert de classiariis ab hoc trucidatis c. 15: οὗτοι δ' ἦσαν οὓς εἰς ἓν τάγμα (in legionem) ὁ Νέρων συλλοχίσας ἀπέφηνε στρατιώτας. Namque non legio (prima Adiutrix) a Nerone ex classiariis composita a Galba honore suo privata est aut trucidata, immo in seditionibus et bellis quae mox exarserunt, haec praecipua gloria egit (v. Taciti H. I 31 et 36, II 11 et 23—26 et 43 et 86, III 13 et 43). Galba autem commilitones eorum, h. e. reliquam multitudinem e classe accitam, a Nerone nondum in legionem ordinatos, sed tamen pro classiariis iustos milites iam declaratos, ad pontem Mulvium trucidavit, reliquos in custodiam dedit: v. H. I 31 et 87, II 11. Admonendi sunt lectores Historiarum Taciti, ne legionem primam Adiutricem a Nerone conscriptam neque a successoribus sublatam commiscere velint cum legione prima (Minervia) ex Germania a Vitellio tunc in Italiam missa aut cum prima Italica a Vitellianis ex castris Lugdunensibus deducta. Prima Adiutrix semper adversa partibus Vitellii primum fida Othoni fuit, mox ad Flavianos transgressa est; v. Ind. hist. Dio cum primam Adiutricem in Pannonia a Galba collocatam refert LV 24, aut erravit aut quod decretum erat a Galba tamquam factum narravit.

inducta legione Hispanica: Hispana, ut vulgo legitur, *legio* foret ex Hispanis composita; sed talis neque tunc erat neque extitit unquam. Immo dicit legionem civium Romanorum ex Hispaniae Tarraconensis hibernaculis in urbem cum Galba profectam, hoc est *Hispanicam*, quemadmodum alibi dicuntur *Germanicae*, *Moesicae*, *Illyricae*, *Britannicae*, *Raeticae*, *Macedonicae*, *Italicae*. Cf. annot.

remanente ea quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito. Multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata.
Forte congruerat ut Clodii Macri et Fontei Capitonis caedes 7
nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem Trebonius Garutianus procurator iussu Galbae, Capitonem in Germania, cum similia coeptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. Fuere qui crederent Capitonem ut avaritia et libidine foedum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse; sed a legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint,

2. *brittannia* Mª. 3. *illirico* Mª. 5. *caepti* Mª, *ceptis* G. 6. *audienti* Mª: G *audenti*. 7. *fontei* GMª: v. Prooem. p. LV. 9. *Garutianus* Mª: *G garucianus*. 10. *caept.* Mª. 12. *faedum* Mª. 14. *inp.* Mª.

ad cap. 8. Quae cum ita se habeant, nulla dubitatio quin media syllaba (Hispanica) in Mediceo neglecta et inde a ceteris omissa sit. Illa legio sexta erat: H. V 16 et H. III 44, IV 68 extr.

Cap. 7. *Clodii Macri et Fontei Capitonis caedes:* Sueton. Galb. 11. Plut. 15. Dio LXIV 2. Hic noster H. IV 48 et 49, unde accepimus Clodium fuisse legatum praetorium legionis in Africa. Propraetor Africae a recentioribus viris doctis non recte appellatur.

avaritia et libidine foedum ac maculosum: nomina foedum ac maculosum (*σιιγματίαν*) infimum avaritiae libidinisque exercendae genus denotant, et *maculosus* eum designat qui abiectae libidini gravibusque flagitiis obnoxius tenetur. Sic Caecina Valentem (H. II 30) irridet *foedum ac maculosum* et Valens stupra et adulteria cupide sectatus est (H. I 66, III 41). Lucius Vitellius H. III 38 *omni dedecore maculosus* nominatur, idemque H. III 77 *infamis*, h. e. libidine pessumdatus, appellatur. Quamobrem cum Cilices deferunt Cossutianum Capitonem (XIII 33) *maculosum foedumque, et idem ius audaciae in provincia ratum quod in urbe exercuerat*, obiectant avaritiae libidinisque flagitia foede admissa.

crimen ac dolum: h. e. crimen doli a Capitone concepti, ut crimen ex persona accusantium, doli nomen de accusato et punito dictum sit.

tamquam apud senem festinantes: tamquam ad ea quae servi sentirent spectat: nam *ut* cogitationem dicentis scribentisve indicat, *tamquam* ad ea quae alii cogitant sentiuntque plerumque refertur. H. I 6: *tamquam innocentes perierant;* mox c. 8: *tamquam suum crimen accipiebant;* c. 16: *ceteri tamquam cum facto loquebantur;* c. 37: *nunc et subiectos nos habuit tamquam suos et viles ut alienos* (quia alieni sumus);

crimen ac dolum ultro compositum; et Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque caedes sinistre accepta; et inviso semel principe, seu bene seu male facta premunt. Iam adferebant venalia cuncta praepotentes liberti; servorum manus subitis avidae et tamquam apud senem festinantes; eademque novae aulae mala aeque gravia, non aeque excusata. Ipsa aetas Galbae inrisui ac fastidio
erat adsuetis iuventae Neronis et imperatores forma ac decore
8 corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. Et hic quidem
Romae, tamquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Galliae, super memoriam Vindicis, obligatae recenti dono Romanae civitatis et in po-

4. *principi* M[a]: G *principe. principi — facta parem invidiam afferebant. Venalia* Bezzenberger. 5. *p̄munt* M[a], sed syllaba *munt* clare legi nequit: *p̄mūt* G. 10. *volgi* Or. v. Prooem. p. LIV. 11. *fit* M[a], non *sit*, ut visum est Iac. Gronovio. 14. *dn̄o* G: M[a] *domino* in rasura sex litterarum; *dono* Puteolanus.

46: *Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur;* 48: *probro respersus est tamquam scyphum aureum — furatus.* III 12: *differrique etiam per externos tamquam veneno interceptus esset;* VI 43: *primo tamquam dolus pararetur, territus;* 48: *Domitius defensionem meditans, Marsus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam;* XVI 13: *equitum senatorumque interitus — minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent;* 20: *agitur in exilium, tamquam non siluisset quae viderat.* Interdum tamen ab *ut* comparante particula vix discrepat, velut Agr. 32: *deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt.*

Cap. 8. *tamquam in tanta multitudine:* hac admonitione sententiam suam auctor ita definit, ut habitum animorum qualem modo descripserat, in universum illo tempore se iudice in urbe obtinuisse dicat, multosque fuisse significat, qui aut diversa animis suis volverent aut nulla cura rem publicam amplecterentur (*soweit die so grosse Masse eine Bestimmung erlaubt*). Si scripsisset *ut in tanta multitudine*, hanc admonitionem ad accuratam formam praecedentis descriptionis rettulisset (*wie natürlich bei einer so grossen Masse*).

pacis artibus: libere loquitur et nomine substantivo tamquam adiectivo utitur, idem quod est *civilibus artibus* dicturus. De viro dictum ad XIII 20.

recenti dono Romanae civitatis: 'quomodo recenti? et nonne iam pridem Galli isti comati id adepti a Claudio? Clarum id e Tacito A. XI 23. Sed expedio. Olim quidem ius civium adepti, non tamen promiscue, sed proceres tantum. Caute ibi et circumspecte Tacitus: *primores Galliae*, inquit, *quae Comata appellatur*, idque mihi notes.' Lipsius. Vid. ad XI 23, XV 32. Plutarch. Galb. 18: *ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πρατ-*

sterum tributi levamento. Proximae tamen Romanis exercitibus Galliarum civitates non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriae, et metu tamquam alias partes fovissent. Tarde a Nerone desciverant; nec statim pro Galba Verginius. An imperare voluisset, dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat. Fonteium Capitonem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio per simulationem amicitiae; quem non remitti atque etiam reum esse tamquam suum crimen accipiebant. Supe- 9
rior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate, ne quieto quidem milite regimen: adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germa-

1. *proxime* M^a. *Romanis* pr G et Harl. et les.: M^a et alii *Germanis.* 3. *sua* M^a: correctum in G. 4. *Germanici* Rhenanus: libri *Germani.* 6. *metus* M^a: correctum in G. 7. *uergenius* M^a. 8. *noluisset* M^a: *uoluisset* G. 11. *uergenio* M^a.

τόμενα διαβολὴν εἶχεν. ὡς τὰ πρὸς τοὺς Γαλάτας Οὐΐνδικι συναραμένους. ἐδόκουν γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνούμενοι παρ' Οὐινίου τυγχάνειν ἀνέσεώς τε δασμῶν καὶ πολιτείας. De *tributi in posterum levamento* v. H. I 51, de Vindice Prooem. p. XXIII sq.

proximae tamen Romanis exercitibus Galliarum civitates: dicit Treviros et Lingonas (conf. infra c. 51 et 53 et 57 et 63 et 64), non etiam Germaniam superiorem et inferiorem, quae non vere nominarentur Galliarum civitates. *Romanos* exercitus dicit legiones Germaniae superioris et inferioris, qui cives Romani. Hanc vero scripturam commendant non modo libri qui *Romanis* exhibent, sed etiam ii in quibus est *Germanis*, leviter corruptum pro *Romanis.* Nam ipsa forma *Germanis* non apta est; alqui ex *Germanis* facere *Romanis* non violentius est quam scribere *Germanicis*, quo alioqui opus esset: sed hoc ipsum nunc quidem vitavit, quia etiamnum in Gallia versatur, nondum ad Germanias accessit.

Germanici exercitus: quamquam omissa media syllaba in GM^a et Oxoniensibus non *Germanici* sed *Germani* legitur, prius tamen quin verum sit dubitari nequit. Legiones enim in duabus Germaniis Romanae *Germanici* sunt exercitus, contra Germani exercitus copiae Germanorum, ut recte monuit Waltherus. Sic I 22 *a Germanico exercitu*, 26 *Germanici exercitus fidem*, 31 *Germanicae legiones*, 46 *legionum Germanicarum motu*, II 39 *ad Germanicos exercitus*, H. I 14 *post nuntios Germanicae seditionis*, 74 *ad utrumque Germanicum exercitum*, ibidem *nomine Ger-*

niae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae Aulus Vitellius aderat, censoris Vitellii ac ter consulis filius: id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum: non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus innocentius egerunt, seu quia procul et Oceano divisae, seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. Quies et Illyrico, quamquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. Sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur. Oriens adhuc immotus. Syriam et quattuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. Insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat; mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus tam prope ab exule fuit quam postea

2. *A.* M[a]. 3. *brittannico* M[a]. 4. *omne* M[a]. 7. *excite* M[a]. 11. *inm.* M[a]. 13. *atteritis* M[a]. 15. *asyae* M[a].

manici exercitus, 77 *exercitui Germanico delenimentum,* II. II 23 *vim Germanici exercitus,* 58 *Germanici exercitus fama*, 75 *Germanici exercitus robur*, 80 *Germanicas legiones.* H. III 13 *Germanici exercitus gloriam,* 26 *Germanicus miles. Germanus* exercitus sunt milites Germanorum, veluti H. I 61 *Germanorum auxilia,* H. II 22 *cohortes Germanorum,* 35 *Germani nando praelabebantur*, 93 *Germanorum Gallorumque — corpora,* H. III 15 *ingens Germanorum vis.* Perinde miles Romanus in Pannonia *Pannonicus* (H. II 8, III 24), Britanniae miles Romanus sive legionarius *Britannicus* (H. I 9 et 61, III 22 et 41), Moesiae *Moesicus* (H. II 44 et 86, III 11 et 18), Iudaeae *Iudaicus* (H. I 76, II 79), Syriae *Syriacus* (H. II 80), Dalmatiae *Dalmaticus* (H. II 86) vocatur.

an imperare — imperium conveniebat: de Verginio Rufo, viro insigni et claro, praeter Taciti locos in indice notatos v. Dio LXIII 24 et 25 et 27, LXIV 4. Plutarch. Galb. 6 et 10. Plin. Epist. II 1, VI 10, IX 19. Quod mox additur, Verginium *reum fuisse,* id non stricte accipiendum, sed de clandestinis et irritis amicorum Galbae in Verginium criminationibus et de honore homini meritissimo denegato intelligendum est.

Cap. 9. *superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat:* eum pro Verginio per simulationem amicitiae abducto Galba Germaniae superioris legatum miserat; v. Plut. Galb. 10.

Aulus Vitellius aderat: Sueton. Vitell. 7: *a Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est.* Additum est *id satis videbatur* ad notandam socordiam Galbae et amicorum incuriam. Quippe nobilitatem originis sufficere putabant ubi virtute opus erat. Friget Lipsii coniectura *id fatis videbatur.*

Cap. 10. *in secretum Asiae*

a principe. Luxuria industria, comitate adrogantia, malis bonisque artibus mixtus. Nimiae voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnae virtutes. Palam laudares: secreta male audiebant. Sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis inlecebris potens; et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. Bellum Iudaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus: quippe Titum filium ad venerationem cultumque eius

5. *ill.* Or. 6. *iudaei cum* Mª. 7. *āministrabat* Mª.

repositus: in eadem re Tacitus alibi *seponere* et *sepositus* delegit, ut c. 13: *in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit* (Othonem Nero); 46: *tamquam in insulam seponeretur*; 88: *sepositus Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem.* IV 44: *hunc seposuit Augustus in civitatem Massiliensem.* Sed in his locis verbum *seponere* notionem occultandi tenet, quae cum in loco, de quo nunc loquimur, verbis *in secretum Asiae* expressa sit, Acidalii coniectura *sepositus* facile supersedere poterimus. Quemadmodum Otho legationis nomine in Lusitaniam, sic Mucianus in Lyciam amotus est: Plinius N. H. XII 5: *Licinius Mucianus ter consul et nuper provinciae eius* (Lyciae) *legatus.*

quotiens expedierat: ex verbo opposito *cum vacaret* significatus huius nove admissi intelligitur: etenim *expedierat* est *in expeditionem ierat.* Bis in Historiis idem sibi sumpsit, I 88 *secum expedire*, II 99 *expedire ad bellum*: in ceteris operibus hoc non invenitur.

palam laudares: etiam hoc loco vis adverbii ex opposita voce *secreta* apparet; *palam* idem est quod τὰ ἐμφανῶς.

ducem eum Nero delegerat: Suetonius Vespas. 4. *suo loco memorabimus*: H. II 1. *occulta fati — credidimus*: duplex obiectum suspensum ex verbo *credidimus*, alterum accusativus *occulta fati*, alterum accusativus cum infinitivo *imperium destinatum* (*esse*). Structuram non perspexit qui in codice G interpolavit *occulta lege fati.*

Cap. 11. *Aegyptum copiasque quibus coërceretur*: coercebatur duabus legionibus imperante Tiberio (IV 5), parique numero his temporibus, ut colligitur ex H. II 76 c *Iudaea et Syria et Aegypto novem legiones integrae*: nam in Syria quattuor tunc erant, in Iudaea tres. Idem hoc ex H. V 1, ubi memorantur *duoetvicesimani et tertiani* Alexandriam adducti, iuste concludi nequit, ut suo loco commonstratum est.

provinciam — annonae fecundam — domi retinere: ipsa Italia cum incolis nimium referta, ager eius villis magnificis, immensis hortorum spatiis, lacubus artificiose structis, nemoribus aliisque luxuriae operibus magnam partem occupatus esset, indigebat frumenti copia ex aliis terris ac praecipue Aegypto transmittendi, de quo queritur Tiberius III 54. Cf. XII 43. H. III 8 et 48. Copiae igitur ex Aegypto portandae ne seditione domestica arcerentur ab Italia, haec provincia arto imperio tenebatur, ac tenebatur ab equitibus Romanis, modicae dignitatis hominibus, ne si consulares aut praetorii tanto imperio fungerentur, hi superbire ac praescripta et reverentiam prin-

miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta fati, et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium, post fortunam credidimus.
11 Aegyptum copiasque, quibus coërceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum: ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander, eiusdem nationis. Africa [ac legiones in ea] interfecto Clodio Macro, contenta

1. *fati* Mᵃ: *lege fati* G. 3. *egiptum* Mᵃ. 5. *difficile* et 7. *ignara* Mᵃ: utrumque correctum in G.

cipis contemnere atque exuere auderent. Cf. II 59 cum annotatione. *Domi* valet in ipsa Aegypto. Aegyptus a praefectis equestribus perinde ut olim a regibus suis administrabatur, dum ceterae provinciae magistratuum Romanorum potestate coërcentur: scilicet proconsules et propraetores nomine et auctoritate consulis vel praetoris Romani agunt. Cf. XII 60: *divus Augustus apud equestres qui Aegypto praesiderent lege agi, decretaque eorum perinde haberi iusserat ac si magistratus Romani constituissent.* Nomen *domi* falso interpretatur Waltherus 'apud domum principis.'

Tiberius Alexander: filius eius Alexandri qui *Alabarches*, h. e. praefectus vectigalium, Alexandriae fuerat, olim principe Claudio Iudaeae procurator. Iosephus A. XX 5 2: *ἦλθε δὲ Φάδῳ Τιβέριος Ἀλέξανδρος διάδοχος, Ἀλεξάνδρου παῖς, τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γένει τε καὶ πλούτῳ πρωτεύσαντος τῶν ἐκεῖ καθ' αὐτόν, ὃς διήνεγκε καὶ τῇ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ τοῦ παιδὸς Ἀλεξάνδρου· τοῖς γὰρ πατρίοις οὐκ ἐνέμενεν οὗτος ἔθεσιν* Tiberio in Iudaea Cumanus procurator successerat octavo anno principatus Claudii, referente Iosepho eodem loco et B. Iud. II 11 6, ipse Nerone imperante Corbulonem adversus Tiridaten et Vologesen secutus est a. 63, *minister bello datus* (Tacit. XV 28), mox Aegypto praepositus. Exutis sacris Iudaeorum in ordinem equitum illustrium (cf. Tacit. l. c.) a Claudio, puto, ascitus erat.

ac legiones in ea: haec verba pro suppositiciis accipio: nam Africam una legione tunc cohibitam esse ex H. II 97 et H. IV 48 liquet, neque contrarium probat Annalium IV 5, ut ostensum in annotatione. *Legiones* igitur manifesto scribentis vitio nominantur. Quod sequitur *contenta* non minus glossam prodit: ea enim si tenetur, debet esse *contentae*, scriptura non ex libris profecta sed interpolata a Puteolano. Tertium indicium glossae peritis, sed his solis, praebebunt verba *in ea*, non ad morem Taciti addita. Qui haec in margine vel supra versum codicis ἀρχετύπου scripsit, respexit initium capitis 10 (*Syriam et quattuor legiones*) atque 11 (*Aegyptum copiasque quibus coërceretur*), similitudinem quaerens, dum verus auctor varietati studet Opponitur ab Orellio memorari a Tacito cohortes a Clodio Macro in Africa delectas (H. II 97), sed cohortes illae sociales erant ex Afris lectae, quibus quamquam Clodius impe-

qualicumque principe post experimentum domini minoris. Duae Mauritaniae, Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciae atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Servius Galba iterum Titus Vinius consules inchoavere annum sibi ultimum, rei publicae prope supremum.

Paucis post kalendas Ianuarias diebus Pompei Propinqui 12
procuratoris e Belgica litterae adferuntur, superioris Germaniae legiones rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare, et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbae iam pridem de adoptione secum et cum

2. *retia* Mª. 4. *faborem* Mª. 5. *provinciae* Mª, non Victorii *provintiae*. 6. *exposita* GMª, *expositae* R. *p̄tium* Mª. *cessura* Mª: correctum in G et Oxoniensibus. 9. *sup̄mum* Mª. 10. *Kl.* cum lin. transversa in litt. *l* Mª. *pompei* GMª. 13. *arbitrio* superscr. *ū* litterae o Mª.

rium affectans nomen *legionis* concesserat, ut colligi inde potest, quod in nummis Clodii Macri ab *Akermano* editis (*Descriptive Catalogue of rare and unedited Roman Coins.* London 1834. II voll. 8) p. 167 sq. ter legio I *Macriana Liberatrix*, quinquies *Liberatrix Augusta Legio III* nominatur, inde tamen nihil praesidii vindicandis his Taciti verbis (*ac legiones in ea*) peti potest. Nimirum *cohortes* illas a Clodio scriptas, sive mavis cum ipso *legionem* nominare, Galba dimiserat, ut tradit Tacitus H. II 97, et nunc status provinciarum describitur qui fuit Galba et Vinio consulibus, cum in Africa una legio fuit et copiae extra ordinem ante delectae iam dimissae erant.

duae Mauritaniae: Caesariensis et Tingitana. Mauri enim post regem Ptolemaeum a Gaio Caesare sublatum imperio Romano subiecti, mox a Claudio in duas provincias divisi et duobus procuratoribus traditi sunt. Plinius V 1: *principio terrarum Mauritaniae appellantur, usque ad Gaium Caesarem Germanici filium regna, saevitia eius in duas divisae provincias.* Postrema in nimia brevitate non satis accurate scripta sunt. Dio in actis anni 42 a Chr. LX 9: *ὁ Κλαύδιος διχῇ τοὺς Μαύρους ὑπηκόους ἔνειμεν, ἔς τε τὰ περὶ Τίγγιν καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ᾽ ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται, καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσιν προσέταξε.* Conf. annot. ad IV 5.

Cap. 12. *Pompei Propinqui procuratoris:* res Caesaris apud Belgas administrabat et simul minorem et inermem provinciam Galliam Belgicam cohibebat; cf. ad I 80. Galbae partibus fidus a Vitellianis mox occiditur: H. I 58.

proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa iam aetate Galbae. Paucis iudicium aut rei publicae amor: multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in Titi Vinii odium, qui in dies quanto potentior, eodem auctu invisior erat. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat, cum apud infirmum et credulum minore metu et maiore praemio peccaretur.

13 Potentia principatus divisa in Titum Vinium consulem, Cornelium Laconem praetorii praefectum. Nec minor gratia Icelo Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. Hi discordes, et rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro Marco Othone: Laco

4. *rei.p.* M^a^. *multi stulta* liber Covarruviae et Budensis: *militis tulta* M^a^, *multi occulta* G. 5. *ambitionis* GM^a^: correctum in A et a Lipsio. 6. *in titi uinio diū* M^a^. 7. *auctu* Lectius Lipsii amicus: M^a^ et ceteri *actu*. 11. *Cornelium* M^a^: *et Cornelium* G. 12. *icaelo* M^a^, mox *Icelus*. 13. *M.* M^a^.

ambitiosis rumoribus: *ambitiosi rumores* sunt quibus qui spargebant gratiam amicorum vel patronorum, quos ad summum fastigium destinabant, quaesiverunt. Qui cum nullo iudicio vel indignissimos homines rumoribus ferrent et adoptandos designarent, *stultam spem* suam prodiderunt.

etiam in Titi Vinii — eodem auctu invisior erat: aberratio exigua *actu* pro *aucto* ex scriptura codicis ἀρχετύπου (ACTV pro AVCTV) nata, et eodem modo saepius in M et M^a^ peccatum. Cf. H. IV 28: *at Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat.* Ibidem 63: *transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque.* Subest imago fluminis ripas egredientis. Traditam scripturam *actu* qui student tueri, locos non similes ex aliis scriptoribus excitant, in his Orellius qui *actum* pro insolita agendi ratione (*Treiben*) accepit. Quod praecedit *in Titi Vinii odium* falso interpretatur Waltherus 'ut odium suum in Titum Vinium explerent et satiarent.' Immo est 'ut Titi Vinii odium, h. e. adversus T. Vinium, oriretur', et accusativus rem efficiendam denotat. *Odium* perinde positum cap. 6 *odio flagitiorum.* Vinium autem odiosum reddebant, dum hominem huic amicum et gratum sed eundem indignum tali fastigio destinant, aut Othonem aut alium huic similem. Noli cogitare de odio destinantium ita exercito ut Vinium in adoptandis praeterirent: nam Vinius adoptionem ipse non ambiebat, ut clarum ex c. 13.

Cap. 13. *potentia principatus divisa:* v. ad c. 6. Statim pro vulgata *et Cornelium* ex M^a^ recepi ἀσύνδετον *Cornelium*, ut ante me Doederlinius. Qui desiderabit coniunctionem, *ac* potius quam *et*

atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant quam alium. Neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur. Credo et rei publicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. Namque Otho pueritiam incuriose, adulescentiam petulanter egerat, gratus Neroni aemulatione luxus. Eoque iam Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur. Mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho comiter administrata provincia primus in partes transgressus, nec segnis et, donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat, faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis ut similem. Sed Galba post nuntios Germanicae se- 14

1. *consensũ* M^a: G *consensu*. 2. *titi uini* M^a. 3. *nichil* M^a. 4. *caeleps* M^a. 5. *rei.p.* M^a. 8. *poppe* M^a. *principalẽ* M^a. 10. *Octaviam uxorem* M^a, *Octavia uxor* BG. *poppea* M^a. 11. *provincia* M^a: G *prouinciã*. 14. *indie* M^a, non Furiae *in diem*.

interponat: nam *a* littera a proxima vocis *consulem* syllaba hauriri *c* a subsequente *c* nominis *Cornelium* oblitterari facile potuit. De Icelo v. annot. ad c. 6.

eoque iam Poppaeam — deposuit: nunc breviter hanc rem absolvit, quam copiosius et diligentius executus est aliquanto post in Annalibus XIII 45 et 46; cf. annot. ad XIII 45. *in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit:* Sueton. Oth. 3: *sepositus est per causam legationis in Lusitaniam:* cf. annot. ad II. I 10. *primus in partes transgressus:* conf. Plutarchi Galba c. 20.

spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat: ad similitudinem flammae fomite conceptae raptaeque haec dicta sunt. Proprie Virgilius Aen. I 175: *suscepitque ignem foliis, atque arida circum nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.* De re Suetonius Oth. 5.

Cap. 14. *accersiri iubet:* formam pleniorem et minus usitatam elegit Tacitus, ab editoribus auctore I. Fr. Gronovio parum caute remotam et mutatam *arcessi.* Sed ab *accedere* verbi causativi forma tam *arcesso* quam *accerso* ducitur, et infinitivus verbi posterioris in passiva positione modo legem tertiae *συζυγίας* (*accersi*), modo quartae *accersiri* sequitur. Cf. Doederlinii Synonym. et Etymolog. t. III p. 281 et Forcellinii lexicon in Germania editum. Etiam prior Mediceus formam *accerso* tuetur IV 29, alter infra c. 38. De Rubellio Plauto v. Ind. hist.

Piso Marco Crasso et Scribonia genitus: parentes Pisonis Claudius necavit (minus recte Plutarchus in Galb. 23 necis auctorem Neronem tradit), item fratrem eius

ditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit; adhibitoque super Vinium ac Laconem Mario Celso consule designato ac Ducenio Gemino praefecto urbis, pauca praefatus de sua senectute, Pisonem Licinianum accersiri iubet, seu propria electione sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide ut ignotum fovebat, et prospera de Pisone fama consilio eius fidem addiderat. Piso Marco Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. Ea pars morum eius quo suspectior
15 sollicitis, adoptanti placebat. Igitur Galba, adprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur. 'Si te privatus lege

1. *nichil* M^a^. 2. *quona* M^a^. 4. *transsigit* M^a^. 5. *Ducenio* M^a^: *ducennio* G cf. 15 18. 6. *accersiri* GM^a^: *accersi* Muretus, *arcessi* I. Fr. Gronovius. 10. *M.* M^a^. 11. *rollu* Or. 12. *extimatione* M^a^: correxit Beroaldus. *interp̄tantibus* M^a^. 14. *adp̄hensa* M^a^.

Magnum: Crassum fratrem Nero sustulit; v. Senecae Apocolocyntos. c. 11: *Gaius Caesar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic* (Claudius) *nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Tristioniam, Assarionem, nobiles tamen: Crassum* (patrem Pisonis et Magni) *vero tam fatuum, ut etiam regnare posset.* De hoc et Scribonia paulo post: *quandoquidem divus Claudius occidit — socerum filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similem sibi quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiae suae* cet. De Crasso fratre Pisonis a Nerone sublato Plin. Epist. I 5, ubi Metius Carus haec: '*quid tibi cum meis mortuis? numquid ego aut Crasso aut Camerino molestus sum?*' *quos ille* (Regulus) *sub Nerone accusaverat.* Adde Tacit. H. I 48: *fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant.* Parentum fratrumque caedem et exilium ipsius (v. c. 21 et 38) respiciens paulo post (c. 15) Galba dicit: *fortunam adhuc tantum adversam tulisti.* Frater Crassus sub Nerone consul fuit a. 64 = 817; caedem eius in deperdita Annalium parte Tacitus narravit.

Cap. 15. *in hunc modum locutus fertur:* unam hanc, quae in vita Caesaris mox perituri superest, orationis habendae occasionem Tacitus negligere noluit, ut Galbae mores luculentius depingere posset. Perite hominem induxit, qui in civitate Stoicorum egregie imperaturus esset, sed corruptos sui temporis homines coërcere auctoritate et legibus non posset. Hinc pleraque de adoptione sua, alia de virtutibus aut vitiis eorum qui summa adipiscuntur vel adepti sunt, coram filio adoptato monuisse Galba contentus est: non exposuit quid praesens rerum status postularet, quid sibi et Pisoni firmando imperio et sedandis militum animis faciendum esset. Quippe

curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Gnaei Pompei et Marci Crassi subolem in penates meos adsciscere, et tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse. Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara indoles tua et amor patriae impulit ut principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in re publica, non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae. Est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea aetas tua, quae cupiditates adulescentiae iam effugerit; ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia mi-

1. *michi* M[a]. 2. *Gnaei* Freinshemius qui tamen scripsit *Cnaei:* M[a] et ceteri *nunc.* *pompei* GM[a], non *Pompeii.* *M.* M[a]. 11. *re.p.* M[a]. 13. *sit* GM[a] (pro *sīt*, h. e. *sint*): e Vatic. correxit Lipsius. 15. *est* G: M[a] *et.* 16. *etas* M[a]. 17. *nichil* M[a]. *pret.* M[a].

haec senex invalidus et iners ipse ignoravit.

privatus lege curiata apud pontifices: lex *curiata* est quam curiae sanxerunt (*ein Beschluss der Curien*). Ipsae autem Curiae in hac re neque convenerunt neque legem acceperunt, sed pontifices ad triginta lictores, qui antiqui iuris usurpandi causa curiarum munere speciose fungebantur, de re ipsis probata rettulerunt et sententiam eorum quasi exploraverunt; v. Cicero in Rull. II 12, pro Domo 14. Gellius V 19. Id fiebat, si quis arrogabatur. Gellius l. c: *adrogantur ii qui, cum sui iuris sunt* (is Piso erat, non filius familias), *in alienam sese potestatem tradunt, eiusque rei ipsi auctores fiunt. Sed adrogationes non temere nec inexplorate committuntur: nam comitia arbitris pontificibus praebentur, quae curiata appellantur.* Formula arrogationis sic conscripta et sancita *lex curiata* appellata est. Galba hoc iure se non teneri dicit, cum summus imperator et pontifex maximus suo arbitrio filium arrogare et successorem quaerere possit. Augustus contra summae potestatis speciem evitaturus more solito filios adoptavit: Suetonius Aug. 65. Mox pro *adoptarem* accuratius Galba diceret *adrogarem:* nam adoptantur qui alieni iuris sunt (v. Gell. l. c.), sed idem etiam in arrogatione potest adhiberi.

seriae tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem libertatem amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis, sed alii per obsequium imminuent. Inrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri adfectus venenum, sua cuique utilitas. Et iam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: adsentatio erga quemcumque principem sine adfectu peragitur.
16 Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano posset quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem. Sub Tiberio et Gaio et Claudio unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi coepimus. Et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum; et si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem

2. *praecipuā* M[a]. 3. *inrumpet* M[a]: *irrumpent* G cum aliis. 4. *aff.* Or. 5. *et iam ego* Puteolanus: *etiam ego* GM[a]. 6. *caeteri* M[a]. 9. *inm.* M[a]. 10. *res.p.* M[a]. 11. *ia* M[a]. – 12. *posset* GM[a]: *possit* tacite Rhenanus. 15. *elegi cepimus* M[a]. 16. *quenque* M[a]. 18. *extimatur* GM[a]: correxit Beroaldus.

mihi egregium erat: cf. Ann. I 42 *mirum et indignum erat*, et quod ibi monitum est; mox c. 16 *dignus eram*.

deorum hominumque consensu: Sueton. in Galba 10: *per idem fere tempus in munitione oppidi quod sedem bello delegerat, repertus est anulus opere antiquo, sculptura gemmae Victoriam cum tropaeo exprimente. Ac subinde Alexandrina navis Dertosam adpulit, armis onusta, sine gubernatore, sine nauta ac vectore ullo, ut nemini dubium esset iustum piumque et faventibus dis bellum suscipi.* Adde ibid c. 11. Dio apud Xiphil. LXIV 1. Plut. Galb. 5 et 10.

qui sororis filium Marcellum — fastigio collocavit: accuratius haec Tacitus executus est in Annalibus I 3. *frater:* Scribonianus Crassus; v. H. I 47, IV 39.

Cap. 16. *conferre plus — posset*: *posset* ex GM[a] receptum et fortasse in ceteris quoque codicibus obvium rem tamquam factam narrat, *possit*, ut Rhenanus interpolavit, de re praesente sententiam pronuntiat. *nec ultra aestimatur:* in filio imperatoris nulla aestimatio, nullum examen (*und ferner findet keine Prüfung statt*), sed talis sponte succedere solet. Mox *consensu* est consentiente populi voce.

longa Caesarum serie tumentem non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt; neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia, quamvis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, si duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi; et audita adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum obicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius neque temporis huius, et impletum est omne consilium, si te bene elegi. Utilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare quid aut volueris sub alio principe aut nolueris. Neque enim hic, ut gentibus quae regnantur, certa dominorum domus et ceteri servi: sed imperaturus es hominibus qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem.' Et Galba quidem haec ac talia, tamquam principem faceret, ceteri tamquam cum facto loquebantur. Pisonem ferunt statim intuentibus, et mox 17

1. *seriae* M^a. 3. *depulerunt* (per compendium) M^a, non Furiae *depulereunt*: *depulere* G. 9. *michi* M^a. 12. *utilissimus bonarum* (non Furiae *bonorum*) *idem ac brevissimus bonarum* M^a. 13. *dilectus* M^a: G *delectus* *quid a* (in versus fine) *aut* M^a. 15. *caeteri* M^a.

non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione: veteres scriptores non definiunt, cui Galliarum provinciae Vindex praepositus fuerit. Apud Dionem LXIII 22 legimus ὃς προέστη τῶν Γαλατῶν, apud Plutarchum (Galb. 4) Γαλατίας ὢν στρατηγός, apud Suetonium (Ner. 40) *qui tum eam provinciam pro praetore obtinebat*. Ex quattuor Galliarum provinciis in prima divisione provinciarum Augusto ad administrandum commissis, Narbonensi, Lugdunensi, Aquitania, Celtica (v. Dio LIII 12), eam quae tertio loco posita est videtur obtinuisse. Nimirum *Narbonensem* Augustus mox populo vel senatui reddidit, ut Dio tradit, Vindex autem *pro praetore* provinciam Caesaris obtinebat; *Lugduni* cives coeptis eius acerrime restiterunt (H. I 65); *Celticam*, h. e. Germanias, Verginius et Capito tunc administrabant. Restat Aquitania, et Vindex ipse apud Dionem LXIII 22 est ἐκ προγόνων Ἀκυιτανός. Galba Hispaniam Tarraconensem sive citeriorem legatus consularis rexit, cum imperator factus est. Ibi tunc una legio, et sexta quidem, duae alae, tres cohortes (sociales); v. Sueton. Galb. 8 et 10. Tacit. H. I 49, V 16.

ut gentibus quae regnantur: *gentibus* tertius est casus suspensus a notione *sunt*: nam nuda forma *gentibus* pro *in gentibus* aut *apud*

coniectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in vultu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet. Consultatum inde, pro Rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra placuit: honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Circumsteterat interim Palatium publica expectatio, magni secreti impatiens; et male coërcitam
18 famam supprimentes augebant. Quartum idus Ianuarias, foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura et caelestes minae ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam quo minus in castra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum; seu quae fato manent, quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum contionem, imperatoria brevitate, adoptari a se Pisonem more divi Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. Ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro adseverat quartam et duoetvicesimam legiones, paucis sedi-

3. *voltu* Or. 9. *inp.* M[a]. 10. *faedum* M[a]. 14. *contemptore* M[a]. 15. *signifacta* M[a]: *significata* G. 16. *imperatoriā* M[a]. 19. *duodericensimam* (sed *de* in rasura) M[a].

gentes poni non potest. Hinc nata interpolata scriptura editionis Spirensis *ut in ceteris gentibus*.

Cap. 17. *sermo erga patrem imperatoremque reverens*: reverentiae modum ipse significavit Tacitus: quippe Piso Galbam non socium principatus sed patrem imperatoremque sibi esse sermone ostendit. *pro rostris an in senatu an in castris:* secundo loco *in senatu* scribere maluit quam *in curia*, ut nimiae similitudinis taedium vitaret. *publica expectatio:* cf. c. 16 *cervicibus publicis*, h. e. *cerv. populi*.

Cap. 18. *quartum idus Ianuarias*: cf. Acta fratrum Arvalium apud Marinium tab. XX pag. CXXVII. Plut. Galba c. 23.

more divi Augusti: more a divo Augusto ita constituto, ut qui in domum adoptatus est simul successor imperii declaretur. *quo vir virum legeret:* quod quomodo apud Romanos fieret, exposuit Polybius VI 20.

duoetvicesimam: ego cum Imm. Bekkero aliisque huic loco legionem duoetvicesimam vindico quamvis invito aliquatenus M[a], propterea quod idem liber infra c. 55 et 56, II 100, III 22, IV 24 et 37 eandem hanc legionem *duoetvicesimam* totiens constanter nominat, quodque statui nequit et *duodevicesimam* et *duoetvicesimam* legiones pro ripa Rheni compositas fuisse. Omnem enim Germaniam cisrhenanam inde ab Augusto octo legiones cohibe-

tionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore. Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. Tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium, tamquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus. Inde apud 19
senatum non comptior Galbae, non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. Et patrum favor aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medii ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, dictum a Pisone in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis, et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt,

2. *addita ut p̄tium* Mª. 4. *audito* Mª: *auditu* margo G, qui in contextu *gratabundi* pro *grata auditu*. *mest.* Mª. 10. *fabor* Mª. 11. *medii* Freinshemius: codices *medie*. 13. *quadriduo* Mª. 14. *crebrioribus indie* Mª (non *crebioribus in die*): *cr. in dies* G.

bant (conf. IV 5); quarum hoc tempore quattuor in Germania inferiore agebant, *prima* et *quinta*, *quintadecima* ac *sextadecima*. Vide H. I 55. Eodem loco superioris exercitus legiones nominantur *quarta* ac *duoetvicesima*, reliquamque eiusdem exercitus legionem fuisse *unetvicesimam* ex H. I 61 edocemur. Hac enim aetate septem legiones Rhenum iuxta in hibernis locatae erant, cum *quartamdecimam*, Augusti Tiberiique aevo ad ripam Rheni agentem (I 70), Claudius in Britanniam tramisisset. Vide XIV 34. H. II 11. Legio *duodevicesima* neque Tiberio neque Galba imperante in Germania fuit, neque ipsa post cladem Vari extitit; v. annot. ad I 42. Probavit haec pridem a me scripta et secutus est Doederlinius: ad scripturam interpolatam rediit Orellius, nunc Pfitznero suo plus tribuens quam tot libri Mª testimoniis. Orellium turbavit quod etiam Alexandriae *duoetvicesimani* a Tacito H. V 1 memorantur. Sed Alexandriam numeri ex legione Germanica duoetvicesima a principe Nerone missi erant; v. H. I 31 extr. et H V 1.

Cap. 19. *et patrum favor aderat*: *multi voluntate*, *effusius qui noluerant*, *medii ac plurimi obvio obsequio*, *privatas* — *cura*: enuntiatum *et patrum favor aderat* tribus aliis continuo subsequentibus definitur, quibus totidem senatorum genera denotantur: *multi* enim *voluntate* favorem ostendebant, *effusius qui noluerant* Pisonis adoptionem, ut voluntatem minus promptam celarent, *medii* inter hos iique *plurimi obvio obsequio*. Hoc tertium enuntiatum iam novo ex-

censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. Agitatum secreto num et Piso proficisceretur, maiore praetextu, illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. Placebat et Laconem praetorii praefectum simul mitti: is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati excusati substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus

20 vel spes impulerat. Proxima pecuniae cura; et cuncta scrutantibus iustissimum visum est inde repeti ubi inopiae causa erat. Bis et vicies milies sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumae super portiones erant, isdem erga aliena sumptibus quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani praepositi, novum officii genus

3. *ille* M^a^: G *illi*. 5. *his* M^a^, *is* G. 6. *faeda* M^a^. *excusatis* M^a^, *excusati* G. 7. *quenque* M^a^. 8. *inp.* M^a^. 10. *mille* M^a^ et ceteri: correxit Lipsius. 12. *quenque* M^a^. *illi* M^a^: G *illis*. 15. *faenus* M^a^. *exactionis* M^a^: G *exactioni*.

plicatur *privatas* — *cura*, ut appareat, quales medii illi fuerint. Ex *favor aderat* in subsequentibus enuntiatis ἀπὸ κοινοῦ intelligitur *favebant* sive *favorem ostendebant*. Ceterum Freinshemius et scribendo *medii* pro *medie* et veriore distinctione inducta huic loco salutem reddidit. Vulgo *multi voluntate effusius, qui noluerant medie, ac plurimi obvio obsequio*. Cf. Madvig de Asconio p. 147 not. 3.

maiore praetextu: praetextus ornatum et speciem legationis denotat, qui nominis significatus adiectis verbis *illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus* definitur.

Cap. 20. *bis et vicies milies sestertium:* quod codices exhibent *bis et vicies mille sestertium*, h. e. 22,000,000 sestertiorum, (2,200,000 florenorum) ne decima quidem pars est eius summae, quam Pallas libertus Claudii patrono suo acceptam referebat; v. XII 53. Itaque vix quidquam reliquum erit, nisi ut cum Lipsio *milies* scribamus pro *mille*, unde 2,200,000,000 sestertiorum summa conficitur. Cf. Sueton. Galb. 15: *liberalitates Neronis, non plus decimis concessis, per quinquaginta* (in numero equitum a Tacito hic discedit) *equites Romanos ea condicione revocandas curavit exigendasque, ut et, si quid scenici aut xystici donatum olim vendidissent, auferretur emptoribus, quando illi absumpto pretio solvere nequirent.* Add. Plut. Galb. 16.

super portiones erant: comparat Pichena Virgilii Aen. II 567: *iamque adeo super unus eram.*

novum officii genus et ambitu et numero onerosum: ambitum Ernestius intelligit gratiam equitum erga reos, qua negotium turbaretur, Waltherus potestatem eorum

et ambitu ac numero onerosum. Ubique hasta et sector, et inquieta urbs auctionibus. Ac tamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset Nero quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus et Antonius Naso, ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigiliis Iulius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium, tamquam per artem et formidinem singuli pellerentur omnibus suspectis.

Interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne 21
in turbido consilium, multa simul extimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo magis concupisceret. Praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem expectandum. Suspectum semper invisumque dominantibus qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem principem; magis nociturum apud iuvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum. Occidi Othonem posse. Proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis

2. *actionibus* GM[a]: *auctionibus* mg. Bodl. et Rhenanus in Castigationibus. *ac tamen* GM[a], non *attamen*. 3. *donassent* M[a]: G *donasset*. 5. *emilius* M[a], *Aemylius* G. 11. *galba* GM[a]: *Galbam* Puteolanus. 14. *et* GM[a], *aut* B. 15. *nocuisset* M[a]: G *nocuisse*. 18. *audiendumque* M[a]: correctum in G. 19. *oport.* M[a].

latius patentem. Sed *onerosum* (*lästig fallend*) haud dubie ad rem publicam eiusque rectores pertinet, et *ambitus* importunum ambientium studium denotat, ut paulo ante c. 17 et 19. Ambitu onerosum erat novum officii genus, quod plures ambiebant quam eligi poterant, numero, quod singulis pro opera impensa praemium solvendum erat.

et inquieta urbs auctionibus: addit quod consectarium erat ex iis quae proxime narravit, *ubique hasta et sector*. Quod in codicibus est, *actionibus*, valet idem atque *accusationibus* (conf. XIII 26), sed accusantium in hoc negotio nullae partes erant. De corruptionis genere dictum ad c. 12.

e praetorio — ex urbanis cohortibus — e vigiliis: ex omnibus copiarum generibus, quae urbem pacis tempore insidebant, singuli mittuntur tribuni. Cf. IV 5. II. III 64. In priore ex his duobus locis primum et secundum, in altero secundum et tertium genus militiae urbanae memoratur. Adde I 8.

Cap 21. *Othonem — multa simul extimulabant:* cf. Suetonius Oth. 5. Plutarchus Galba 20—21.

fingebat et metum, quo magis concupisceret: vide mihi eximium animi humani exploratorem. Ne cupidines illae nimiae Othonis conscientiae voce restinguerentur, homo impotens statum suum magis

conatibus transitus rerum; nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas. Mortem omnibus ex natura aequalem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. Ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri

22 esse merito perire. Non erat Othonis mollis et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant, urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum adfirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant; e quibus Ptolemaeus Othoni in Hispania comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore ut in imperium adscisceretur. Sed Otho tamquam peritia et

7. *adulteria matrimonia* GM[a], *adultera matrimonia* B. 11. *syderum* M[a]. 12 *spernantibus* M[a]: G *sperantibus*. 14 *poppeae ma* (in versus fine) *mathematicos* M[a]. 15. *ptoloms* cum lin. super litt. *ms* M[a], et sic paulo post. 19. *inperium asc.* M[a].

in lubrico esse quam erat, fingebat eoque se ipse decepit.

dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset: apte componitur auctoritas quae evanescit et diffluit cum ea quae concrescit sive coalescit. Omnino insignis Taciti ars, qua contraria scite solet componere, praecipue excellit in morum Othonis descriptione c. 21—24. *merito perire:* ambigue loquitur Otho facinoris mente concepti obtegendi causa pro eo quod est *exitium culpa sua merere.*

Cap. 22. *non erat Othonis — animus:* idem praedicat in Othone Plutarchus Galb. 25.

mathematicis — genus hominum — retinebitur: v. annotat. ad II 32.

multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant: tunc Poppaea mathematicos praecipue consultaverat, cum Othoni matrimonio iunctam Nero amare incepit; v. XIII 45 et 46. Ideo addit *pessimum principalis matrimonii instrumentum. Secreta* intellige secreta conclavia (*das geheime Cabinet*): id enim verbum *habuerant* videtur postulare. *Matrimonium* dixit pro coniuge, ut II 13 et 73, XII 2.

Ptolemaeus: cf. Plutarch. Galb. 23. Cognomine suo, ut videtur,

monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani
libentius obscura credendi. Nec deerat Ptolemaeus, iam et 23
sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi voto trans-
itur. Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia mili-
tum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfe-
ctaverat, in itinere, in agmine in stationibus, vetustissimum
quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani co-
mitatus contubernales appellando; alios agnoscere, quosdam
requirere, et pecunia aut gratia iuvare, inserendo saepius
querelas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia tur-
bamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia
imperii atrocius accipiebantur, cum Campaniae lacus et Achaiae
urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et immensa
viarum spatia aegre sub armis eniterentur. Flagrantibus iam 24

2. *credi* GMª: correxit Pichena. 3. *instinctor aquod* Mª. 7. *quenque* Mª. 10. *querellas* Mª. 11. *volgi* Or. *inopiā* Mª. 13. *pyreneum* Mª. *inm.* Mª.

Seleucum Suetonius in Oth. 4 appellavit.

Cap. 23. *in itinere, in agmine in stationibus:* dicit tempus illud, cum Galba eiusque partes ex Hispania ad urbem profecti sunt. Totum hoc tempus designat verbis *in itinere* (*auf der Reise*), et hoc rursus per partes describit *in agmine* (*im Heereszuge*) et *in stationibus* (*auf Wachtposten*). Partis notio praecedit, totius sequitur III 9: *ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset.*

cum Campaniae lacus — eniterentur: hoc nonnisi de paucis dictum est, qui olim in comitatu Neronis, mox cum Othone in Lusitaniam et aliis occasionibus in Hispaniam profecti et ad Galbae exercitum translati erant. Tacitum immerito carpit Savilius.

Cap. 24. *ut per speciem convivii — viritim centenos nummos divideret: per speciem convivii* idem est ac 'convivium obtendens dividendae pecuniae causam': quippe dicebat se donare iis qui principis ad se venientis vitam tuerentur, quae causa est cur Tacitus hanc velut publicam largitionem secretioribus Othonis praemiis opposuerit. Plutarchus in Galb. 20: ὁσάκις δὲ τὸν Γάλβαν εἱστία, τὴν παραφυλάττουσαν ἀεὶ σπεῖραν ἐδέκαζε χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων, οἷς τιμᾶν αὐτὸν (principem Galbam, et hoc illud est *per speciem convivii*) ἐδόκει καταπολιτευόμενος καὶ δημαγωγῶν τὸ στρατιωτικόν. Sueton. Oth. 4: *quotiens coena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat.* Tacitus verum suae narrationis intellectum et numero distributivo et insuper addita vocula *viritim* adiuvit. Conf. II 42: *trecenos plebi sestertios viritim dedit;* XIII 31: *plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati;* XV 72: *bina nummum milia viritim manipularibus divisit.* Cognatum dicendi genus est ubi numerus distributivus cum voce *singulis* consociatur, ut H. I 66: *addidit Valens trecenos singulis militibus se-*

militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigellini. Is mobilissimum quemque ingenio aut pecuniae indigum et in novas cupiditates praecipitem adliciendo, eo paulatim progressus est ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret; quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit, per socordiam praefecti,
25 quem nota pariter et occulta fallebant. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum tesserarium speculatorum et Veturium optionem eorundem perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertem-

1. et 6. *uelud* Mª. 2. *tigill.* Mª. *quenque* Mª. 4. *conuii* Mª. 15. *p̄tio* Mª.

stertios; ib. 82: *quina milia nummum singulis militibus.*

ut Cocceio Proculo speculatori — dono dederit: Suetonius Oth. 4: *cuidam etiam 'de parte finium cum vicino litiganti' — totum agrum redemit emancipavitque.* Suetonius verba a nobis significata ex Tacito transcripsit, *litiganti* tamen posito pro *ambigenti;* v. annot. ad I 5. *Speculatores* Caesaris satellites et custodes in Historiis rursus memorantur c. 25 et 27 et 33 et 35, II 11 et 33, in Annalibus mentio eorum nulla. Cf. Sueton. Aug. 74, Calig. 44 et 52, Claud. 35, Galb. 18, Oth. 5. Dio LX 3. Lips. annot. ad h. l. Forcellinius s. v. *Praefectus*, cuius socordia statim incusatur, est praefectus praetorio Laco, eodem nomine etiam ante (c. 6) notatus. Hinc intelliges, speculatores item ut praetorianos praefecti iussa secutos esse; porro certum numerum speculatorum in unaquaque cohorte militum praetorii fuisse docent verba c. 31: *dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata contionantem.* Quod II. II 11 et 33 speculatores et praetoriae cohortes in copiis Othonis enumerantur, non diversa militum genera, sed eiusdem generis duae species denotantur.

Cap. 25. *sed tum — praefecit:* moribus Othonis et vita priore narratis ad ordinem rerum c. 21 relictum iam revertitur, per vocem *tum* respiciens ante dictum (c. 23) *sed sceleris cogitatio incertum an repens.*

Barbium Proculum — perductos: Plutarchus in Galb. 24: ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος (οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες), μεθ' ὧν Ὄθωνος ἀπελεύθερος Ὀνόμαστος κτλ. Suetonius Oth. 5: *primo quinque speculatoribus commissa res est, deinde decem aliis.* De *optionibus* tribunorum adiutoribus, item de tesserariis acceptam ab imperatore vel tribuno tesseram nuntiantibus exponentem lege Forcellinium s. v.

pretio et promissis onerat — animos: Suetonius: *omnibus dena*

ptandos plurium animos. Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti. Suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant, primores militum per beneficia Nymphidii ut suspectos, vulgus et ceteros ira et desperatione dilati totiens donativi. Erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet. In commune omnes metu mutandae militiae terrebantur. Infecit ea tabes 26
legionum quoque et auxiliorum motas iam mentes, postquam vulgatum erat labare Germanici exercitus fidem. Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero iduum redeuntem a cena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia

5. *nymphidi* Mª. *volg.* Or. 7. *communi* GMª: correxit Rhenanus. 8. *militi etrebantur* cum lin. in primo *t*, id est *militi eterrebantur*, unde Iac. Gronovius elicuit *militiae terrebantur*, ante quem Pichena dederat *militiae exterr.* 10. *volg.* Or. 12. *iduum*] *iduum dierum* Mª, *iduum die* AG. 13. *ni* Mª: G *nisi* 14. *emulentos* Mª: G *temulentos.* 15. *faed.* Mª. 18. *erumpentibus* Mª: G *erumpentis* (*tis* in rasura).

sestertia repraesentata et quinquagena promissa.

Cap. 26. *infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas iam mentes:* est legio classica atque Hispanica, dein numeri e Germania ac Britannia et Illyrico. Cf. H. III 11: *legiones velut tabe infectae.*

postero iduum: corruptela Mª *postero iduum dierum* nata videtur, cum in exemplari unde ille descriptus est *postero I. duum* exaratum esset, unde proximus scriba *iduum dierum* perperam elicuit. Quod cum auctores codicum A G removere conati sunt scribentes *die*, malam causam fecerunt deteriorem. Nam *postero iduum die* non potest dici de die post idus proximo, sed is est alter iduum dies. Verum uno die cum idus conficiantur, nihil magis soloece dici potest quam *postero iduum die*, neque id ullus scriptorum Latinorum ponere ausus est, ne hoc quidem, *postridie iduum*, *pridie iduum*, sed *pridie idus*, *postridie kalendas* cet. Hinc non probanda coniectura Bezzenbergeri *postero iduum die ebrium.* Quod hac nocte exequi non audent Othoniani, idem die proximo aggressi sunt. Aliud est quod narrat Suetonius Oth. 6: *tulerat animus post adoptionem statim castra occupare coenantemque in Palatio Galbam adgredi.*

per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicus, et adversus peritos pervicax.
27 Octavo decimo kalendas Februarias sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit, audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat expectari eum ab architecto et redemptoribus; quae significatio coëuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat. Otho, causam digressus requirentibus, cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset, innixus liberto per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem, ac paucitate salutantium trepidum, et sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique

1. *galba* Mª. 3. *afferet* Mª. 4. *Kl. Feb.* cum lin. in litt. *l* et *b* Mª: *KL. Februarii* G, qui etiam *XVIII.* pro *octavo decimo.* 5. *tristitia* Mª: G *tristia.* 7. *adsisterat* Mª: G *adstiterat.* 8. *interp̄tantes* Mª. 11. *parate* Mª. 14. *eadem* Mª: G *aedem.* 16. *selle* Mª.

Cap. 27. *octavo decimo:* saepius accusativum Tacitus in huiusmodi locis dedit, de quo dictum in annotatione ad VI 50: nunc ablativum admisit, ubi idem quod est *postero die* paulo certius definire intendit.

haruspex Umbricius — praedicit: cf. Plutarch. Galba 24. Sueton. Galba 19, Oth. 6. *Aedem Apollinis* dicit Apollinis Palatini.

per Tiberianam domum: hoc nomen erat posticae parti Palatii; v. Sueton. Oth. 6. Plutarchus Galba 24: *διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγοράν.* Hanc Tacitus H. III 84 *aversam Palatii partem* nominat. Becker in *Enchiridio Antiq. Rom.* I p. 429 intelligit clivum Victoriae.

ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit: statuit in capite Romani fori Augustus, cum curator viarum erat. Dio LIV 8. Plin. N. H. III 9. Plutarch. Galb. 24: *διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγοράν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν.* Quomodo in levibus a Cornelio nostro recte omissis Suetonius diligentiam ostendat, in hac re enarranda exemplum illustre dedit Oth. 6: *tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus lecticariis, cum descendisset cursumque cepisset, laxato calcio restitit, donec omissa mora succollatus et a praesenti comitatu imperator consalutatus inter faustas ac-*

miraculo, pars clamore, pars silentio, animum ex eventu
sumpturi. Stationem in castris agebat Iulius Martialis tribunus. 28
Is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra et,
si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque su-
spicionem conscientiae. Anteposuere ceteri quoque tribuni
centurionesque praesentia dubiis et honestis. Isque habitus
animorum fuit ut pessimum facinus auderent pauci, plures
vellent, omnes paterentur.

Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni 29
iam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incer-
tum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur; simul
ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidine augen-

1. *clamore* editor: M^a^ et ceteri *clamore et gladiis.* 3. *his* et statim *hisque* M^a^: correctum inest G. 4. *prebuit* M^a^. 10. *dos* cum lin. M^a^. *incertumque sen.* M^a^: correctum in G. 12. *formidine* M^a^: BG *formidinem.*

clamationes strictosque gladios ad principia devenit.

clamore [*et gladiis*]: si duce Pichena *clamore et gaudio* scripserimus, sententiae non male consulemus; et est H. II 70 *clamore et gaudio*, ibidem IV 49 *gaudio clamoribusque:* sed primum difficile erit ad explicandum, quomodo tam plana vox in *gladiis* corrumpi potuerit, quod si factum esset, *gladio* haud dubie offenderemus, non *gladiis;* dein concinnitas oppositorum *pars clamore*, *pars silentio* illato *gaudio* turbatur. Neque magis rem expediunt, qui *gaudiis* pro *gladiis* per coniecturam Faërno duce substituunt: nam *gaudia* sunt taciti gaudii affectus aut res gaudium facientes, ut XIV 14 *facili feminarum credulitate ad gaudia*, quae notio ab his verbis aliena est. Librorum vero *et gladiis* plane ineptum esse liquet: *gladiis* enim omnes milites Othonem comitantes armati erant, neque eorum mentio, postquam praecessit *strictis mucronibus*, admitti ullo modo potest. Equidem antiquam glossam videre mihi videor, profectam a lectore qui Suetoniana illa (v. annotat. anteced.) *inter faustas acclamationes strictosque gladios* cum Tacitinis comparavisset et praegressum *strictis mucronibus* neglexisset. Sic vocem *boleto* XII 67 ex Suetonio illatam esse vidimus, et VI 23 simile quid videtur accidisse.

Cap. 28. *Iulius Martialis:* cf. Plut. Galba 25. Ad verba *is magnitudine subiti sceleris* ex proximis *exitium metuens* notio *anxius* ἀπὸ κοινοῦ petenda est. *si contra tenderet:* comparat Kiesslingius Virgilii Aen. V 27: *frustra cerno te tendere contra.*

Cap. 29. *alii formidine augentes*, *quidam minora vero:* plena sententiae forma haec, 'alii formidine rem acceptam augentes, quidam minora vero afferentes', nam afferendi notio ex *augentes* petenda. Quod offerunt libri deteriores, *formidinem*, id sententiam corrumpit: nam significat Galbam et Pisonem formidine correptos fuisse, quod secus erat. Waltherus dicit *formidinem* nunc idem esse ac *res formidolosas.* Sed formido est me-

tes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit pertemptari animum cohortis quae in Palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est. 'Sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen sive timendum erat, Caesar adscitus sum; quo domus nostrae aut rei publicae fato, in vestra manu positum est, non quia meo nomine tristiorem casum paveam, ut qui adversas res expertus cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere: patris et senatus et ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie

8. *re.p.* M^{a}: *rei .p.* G. *fatu* M^{a}: *fatū* G, sed a priore manu videtur fuisse *fato*, ut apud Puteolanum. 10. *res* corr M^{a}: fuit *rem*, non *rēm*, id est *rerum*, ut Victorius apud Waltherum. *cum* M^{a}, *tum* G. *dicam* GM^{a}: correxit Freinshemius.

tus quem quis sive ipse habet sive aliis incutit: statum formidabilem si indicare vult Tacitus, non ponit *formidinem*, sed *metum* vel *terrorem*. Cf. I 40, II 6 et 72, XI 2, XIV 43, XV 45. H. I 86. Corruptae in peius lectionis occasio in aperto est: quippe scriba verbum *augere* quartum casum sibi iunctum requirere opinabatur, de quo dictum in proximis.

Piso — in hunc modum adlocutus est: integer vitae scelerisque purus etiam in extremo brevissimi principatus momento esse perseverat. Idem vero magni imperatoris officio minime functus hac sua oratione monstratur. Quippe provocat ad iudicium et patriae amorem eorum hominum, quibus eae virtutes plane deessent, atque interim praeclari facinoris edendi et incepti Othoniani reprimendi tempus elabitur. Egregius dux cum militibus una voce incitatis in hostem invasisset, nutantes in castris cohortes cohibuisset, desertores trepidos disiecisset, bonos et innoxios consociasset. Ceterum viri insignis sors vere tragica apparet. Omni culpa liber, sine ambitione, sine cupidine, ad fortunam ancipitem promotus est, quam ipsam detrectare et vitare non potuit, quin animum intrepidum exueret. Conf. quae mox de Othonis oratione dicemus.

quo domus nostrae — fato, in vestra manu positum est: vos, dicit, decernere potestis, utrum adoptio valeat an in alius potestatem cedat res publica, domo nostra eversa. Sed idem rursus corruptae scripturae (*fatum*) fons quem modo deprehendimus: scilicet scriba verbo *positum est* desiderans subiectum, idque in *fato* latere opinatus, *fatu* dedit, h. e. *fatū* sive *fatum*, ut in libris interpolatis. Est enim haec largissima aberrandi occasio, cum scriptores librarii de tota sententia securi nomen aliquod ad proximum quodque verbum trahentes casus pro sua doctrina immutant. Ita paulo ante, ut pro sexcentis exemplis nonnulla contermina recenseam, pro *formidine* posuere *formidinem*, quia sequitur *augentes*, hic *fatum* pro *fato* ob proximum *positum est*, mox (c. 30) *speciem* pro *specie*, subsequente *imponit*, tum (c. 38) *cun-*

necesse est aut, quod aeque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habebamus incruentam urbem et res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. Nihil 30
adrogabo mihi nobilitatis aut modestiae. Neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. Habitune et incessu, an illo muliebri ornatu mereretur imperium? Falluntur quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc et comissationes et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat, quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim unquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba consentientibus

2. *solacium* M[a]. *incruenta* M[a]. 3. *re* M[a]. in v. *translatas* littera *s* videtur esse ex corr. 4. *nichil* M[a]. 9. *specie* GM[a]: correxit Rhenanus. 10. *inp.* M[a]. 11. *comessationes* M[a], *commessationes* G. 12. *hec* M[a]. 13. *decus* GM[a]: *dedecus* Puteolanus. 14. *umquam* M[a].

ctationis pro *cunctationi*, sequente nomine *locus*. Bezzenberger *quod — fatum* dum commendat et *sit* supplendum praecipit, falso credidit *quod* bonis libris niti.

Cap. 30. *relatu virtutum:* cf. annot. ad XV 22.

etiam cum amicum imperatoris ageret: amicum intelligit Neronis ab Othone ad luxuriam et stupra impulsi; v. XIII 12 et 46. *an illo muliebri ornatu*: Suetonius Oth. 12: *fuisse traditur — munditiarum paene muliebrium, vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dignosceret: quin et faciem quotidie rasitare ac pane madido linere consuetum.* Iuv. II. 99: *ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis, — res memoranda novis annalibus atque recenti historia, speculum civilis sarcina belli.* Mox idem: *summi ducis est occidere Galbam et curare cutem — et pressum in facie digitis extendere panem.*

si res publica et senatus et populus vana nomina sunt: formam libri Medicei *vacua* ex scriptura *vāa* (= *vana*) male soluta natam esse puto, certe *vacua* h. l. non convenit: *vacuus* enim apud Tacitum semper de eo dicitur, quod aliqua in re occupari aut impleri potest (*ledig*), non de iis quae nullius ponderis sunt et dignitatis (*leer*). Hoc ubi notandum est, ponit vocem *vanus* vel *inanis*. Cf. H. IV 14: *inania legionum nomina ne pavescerent.*

sed perinde — accipietis: sed scribens respexit contrarium *nec est plus quod pro caede principis datur; perinde* pro vitioso *proinde* (cf. annot. ad III 17) praebet editio princeps, *plus* autem particulam ex priore versu in malis libris perperam repetitam esse primus vi-

vobis Caesarem dixit. Si res publica et senatus et populus vana nomina sunt, vestra, commilitones, interest ne imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversus duces suos audita est aliquando: vestra fides famaque inlaesa ad hunc diem mansit. Et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta transfugae et desertores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium adsignabunt? Admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? Transcendet haec licentia in provincias; et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus quod pro caede principis quam quod innocentibus datur, sed perinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis
31 pro facinore accipietis.' Dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata contionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio parat signa quam, ut postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus

1. *ces.* M[a]. *res.p.* M[a]. 2. *vana* CG et Oxonienses: M[a] *vacua.* 3. *adversus* GM[a], non *adversum.* 4. *fide* M[a]. 9. *trasc.* M[a]. 12. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M[a], *prouide* G: corr. Rhenanus. *donativum* editio princeps: GM[a] *donativo.* *perendie — donativo* Bezzenberger. 14. *concionantem* nunc M[a]. *eventior te magis* M[a]: correxit Pichena. 15. *et non nullo* GM[a]: correxit Freinshemius. *par signas* M[a], *pars ingens* G: *parat signa* A et ed. princeps. *quam, ut* Freinshemius: codices *quod,* Heinsius *quam, quod.*

dit Rhenanus. Donativum totiens dilatum Piso nunc sero promittit.

Cap. 31. *evenit, forte magis et nullo adhuc consilio:* ex reliquiis Medicei *eventior te magis* lenissima mutatione Pichena fecit *evenit, forte magis* (*event* = *evenit, iorte* = *forte*), de quo etiamnum dubitari a nonnullis iure mireris. Medicei *non nullo,* negatione superioris versus male repetita, provenisse monuit Doederlinius.

quam, ut postea creditum est: librorum scriptura *quod,* pro *quam, ut* ex *quut* sive *quot,* h. e. ex *quam ut* iunctim pronuntiato et scripto, natum mihi videtur. Si cum Heinsio *quam, quod* legere malis, vocem *quam* ob compendium scripturae q̄ ante *quod* delituisse statuas.

Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus: conf. XV 25: *et legio quinta decuma ducente Mario Celso* (legionis legato) *e Pannonia adiecta est;* adiecta tunc est Corbuloni Syriae propraetori Parthos debellaturo. Cf. II. I. 6. *Vipsania porticus* in campo Martio, ubi pleraque monumenta Agrippae; v. annot. ad XV 39. '*Libertatis atrium* mox memoratum non in aede Libertatis fuisse in Aventino posita, sed aliud aedificium Libertati sacrum neque procul a campo situm monstravit Becker in Enchirid. Antiq. Rom. tom. I p. 457—462.

Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsania in porticu tendentes. Praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus ut Germanicos milites e Libertatis atrio accerserent. Legioni classicae diffidebatur, infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni, Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus coërcent exarmantque, quia non ordine militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc cor-

2. *prec.* M^a^. *amullio* M^a^, non Furiae *amuelio:* G *amulio.* 3. *accerserent* GM^a^, non *arcesserent.* 4. *diffidebatur* Ernestius: M^a^ *diffidebat;* littera *t* in G est in rasura, tum vacuum spatium, ut fuerit *diffidebatur* aut *diffidebant,* hoc (*diffidebant*) pr Ies. *cedem* M^a^. 8. *necdum* M^a^: G *nondum.* 9. *adhorti* M^a^. *longinus* M^a^. 11. *principis* M^a^: G *principi.* 13. *yllirici* M^a^. *exercitu* M^a^: G *exercitus.* *Celsum*] *festum* M^a^ (non *festium*): emendatum in G. *incestis* M^a^: correctum in ABR, *infestis* G.

legioni classicae diffidebatur: diffidebatur a Galba et amicis eius, Lacone et Vinio et Icelo: nimirum post digressionem Pisoni destinatam narratio verbis *missus et Celsus* rediit unde digressa erat, ad principem et amicos. *Diffidebat* ut in codicibus est, ex compendio scribendi *diffidebat'* neglecto aut evanido natum est. De re conf. c. 6.

et necdum adulta seditio: necdum antique pro *nondum.* Conf. II 85: *illo praetendente triginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse.* Monuit Petersen specim. II p. 15, allatis exemplis ex Ciceronis Leg. III 3 4, Plinii Paneg. 56 (*et necdum de biennio loquor*), Virgilii Ecl. IX 5. Festus: *nec coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctivam, ut 'nec legit nec scribit', cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi possit eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII est 'ast ei custos nec escit', item 'si adorat furto quod nec manifestum erit', et apud Plautum in Phasmate 'nec recte si illi dixeris', et Turpilium in Demetrio 'nec recte dici mihi quod iam dudum audio'.*

quia non ordine militiae: in ceteris excusabant quod ordine militiae ad fidem principi praestandam impelli se sinerent; in Longino et haec excusatio deerat et insuper suspicionis causa aderat.

ingestis pilis proturbant: ex longinquo pila iacientes in advenientem Celsum, ut ab incepto desisteret et refugiendo saluti suae

poribus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam
praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros im-
32 pensiore cura Galba refovebat. Universa iam plebs Palatium
inplebat, mixtis servitiis, et dissono clamore caedem Othonis
et coniuratorum exitium poscentium, ut si in circo ac theatro
ludicrum aliquod postularent: neque illis iudicium aut veritas,
quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed
tradito more quemcumque principem adulandi, licentia accla-
mationum et studiis inanibus. Interim Galbam duae senten-
tiae distinebant. Titus Vinius manendum intra domum, op-
ponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos
censebat. Daret malorum paenitentiae, daret bonorum con-
sensui spatium. Scelera impetu, bona consilia mora vale-
scere. Denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facul-
33 tatem; regressus, si paeniteat, in aliena potestate. Festinan-

2. *prem.* M^a. *inp.* M^a. 4. *cedem* M^a. 5. *exilium* M^a: correxit Acidalius. *ac* G: M^a *a.* 6. *aliquot* M^a. 7. *certaminae* M^a. 8. *quaēcūque* M^a. *adcl.* M^a. 12. *pen.* M^a. 14. *si ratio* G: M^a *spiratio.* 15. *pen.* M^a.

consuleret, effecerunt. Scriptura libri M^a *incestis* ex codice antiquo et uncialibus litteris scripto manavit: ibi enim cum esset INGESTIS, librarius novus G esse C perperam opinatus est.

a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros: Alexandriam praemiserat Nero vexilla Germanica et Illyrica et Britannica ad bellum quod in Albanos parabat, mox adversus Vindicem reportaverat (II. I 6): omnes tamen in Italiam accire non potuit, navium penuria, ut videtur, impeditus: nam ex *tertia* Moesica legione et *duoetvicesima* Germanica electi sive vexilla Alexandriae etiamtum aderant, cum Titus obsidionem Hierosolymorum aggressus est. Cf. annot. ad II. V 1.

Cap. 32. *sed tradito more quemcumque principem adulandi, licentia — inanibus:* post *adulandi* ex proximis cogitatione supplendum est *postulabant* vel magis universe *id faciebant.* Novam causam addunt verba *licentia — inanibus.* Theodisce: 'weil Beifallsgeschrei unbedingt gestattet war und die Gunstbezeugung nichts zu bedeuten hatte.' Nimirum studia inania nemini imputabantur. Non apte post *adulandi* interpunctio vulgo omittitur.

si ratio sit: cf. annot. ad I 57.

regressus, si paeniteat, in aliena potestate: nomen *regressus* equidem numero multitudinis dictum esse existimo. Cogitat Vinius de partibus Galbae hinc illinc post infelicem conatum regredi cupientibus. Doederlinius ex suppleto vocabulo *facultatem* aptum genitivum *regressus* facit: ego malim audaciam concedere Cornelio quam obscuritatem. Sed is fortasse dedit *regressum*, mutatum a scriba propter proximum *paeniteat.*

dum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem discat. Non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit. Obsidionem nimirum toleraturos: et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta quae indecora. Vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini: id Othoni invidiosius et ipsis honestum. Repugnantem huic sententiae Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo privati odii pertinacia in publicum exitium. Nec diutius Galba cunctatus speciosiora 34
suadentibus accessit. Praemissus tamen in castra Piso ut iuvenis magno nomine, recenti favore, et infensus Tito Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. Vixdum egresso Pisone occisum in castris Otho-

7. *cludit* M[a], *claudit* G. *obsidione — toleraturos* M[a] : *obsidionem — toleraturus* G. 8. *consensũ tante* M[a]. 9. *indignatione languescat* M[a] : correxit Iac. Gronovius, *indignatio languescat* G et alii. 11. *occurendum* GM[a]. 13. *hicaelo* M[a]. 15. *premissus* M[a]. 17. *qui aerat* M[a].

Cap. 33. *prospectante Galba Capitolium adeat:* ex Palatio et monte Palatino prospectus in forum Romanum et clivum Capitolii.

ianua ac limine tenus: recte Doederlinius: 'qui fortes domum claudunt, ii corporibus cingunt et obsistendo defendunt; ignavi contra satis habent ianuam claudere et foribus pessulisque defendi'.

Cap. 34. *nec diutius Galba cunctatus speciosiora suadentibus accessit:* in alia abit Suetonius in Galba c. 19 ac tradit statuisse Galbam se intra Palatium continere et legionariorum firmare praesidiis, mox falsis rumoribus, transactum esse negotium et oppressos qui tumultuarentur, extractum prodisse, ut occurreret gratabundis et in omne obsequium paratis. De Pisone in castra misso nihil habet Suetonius, quippe nihil nisi vitam imperatoris Galbae narraturus.

recenti favore, et infensus Tito Vinio: verba *et infensus Tito Vinio* adduntur ad declarandam causam praecipuam cur *recenti favore* Piso fuerit; nam gratum erat odio esse Pisoni hominem maxime invisum.

credula fama: *credulam* h. l. famam nove dixit eam, cui facile creditur, Graecorum εὔπειστον Latine quodammodo convertens. Sic apud eundem *intolerantior* pro magis *intolerandus* III 45, XI 10, *gratus* pro *acceptus* I 28 et 62, O. 6, *gnarus* pro *cognitus* I 5 et passim, *volentia* pro *probata* XV 36.

Cap. 35. *non populus tantum*

nem vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse adfirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. Multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso vulgaverint.

35 Tum vero non populus tantum et imperita plebs in plausus et immodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis Palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes, ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces; nemo scire, et omnes adfirmare, donec inopia veri, et consensu errantium victus, sumpto thorace Galba, inruenti turbae neque aetate neque corpore sistens, sella levaretur. Obvius in Palatio Iulius Atticus speculator, cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem exclamavit; et Galba 'commilito', inquit, 'quis iussit?' insigni animo ad coërcendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.

3. *multa* Mª. 5. *volgaverint* Mª, non Furiae *volgaverant*. 6. *inm.* Mª. 8. *reuere* Mª. 11. *ferocis* Mª: *feroces* G qui *linguis*.

et imperita plebs: ut c. 4 *partem populi integram* et *plebem sordidam* discrevit, ita hoc loco primum *populum* universum ponit, dein sordidam eius partem voce *imperita plebs* designat. Triginta quinque tribus hoc *plebis* nomine non intelligi certum est; v. annot. ad H. III 58. Conf. H. I 36: *non tamquam in populo ac plebe.* c. 40: *neque populi aut plebis ulla vox.* 82: *rarus per vias populus, maesta plebs.* Scilicet populus honestior domi se continebat, plebs sportulas suas per domos colligens et ad salutandos divites vias pervagata ob calamitatem publicam *maesta* erat. Cf. H. I 50: *quisque aliqua pars et cura rei publicae* (h. e. populus integer), *sed vulgus* (plebs sordida) *quoque palam maerere.* Ceterum zeugma notandum est, quo verbum *ruere* primum de hominibus *in plausus et immodica studia* sese effundentibus, deinde de isdem in Palatium irrumpentibus dictum est.

inruenti turbae neque aetate neque corpore sistens: simplex verbum elegit pro composito *resistens*, vitaturus κακοφωνίαν *corpore resistens.* Perinde saepe usu est *sistendi* verbo, sed ita ut accusativum obiecti pendentem inde faceret aut nominativum passivo generi consociaret, ut III 52 *nec mediocribus remediis sisti posse* (pretia utensilium), XIV 14 *nec iam sisti poterat* (Nero), XV 39 *neque tamen sisti potuit* (ignis), 54 *quibusque sistitur sanguis;* cf. H. II 11, III 8 et 71.

Iulius Atticus speculator: conf. Plutarchus in Galba c. 26, Dio LXIV 6, Suetonius G. 19.

36 Haud dubiae iam in castris omnium mentes; tantusque ardor ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque adfluentium militum aspexerant, prensare manibus, complecti armis, collocare iuxta, praeire sacramentum, modo imperatorem militibus modo milites imperatori commendare. Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, iacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, et quos adhuc singulos extimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita coepit. 37 'Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum, quia nec privatum me vocare sustineo princeps a vobis nominatus, nec principem alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec du-

1. *dubae* M^a^. 5. *graeg.* M^a^. 7. *exort.* M^a^. 8. *quenque* M^a^. 9. *pressare* M^a^, *prehensare* G. cf. annot. ad 14 10. *conl.* M^a^. 11. *milites imperatori* M^a^: *imperatori milites* G. 12. *volgūs* M^a^, non Furiae *volgus*. 16. *caepit* M^a^.

Cap. 36. *complecti armis:* h. e. innectuntur humeris, ut artior fiat complexus. *Armos* h. l. dici, non *arma* ut Ernestius voluit, clarum ex praegresso *prensare manibus*, post quod maioris gaudii et caritatis testificatio describitur: *armos* autem pro solito nomine *humeris* posuit Virgilium Aen. XII 433 secutus (*Ascanium fusis circum complectitur armis*), ut monitum ab aliis.

iacere oscula: his explicatur illud *adorare vulgum.* Oscula iaciuntur per digitos, quos quis osculatus ad praesentes demittit. Dio de Othone apud patres verba faciente LXIV 8: *φιλήματά τε ὡς ἑκάστοις διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε.*

ita coepit: omnibus in rebus haec Othonis oratio diversa est ab ea, quam Piso non multo ante (c. 29) habuit. Nimirum Otho non rei veritatem, non sui ac rei publicae dignitatem respicit, sed praesentem statum quovis modo tuendi cupidus militem accendere ira et invidia, implere avaritia et cupidine intendit, quod propositum, quamquam pessimis artibus, praeclare consequitur. Quae Piso locutus est, vera erant et sapienter dicta, sed illis auribus parum iucunda: Otho omnia grata auditu proloquitur, ingens promissis, calumniandi immodicus, irarum in animis audientium excitandarum tantus artifex, ut continuo unus

bitabitur imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis. Auditisne ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur? Adeo manifestum est neque perire nos neque salvos esse nisi una posse. Et cuius lenitatis est Galba, iam fortasse promisit, ut qui nullo exposcente tot milia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fontei Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata, aut ut ipse praedicat, emendata et correcta? Nam quae alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras disciplinam appellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii et Helii perditum ierunt. Minore avaritia ac

1. *an* G: M^a^ *ad*. 2. *paena* M^a^. 6. *militum* M^a^: *civium* G. 9. *dep̄cantes* M^a^. 10. *obultroniis abini* M^a^, litteris *ab* a manu rec. superscr. *l*: *obultronii albini* G. 11. malim *Cilonis*. 12. *fontei* GM^a^. 13. *nymphidi* M^a^. 14. *quae in castris* M^a^: *quae castra* G 16. *aliis* M^a^: *alii* G. 17. *sev.* M^a^. 20. *uatini* GM^a^. *et Helii perditum ierunt* editor: M^a^ *et aegialii perierunt*.

arbiter quo vellet impellere milites posset.

Cap. 37. *tot milia inn. mil.*: orator rem invidiose auget; v. c. 6 ibique annotat. *occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania:* prior aerarii quaestor principe Nerone a. 56 (Tacit. XIII 28), alter eodem imperante a. 65 periclitatus Neronem circa summa scelera distentum tamquam minor evasit: XVI 8. Uterque in Hispania legioni praepositus videtur fuisse aut procurator Caesaris; idem dicendum de Betuo Chilone in Gallia occiso. Cf. Suetonius Galba 12: *praecesserat de eo fama saevitiae — quod — praepositos procuratoresque supplicio capitis adfecisset.*

Betui Chilonis: apud Gruterum p. 375 4 C. BETVO. TRO. CILONI. Hinc *Cilonis* pro *Chilonis* rescribendum videtur. Certe *Iunius Cilo* nominatur XII 21.

quae castra sunt: vitium in B M^a^ *quae in castris sunt* inde emersit quod librarius ad versus praecedentis verba *Nymphidii in castris* oculis suis aberravit. Non monerem, nisi Waltherus hanc maculam in operis contextum admisisset.

et Helii perditum ierunt: pro *Helii* Mediceus *aegialii*, *A egi et*

licentia grassatus esset Titus Vinius, si ipse imperasset: nunc et subiectos nos habuit tamquam suos, et viles ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod vobis nunquam datur et cotidie exprobratur. Ac ne qua saltem in successore 38
Galbae spes esset, accersit ab exilio quem tristitia et avaritia sui simillimum iudicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem aversantes. Idem senatus, idem populi Romani animus est. Vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus quamvis egregia invalida sunt. Non ad bellum vos nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Cum vos aspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio quod non potest laudari nisi per-

1. *T.* M^a^. 3. *nũquam* M^a^. 4. *exprobatur* M^a^: G *exprobratur.* *succesore* M^a^. 5. *accersit* GM^a^, non *arcessit.* 7. *dos* cum lin. M^a^. *adversantes* GM^a^, correctum in A et a Pichena. conf. ad c. 1. 9. *quos* M^a^, non Furiae *quod.* *oms* cum lin. M^a^. 14. *inp.* M^a^. *cunctationi* G in quo medium *c* ascriptum: M^a^ *cunctationis.*

alii, G *aegis. et alii* (*ae* per comp.), quae ex nomine *Helii* sine aspirationis nota bis scripto (*elielii* vel *aeliaelii*) nata mihi videntur. Helius ex nequissimis libertis Neroniani principatus et in rapiendo praecipuus, et talis, non obscurus aliquis et parum cognitus, hoc loco requiritur; XIII 1. Suetonius Ner. 23. Dio LXIII 12 et 18—19. Quod restat in codicibus *perierunt*, eius maiorem partem (*ierunt*) incolumem ad nos venisse liquet, priorem autem scripturae compendio vel properata nimis pronuntiatione (*perditierunt* et hinc *perierunt*) mutilatam esse existimo. Iam agnoscitur propria scriptoris manus et consuetudo. Conf. IV 66: *perditum ibat.* 73: *ultum iit.* XII 45: *ultum iturum.* XIII 17: *inlusum isse.* XV 1: *ire ultum volens.* XV 49 et H. I 67: *ultum ibat.* H. II 6: *raptum ire.* IV 1: *raptum ierit.* De Polyclito et Vatinio v. Ind. hist. Pro Medicei *perierunt* codex G *parauerunt* ex manifesto corrigendi studio; Doederlinius coniecit *potuerunt*, ego olim *petiverunt.*

quod vobis nunquam datur et cotidie exprobratur: quomodo et abs quo *exprobratum* est donativum a Nymphidio praetorianis (v. annot. ad c. 5) *promissum?* Ab ipso Galba imperatore, cuius vox vulgata erat, *legi a se militem, non emi;* cf. c. 5 extr.

Cap. 38. *una cohors togata:* togatam dicit in urbe et inter togatos sive cives versantem, non quo ipsa pro sagis militum togas civium gestaverit, ut Lipsius narrat iustis auctoribus destitutus: nam quod Tuscus praefectus praetorii apud Martialem (VI 76) audit *sacri lateris custos Martisque togati*, hinc colligi nequit quod Lipsius pronuntiavit. *Mars togatus* est miles urbanus et pacis ex-

actum.' Aperire deinde armamentarium iussit. Rapta statim arma, sine more et ordine militiae, ut praetorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque, nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator; et praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni maerebant.

39 Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis et vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam et foro adpropinquantem adsecutus erat; iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium redire, alii Capitolium petere, plerique Rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur quorum tempus effugerat. Agitasse Laco ignaro Galba de occidendo Tito Vinio dicitur, sive ut poena eius animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio. Haesi-

6. *mer.* M[a]. 9. *appr.* Or. 11. *peteret* M[a]: G *petere.* 12. *ut quae* M[a]. 13. *quorum* G: M[a] *morum.* 15. *paena* M[a]. 16. *posterum* GM[a]: correxit Rhenanus.

cubiis destinatus. Praetoriani hastas habebant, sed armis ad tegendum corpus plerumque muniti non erant. Hoc respicit Otho, qui alloquitur legionem classicam et praetorianos ex armamentario statim galeas scutaque rapturos.

quis mihi plurimum imputet (*wer mir am meisten in Rechnung zu bringen hat*): h. e. qui opera sua, studiis, labore pro me plurimum contenderit ac proinde summam gratiam et maxima praemia iure a me postulaverit. *Imputare* perinde positum c. 55 et 71 et H. II 60, III 86.

nullus cunctationi locus est: in M[a] *cunctationis* assimilandi aberratione scriptum est. Genitivus cum *loci* nomine iunctus recte se habet, ubi *locus* est pro *occasione*, ut in Livii verbis III 46 et 50 (*locum seditionis quaerere. Ab ipsis datum locum seditionis*), quae vindicando genitivo non apte huc citavit Orellius.

ut praetorianus — distingueretur: negandi vis quae inest praepositioni *sine* pertinet etiam ad verba *ut — distingueretur.* Theodisce convertas *keine Zucht, keine Dienst-Ordnung, so dass man Praetorianer oder Legionaren nach ihren besonderen Waffen hätte unterscheiden können.* Scilicet legionarii non sua *pila* omnes, neque rursus praetoriani suas hastas omnes, sed legionarii hastas, praetoriani pila rapiebant. Haec in armis ad impetum faciendum perturbatio, alia in armis ad corpus tuendum: quippe legionarii praetorianique galeas scutaque auxiliaribus copiis in armamentario reservata passim arripiebant. *Auxiliaribus* dativus est, *galeis scutisque* ablativus.

Cap. 39. *utque evenit in con-*

tationem attulit tempus ac locus, quia initio caedis orto dif-
ficilis modus. Et turbavere consilium trepidi nuntii ac pro-
ximorum diffugia, languentibus omnium studiis qui primo
alacres fidem atque animum ostentaverant. Agebatur huc 40
illuc Galba, vario turbae fluctuantis impulsu, completis un-
dique basilicis ac templis, lugubri prospectu. Neque populi
aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad
omnia aures. Non tumultus, non quies, quale magni
metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen ar-
mari plebem nuntiabatur. Ire praecipites et occupare pericula
iubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum
avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum
inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, pro-
culcato senatu, truces armis, rapidi equis forum inrumpunt.
Nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio
et priores et futuri principes terruere, quo minus facerent
scelus cuius ultor est quisquis successit. Viso comminus ar- 41
matorum agmine, vexillarius comitatae Galbam cohortis (Ati-
lium Vergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbae imaginem

4. *ostentaverint* M^a: correctum inest G. 5. *inp.* M^a. 6. *prospectu* G: M^a *arospectu* vel *trospectu.* distinguere nequivit Baiterus, cum litterae *a* et *t* in hoc codice sibi sint simillimae. 7. *volt.* Or. *converse* M^a. 10. *plebe* M^a. 11. *Vologesen* Beroaldus: M^a *uologaesū*, G *uologesum.* 14. *rapidi* M^a: *rapidis* G. *irr.* Or. 18. *galbae* GM^a: correxit Rhenanus. *adilium* M^a: *attilium* G.

siliis infelicibus, *optima viderentur:* attractionis venia haec scripsit pro *atque, ut evenit in c. inf.*, *optima viderentur*; v. annot. ad O. 34.

proximorum diffugia: feliciter audet et procudit vocabulum a prioribus, ut videtur, non usurpatum, sed recte conformatum; neque *effugia* nec *refugia* sententiae scribentis satis respondebant.

Cap. 40. *completis — templis, lugubri prospectu:* adest spectator populus, ut in ludicro certamine, tristia ac lugubria *prospiciens.* Theodisce convertas *in der Voraussicht auf Trauerscenen.* Forcellinius accipit de *aspectu* et *facie* loci, sed adhuc, h. e. antequam initium caedis factum erat, nihil *lugubre* in eo aspectu et turbae fluctuantis facie aderat. Sic verbum *prospectare* Tacitus admisit VI 48: *prospectare iam se acrius servitium.* Nominis eodem modo positi exemplum ex Tertulliano de Spect. 1 Forcellinius protulit: *ut hoc humano prospectu, non divino praescripto definitum existimetur.* Interpretes h. l. tacent.

populi aut plebis: cf. annot. ad H. I 35, III 58.

Vologesen aut Pacorum: nominat acres et fortes Romanorum

solo adflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus e sella ac provolutus est. Extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii suppliciter interrogasse quid mali meruisset; paucos dies exolvendo donativo deprecatum. Plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur. Non interfuit occidentium quid diceret. De percussore non satis constat. Quidam Terentium evocatum, alii Lecanium; crebrior fama tradidit Camurium quintae decimae legionis militem inpresso gladio iugulum eius hausisse. Ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere; pleraque vulnera feritate et saevitia trunco iam corpori ad-
42 iecta. Titum inde Vinium invasere. De quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum ut occideretur. Quod seu finxit formidine seu conscientiam coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius scele-

3. *Curtii* M^{a}: *curcium* G. 5. *amm.* M^{a}. *variae prodere* M^{a}: correctum in G. 7. *dep̄catum* M^{a}. 8. *re.p.* M^{a}: *e re .p.* G. 13. *faede* M^{a}. 14. *voln.* Or. *sev.* M^{a}. 18. *formi* (in versus fine) *ne* M^{a}: G *formidine.* *conscientia* GM^{a}: correxit Acidalius.

adversarios, alterum aequalem Othonis (cf. Ind. hist.), alterum aevi prioris. Forma *uologaesum* in M^{a} assimilandi errore nata est. Cf. annot. ad XIII 7.

Cap. 41. *extremam eius vocem — donativo deprecatum:* v. Plutarch. Galb. 27. Sueton. Galb. 20. Dio LXIV 6.

inpresso gladio iugulum eius hausisse: dicitur de vulnere alte adacto, quo sanguis hauritur, ideoque apte additum est *inpresso gladio.* Cf. Hom. Il. ξ 517: *διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσεν.* Anonymus poeta apud Aristot. Poet. 21: *χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἀρύσας.* Virg. Aen. II 600: *quos — iam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.* X 314: *huic gladio — latus haurit apertum.* Claudius Quadrigarius apud Gell. IX 13: *Hispanico* (gladio) *pectus hausit.* Hunc imitatus in eiusdem rei descriptione Livius VII 10: *uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit.*

seu conscientiam coniurationis confessus est: amatori varietatis magis convenit *conscientiam*, ut Acidalius restituit pro *conscientia*, id quod me iudice ex *conscientiā* ducit originem: nam sic e verbo *confessus est* pendet obiectum *conscientiam*, ut ex *finxit* suspensum est *quod:* hoc enim quo minus etiam cum altero verbo *confessus est* iungeret, et altero *seu* et exi-

ris fuerit cuius causa erat. Ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem, mox ab Iulio Caro legionario milite in utrumque latus transverberatus. Insignem illa die virum 43
Sempronium Densum aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu modo voce vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus, non religione nec caerimoniis sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere missu Othonis, nominatim in caedem eius ardentes, Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius

2. *cario* GM[a] : tacite correxit Rhenanus, non Beroaldus, ut narrat Waltherus. 4. *his* M[a]: G *is.* 5. *a Galbae custodiaet a Pisonis* M[a]: correxit Lipsius. *custodiae tum* coni. Doederlinius. 8. *vuln.* M[a], non *voln.* *eade* M[a]: G *aedem.* 10. *cer.* M[a]. 11. *missu* GM[a], *iussu* B. 12. *britt.* M[a]. 13. *Galba* M[a]: *a galba* G.

guo vocis (*quod*) pondere prohiberi potuit. Neque alibi eiusmodi ablativum iunctum apud Tacitum inveni cum verbis *confiteri* et *profiteri* et *fateri*. Sic etiam Plutarchus in exemplo suo Taciti videtur legisse, qui in Galba 27: *ἀπεσφάττετο δὲ καὶ Οὐίριος ὁμολογῶν κοινωνὸς γεγονέναι τῆς ἐπὶ τὸν Γάλβαν συνωμοσίας* (*confessus conscientiam coniurationis*).

cuius causa erat: ipse Galbam contemptum et invisum reddiderat, spes Othonis foverat; conf. c. 6 et 13.

ante aedem divi Iulii: ea aedes in foro Romano, ubi corpus Iulii Caesaris concrematum erat; v. Dio XLVII 18, LI 19. Appianus Civil. II 148. Ovidius Metam. XV 841, ex Ponto II 2 85. Becker A. R. t. I p. 335 sq. *primo ictu in poplitem:* in poplitem vulnerantur ignavi et fugientes, fortes et audaces *adversa vulnera* ferunt. Horatius Carm. III 2 14: *mors et fugacem persequitur virum, nec parcit imbellis iuventae poplitibus timidove tergo.*

Cap. 43. *insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit:* laudant eundem Plutarchus in Galba c. 27 et Dio apud Xiphilinum LXIV 6, sed illi Sempronium Galbae, non Pisonis, custodem et defensorem faciunt. Plutarchus non minus quam hic noster Densi facinus admiratus scribit *ὃν μόνον ἥλιος ἐπεῖδεν ἐν μυριάσι τοσαύταις ἄξιον τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας.* Tacitus aptum et gravem transitum ad successorem imperii eiusque sortem iam narrandam his illatis adipiscitur; simul significavit insignium virorum magnam tunc fuisse inopiam.

non religione nec caerimoniis: h. e. non religione caerimoniarum.

nominatim in caedem eius ardentes: Florus et Murcus Pisonis caedem sibi demandandam ab Othone postulaverant novi principis favorem ambientes: hoc est illud

Murcus speculator; a quibus protractus Piso in foribus templi
44 trucidatur. Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis immitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat. Praefixa contis capita gestabantur, inter signa cohortium, iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus; qui occiderant qui interfuerant, qui vere qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus iactabant. Plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit; omnesque conquiri et interfici iussit, non honore Galbae, sed

2. *trucidatus* Mª: *trucidatur* G. 3. *capud* Mª. 4. *vagare* Mª: G *uacare.* 5. *ceperat* Mª. 6. *inm.* Mª. *imaginẽ* Mª. 7. *emuli* Mª. 8. *pref.* Mª. 10. *quiue uere* GMª: correxit Lipsius ex libro Covarruviàe et Romano codice, ut dicit. 12. *centum viginti* Mª, *CXX.* G, *centum et viginti* A. 13. *uetellius* Mª.

nominatim in caedem eius ardentes. Heinsii coniectura *ardentis*, quamvis approbata a Doederlinio, reiicienda est, quia *nominatim in caedem alicuius ardere* de solo caedis voto dici nequit, sed de iis qui ipsi facinus patrare student.

e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus: civitatem Galba donavit, dum Florum ex sociali militia recepit in cohortem legionariam; iste in numeris fuit e militia Britannica delectis, de quibus v. cap. 6.

Cap. 44. *vacare gaudio:* vitium libri Mª *vagare* ex antiqua scriptura VAGARE pro VACARE in recentiorem mutata duxit originem. Moneo ne quis Bachium imitetur.

inter signa cohortium, iuxta aquilam legionis: dicit signa novem cohortium praetoriarum, in quorum quoque imago Caesaris imperantis (cf. c. 41), tum aquilam legionis classicae, quae statim adiuncta sacramentum Othonis acceperat (c. 31 et 36), non legionis Hispanicae, ut opinatur Doederlinius. Hispanica ante ortam seditionem remissa est, ut inde colligi licet quod nullae partes eius fuere in rebus tunc peractis.

manus; qui: recte Doederlinius: 'haec diremi; nam qui interfuerant tantum, cruentas manus non ostentabant'. Idem *falso* refert ad solum *occiderant;* verborum collocatio suadet, ut tam cum *occiderant* quam *interfuerant* iungatur: alii rem fecisse, alii extitisse duces et auctores, nonnulli vere, alii falso gloriabantur. In scriptura Mª *quiue uere* syllaba *ue* geminata est scribentis imprudentia.

praemium exposcentium: praemium Graece est *δωρεάν τινα*, alius aliud, prout quisque operam praestiterat. Frustra Puteolanus interpolavit *praemia.*

tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

Alium crederes senatum, alium populum. Ruere cuncti 45
in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum; quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque ad supplicium expostulabant, industriae eius innocentiaeque quasi malis artibus infensi. Caedis et praedarum initium et optimo cuique perniciem quaeri apparebat. Sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: iubere iam poterat. Ita simulatione irae vinciri iussum, et maiores poenas daturum adfirmans, praesenti exitio subtraxit. Omnia deinde arbitrio militum acta. Praetorii 46
praefectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum et incolumi adhuc Galba

4. *antehire* M^a. 8. *vultuque* M^a, non *volt.* 9. *celso* M^a. *consulem* (in versus fine) *signatum* M^a: correctum in G. 10. *ad* om M^a: inest G 11. *innocentiae quae* M^a. 14. *scaelus* M^a. 15. *paenas* M^a. *praesentiti* M^a. *exilio* M^a: utrumque correctum in G.

sed tradito principibus more, munimentum — ultionem: 'ut solent principes punire omnes interfectores principum, quo et ipsi in praesens sint ab insidiis huiusmodi tutiores, et successori exemplum ulciscendi, si quid ipsis contigerit, praebeant'. I. Fr. Gronovius. Exemplum praeiverant triumviri Caesaris interfectores punientes (Dio XLVII 18), Claudius et Cassium Chaeream et plures ex coniuratis in Gaium intercimendo (Sueton. Claud. 11. Dio LX 3); secutus est Domitianus (Sueton. Domit. 14). Apte Lipsius attulit II. I 40: *fecere scelus cuius ultor est quisquis successit*, atque Sophocl. Oed. tyr. 139: ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον (Laium) ὁ κτανών, τάχ᾽ ἂν κἄμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι. κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ. Eandem hanc rem narrat Sueton. Vitell. 10. De structura loci in annotat. ad I 27 dictum.

Cap. 45. *et maiores poenas daturum adfirmans*: particula *et* abesse poterat, sed inservit explicationi, ut apud Germanos *und zwar*. Sententia est *Celsum praesenti exitio subtraxit*, *et subtraxit quidem maiores poenas daturum adfirmans*. Doederlinius *et* pro *etiam* accepit, Madvigius ad Cic. Fin. p. 817: 'expectabatur aut: *iubens et adfirmans* aut: *iussum — adfirmans*, *subtraxit*, sine *et*'.

praesenti exitio subtraxit: praesens exitium est id, quo ne statim afficeretur Celsus periculum erat. Nomen *praesens* respicit verba *maiores poenas daturum adfir-*

partes Othonis secutum. Adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus consilia eius fovisse. Urbi Flavium Sabinum praefecere, iudicium Neronis secuti, sub quo eandem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur. Namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat. Quarta pars manipuli sparsa per commeatus aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exolveret, neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat. Per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret. Ubi sumptibus exhaustus socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo in manipulum redibat; ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias et ad extremum in bella civilia ruebant. Sed Otho ne vulgi largitione cen-

2. *suspecta* M^a: G *suspectus*. 3. *sauinum* M^a. 6. *nanque* M^a. 7. *manipulis pars per* GM^a: correxit Pichena. 12. *sev.* M^a. *va* (in versus fine) *tionem* M^a : G *uacationem*. 17. *in bella* Heinsius: codices *bella*., *volgi* Or.

mans, quae *futurum* eius exitium promittunt. Eadem qua Otho arte usus est Vitellius, ut post relatum legimus c. 58.

Cap. 46. *ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur:* in unis Historiis, hoc loco et infra c. 58 *vacationes* pro pretio vacationum dixit. De eo onere invidioso queruntur milites in Pannonia Tiberio principe (I 17): *hinc* (denis in diem assibus) *saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi.* Adde I 35: *indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii — incusant.*

tum locupletissimus quisque: aliam causam adiungit et abusum, quo ad commeatus emendos milites impellerentur. Nimirum pauperes ut pecuniam vacationum pararent, interim latrocinia et raptus ausi sunt aut servilia ministeria sustinebant, locupletes fortunas suas effundebant et effundere cogebantur a centurionibus vacationes munerum importune offerentibus.

in bella civilia: in Heinsio suadente addidi, Bekkerus et alii praepositionem duce M^a omiserunt. Sed quamvis praepositio semel posita ante nomina subsequentia a Tacito aliquando non repetatur, de quo dictum ad XII 24, nunc tamen ex proximis *ad seditiones et discordias* suppleri *ad* non potest, quia eadem praepositio alio significatu praecedit in verbis *ad extremum.* Quod cum ita sit, voculam *in*, quae sine puncto in M^a scribi solet (*ın* = *m*), post *extremum* intercidisse statuo. Et gratior magisque ad morem Taciti varietatem sectantis hoc, ruere *ad* seditiones et discordias, deinde *in* bella civilia.

turionum animos averteret, fiscum suum vacationes annuas exoluturum promisit, rem haud dubie utilem, et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus; in Marcianum Icelum ut in libertum palam animadversum.

Exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia. **47** Vocat senatum praetor urbanus; certant adulationibus ceteri magistratus. Accurrunt patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores, adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quae promisce iacta haesisse animo eius nemo sensit. Omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento adhuc foro, per stragem iacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, Titum Vinium Crispina filia composuere, quaesitis

1. *et fiscum* M^{a}: correxit Iac. Gronovius ante quem erat *ex fisco suo*. 2. *exs.* Or. *dubiae* M^{a}. 4. *evocatoque ad* M^{a}: correctum in G. 8. *vacat* M^{a}. 9. *adc.* M^{a}. 11. *promisce* M^{a}: G *promiscue*. 12. *omisisse tot* (non Furiae *aut*) *fensas* M^{a}: correctum in G. 14. *strage* M^{a}: *stragem* AC, *strages* BG. 16. *frs* cum lin. M^{a}: *frater* G. 17. *ques.* M^{a}.

fiscum suum: *suum* addit respiciens militare aerarium, quod huic oneri ferendo impar erat.

ut in libertum: ut qui nihil erat nisi libertus Galbae, quamquam immodico favore ad dignitatem equestrem evectus. Cf. c. 13: *nec minor gratia Icelo Galbae liberto*. Frustra *ut in libertinum* requirebat Ernestius.

Cap. 47. *vocat senatum praetor urbanus*: is post consules modo trucidatos summus magistratus in urbe. Cf. Cic. ad Fam. X 12: *placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbanum litteras deferremus; qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum.*

tribunicia potestas: cf. III 56 et annotat. ad I 2.

Pisonem Verania uxor cet.: cf. Plutarch. Galb. 28: *ταῖς δὲ κεφαλαῖς ὡς οὐδὲν εἶχον ἔτι χρῆσθαι, τὴν μὲν Οὐινίου τῇ θυγατρὶ δισχιλίων καὶ πεντακοσίων δραχμῶν ἀπέδοντο, τὴν δὲ Πείσωνος ἡ γυνὴ ἔλαβεν Οὐερανία δεηθεῖσα, τὴν δὲ Γάλβα τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐιτελλίου δούλοις ἐδωρήσαντο.* De Verania memorabilia tradidit Plinius in Epist. II 20.

Cap. 48. *fratres eius — interfecerant*: v. annotat. ad H. I 14. De fratre Pisonis superstite et natu maiore, cui nomen Crassus Scribonianus, cf. H. I 15, IV 39 cum annotatione.

redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant.
48 Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, fama meliore quam fortuna. Fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant. Ipse diu exul, quatriduo Caesar, properata adoptione ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur. Titus Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit. Pater illi praetoria familia, maternus avus e proscriptis. Prima militia infamis legatum Calvisium Sabinum habuerat, cuius uxor mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temerasset, in ipsis principiis stuprum ausa est. Criminis huius reus Titus Vinius arguebatur. Igitur iussu Gai Caesaris oneratus catenis, mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso legioni post praeturam praepositus probatusque, servili deinceps probro respersus est tamquam scyphum aureum in con-

2. *etatis* Mª. 4. *exui* Mª: G *exul. quadriduo* Mª. 6. *quinquaginta septem* Mª, *XLVII.* G et Oxonienses. 7. *praetoria* Mª, *e praetoria* G. 11. *temperasset* GMª: correxit Rhenanus. 12. *ausa est* editor: codices et vulgo *ausa; et.* 13. *G.* Mª.

maternus avus e proscriptis: Titum Vinium quendam a triumviris Bruti et Cassii partes persequentibus rara fide nec minore astu a coniuge Tanusia conservatum tradit Dio XLVII 7. Huius nomen Vinius, cui paternum aliud nobis incognitum, assumpserat, ut probabiliter suspicatus est Lipsius.

cum vigilias et cetera militiae munia — temerasset: codicum forma *temperasset,* servata a Walthero et Bachio, quin corrupta sit cum dubitari nequeat a peritis linguae Latinae, hoc quaeritur utrum *temerasset* an *temptasset* praeferendum sit. Quod si *temptasset* legemus, *vigiliae* erunt vigiles castrorum a muliere tentati vel explorati, non vigiliarum horae noctis tempore in castris obiri solitae, iamque non convenit proximum nomen *militiae munia,* pro quibus *ministros militiae* vel simile nomen desideraremus. Probandum igitur *temerasset,* h. e. sanctitatem et castitatem disciplinae castrensis polluisset. Waltherus suum *temperare* explicat *moderari, regere.* Sed *temperare* cum significet ita rem regere ut iustis finibus contineatur, *lascivia aliquid temperare* Latine dici nequit. Littera *p* addita est, quia in multis verborum formis post *m* adiungi *p* solet, ut in *sumpsi, prompsi, sumptus, promptus, emptus* cet.

in ipsis principiis stuprum ausa est: verbum *est* utique necessarium in enuntiato secundario, *cuius uxor — stuprum ausa est,* in Mª et ceteris libris inde pendentibus delituit in proxima particula *et,* dum scriba compendium *ē.* reddit *et* pro *est.* Quod scriptum *stu-*

vivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium
Vinio fictilibus ministrari iussit. Sed Vinius proconsulatu
Galliam Narbonensem severe integreque rexit. Mox Galbae
amicitia in abruptum tractus, audax callidus, promptus et,
prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi.
Testamentum Titi Vinii magnitudine opum inritum; Pisonis
supremam voluntatem paupertas firmavit. Galbae corpus diu 49
neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum
dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in
privatis eius hortis contexit. Caput per lixas calonesque suf-
fixum laceratumque, ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis
punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cre-
mato iam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Servius
Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera
fortuna emensus, et alieno imperio felicior quam suo. Vetus
in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium,

1. *dies solionnium* M^a, *die soli omnia* G. 3. *seuerie* M^a. 4. *calidus* M^a: emendatum in G. 6. *uini* M^a. 7. *sup̄ma* M^a. 10. *capud* M^a. 11. *his* M^a: G *is*.

prum ausa est, non *passa est*, significat uxorem Calvisii non tam petitam esse ab adultero quam ipsam petivisse. Rem narrat etiam Plutarchus in Galba 12. Calvisius et uxor puniti sunt principe Tiberio (Dio LIX 18).

et Claudius — ministrari iussit: hoc additum, ut probrum aliquo argumento probaretur; *et* nunc fere idem quod *et sane*, ut saepe apud Tacitum in principio novi enuntiati.

proconsulatu — rexit: unicum in Taciti libris hoc est exemplum, ut proconsulatu rexisse provinciam quis dicatur, neque satis scio, num alius hoc ausus sit. Apud Tacitum *pro consule* fuisse puto, ut cap. 49 *pro consule Africam moderate — continuit*, et hinc factum esse *proconsulatu* ex compendio PR. COS perperam soluto.

Cap. 49. *e prioribus servis:* cum Galba occidebatur, Argius *libertus* erat, olim ab hoc manumissus; vid. Plutarch. Galb. 28, ubi Ἀργεῖος ἀπελεύθερος.

caput per lixas calonesque: cf. Suetonius Galb. 20. Dio LXIV 6. Plutarchus in Galba 28: τὴν δὲ Γάλβα (κεφαλὴν) τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐιτελλίου δούλοις ἐδωρήσαντο. λαβόντες δ' ἐκεῖνοι καὶ πάντα τρόπον αἰκισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες ἔρριψαν ἧ τοὺς ὑπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσιν· ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται. Corrige cum Beckero A. R. I p. 556 Σεσσώριον pro Σηστέρτιον. Ille locus erat in campo Esquilino (cf. II 32, XV 60 cum annotationibus), ibique Galba Patrobium servili supplicio affecerat. *Lixae* et *calones* quomodo differant expositum ad H. II 87.

tribus et septuaginta annis: Sueton. Galba 23: *periit tertio et septuagesimo aetatis anno*. Cf. idem

magis extra vitia quam cum virtutibus. Famae nec incuriosus nec venditator. Pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. Pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

50 Trepidam urbem, ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem, novus insuper de Vitellio nuntius exterruit, ante caedem Galbae suppressus, ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur. Tum duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quisque aliqua pars et cura rei pub-

1. *magis* G: M^a *magnis*. *vitia* M^a, non Furiae *vicia*. 4. *rephensione* M^a. 6. *obtentui* M^a (non *obtinui*): *obtinuit* G. 14. *exercitūs* M^a, *exercitū* G. 15. *inp.* M^a. 16. *uelud* M^a. *perdendum* GM^a, *partiendum* B. 17. *quisque* editor: codices *quis*. *rei.p.* M^a.

in Ner. 40. Dio LXIV 6 *ἔζησε δὲ Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα.* Dio annos numeravit quos Galba explevit, partem anni 73 ab eodem transactam omisit. Ceterum Suetonius in Galb. 4 dissentit a se ipse, dum Galbam M. Valerio Messala et Cn. Lentulo consulibus, h. e. anno 751 ab u., natum tradit. Scilicet in hac re alium, sed in tradenda Galbae caede Tacitum in primis auctorem secutus est. Certe in iis quae de capite Galbae narrat (c. 20) et '*lixas calonesque*' et locutionem '*in privatis eius hortis*' habet plane ut Tacitus hoc capite 49.

obtentui: vid. annotat. ad H. II 14. Ut qualis ille *obtentus* fuerit declararet hic noster, adiecit *ut — vocaretur*. Pertinent haec ad tempora principatum Galbae antecedentia: homines dictitabant et putabant, cum Galbam sub Tiberio et Gaio et Claudio ac Nerone parum prompte agere viderent, consulto id fieri illumque vim suam compescere ne increscereret: tali enim viro prae ceteris sub malo principe metuendum esse.

apud Germanias: cf. Sueton. Galb. 6. Plutarch. Galb. 3. Dio LX 8 in rebus anni 794: *τούτῳ τῷ ἔτει ὁ Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους ἐκράτησε*, unde edocemur Galbam praefuisse Germaniae superiori. *Africam:* Sueton. 7. Plutarch. 3.

iam senior: Sueton. 8: *prope ad medium Neronis principatum in secessu plurimum vixit, — donec Hispania Tarraconensis* (citerior) *oblata est*.

Cap. 50. *quisque aliqua pars et cura rei publicae:* haec post patres et equites proximam urbis Romae ci-

licae, sed vulgus quoque palam maerere. Nec iam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam Philippos, et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. Prope eversum orbem etiam cum de principatu inter bonos certaretur; sed mansisse Gaio Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium; mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam. Nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? Utrasque impias preces, utraque detestanda vota, inter duos quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. Erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur. Et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama; solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam. Caeso 51
cum omnibus copiis Iulio Vindice, ferox praeda gloriaque

1. *volg.* Or. *mer.* Mª. 3. *exercitibus* GMª, *civibus* B. 4. *pars aliam* Mª: G *pharsaliam.* *persiam* Mª: G *perusiam.* 5. *claudium* Mª: G *cladium.* 7. *G.* Mª. 9. *rem.p.* Mª. *templo* Mª: G *templa.* 10. *p̄ces* Mª. 15. *Imelius* Mª: G *in melius.* *mu* (in versus fine) *tus* Mª: G *mutatus.*

vium partem denotant, sive eos quos alibi (H. I 4) populi partem integram Tacitus appellavit: *vulgus* statim commemoratum est *plebs sordida.* Cf. ad H. I 35. Quominus haec de ipsis patribus equitibusque dicta esse statuamus, impedit quod illis non *aliqua* pars erat et cura rei publicae, sed longe maxima. Verum haec sententia falsa et prava legenti suggeritur a vulgata *quis aliqua pars:* sic enim *quis* relativum est suspensum e vocabulis *senatus* et *eques.* Cuius incommodi vitandi gratia Tacitus haud dubie particulam *que* adiecit, omissam a scriba codicis Mª, quod is compendium (q;) neglexit aut celeri pronuntiatione eam particulam ante proximam vocem *aliqua* non animadvertit.

Pharsaliam Philippos, et Perusiam ac Mutinam, nota: et nunc adaugendi potestatem habet eoque comma ante posui. Componuntur duo nomina *ἀσυνδέτως* posita (*Pharsaliam Philippos*) cum duobus per particulam iunctis (*Perusiam ac Mutinam*), de quo v. annotat. ad XI 6 et ad H. I 70. *Pharsaliam* cum *Philippis*, ut *Perusiam* cum *Mutina* interno quodam vinculo ut bina paria cohaerere et a se invicem discreta consistere patet: nam Pharsalia et Philippi ea loca sunt, in quibus rem publicam tuentes adversus eos, qui imperium sive regnum vellent pugnaverunt, Pompeius adversus Caesarem, Brutus et Cassius contra Octavianum et Antonium. Sed Mutinae Perusiaeque imperii assertores sesse ipsi

exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat. Diu infructuosam et asperam militiam toleraverant ingenio loci caelique et severitate disciplinae, quam in pace inexorabilem discordiae civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus et perfidia impunita. Viri arma equi ad usum et ad dedecus supererant. Sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant; exercitus finibus provinciarum discernebantur. Tum adversus Vindicem contractae legiones, seque et Gallias expertae, quaerere rursum arma novasque discordias; nec socios, ut olim, sed hostes et victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quae Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversum Galbianos: hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Aeduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi, expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo, super avaritiam et adrogantiam, praecipua validiorum vitia, contumacia Gallorum in-

3. *mallebat* M^a^. *toleraverant* M^a^: *toleraverat* G et Oxonienses. 6. *inp.* M^a^. 7. *dedecus* M^a^: G *decus*. 9. *confractae* GM^a^: tacite correxit Rhenanus. 10. *quer.* M^a^. *rursũs* M^a^, *rursus* G. 12. *qua herenum* M^a^: *que rhenum* G. 13. *adversũ* M^a^, *adversus* G. 17. *paen.* M^a^. *arr.* M^a^.

petiverunt, Octavianus M. Antonium Mutinae (a. 711), idem L. Antonium et Fulviam, fratrem et uxorem M. Antonii, Perusiae (a. 713 et 714). Ex his simul causa perspicitur, cur proelium Philippense, quamvis tempore posterius (a. 712), ante Mutinense memoretur.

ambigua de Vespasiano fama: famosum invisumque in Africa proconsulatum gesserat: II. II 97. Hinc Ausonius Tetrast. 10: *olim qui dubiam privato in tempore famam, rarum aliis, princeps transtulit in melius.*

Cap. 51. *Caeso — Vindice:* cf. Dio apud Xiphil. LXIII 22—24. Suetonius Ner. 40 sqq. Plutarchus Galba 4—6. *ferox praeda gloriaque exercitus* legiones sunt Germaniae superioris et inferioris. Cf. Dio LXIII 25.

expeditionem et aciem: ex subsequente *malebat* verbum his nominibus aptum *volebat* intelligendum est. Lipsius scribendum coniecit *expeditionem quam otium*, variationis a Tacito tantopere adamatae oblitus, ac Waltherus alioqui traditae lectionis nimis retinens Lipsium improvide secutus est.

ad usum et ad dedecus supererant: scribere potuit *ad usum et ad abusum*, sed haec cum nimis vulgaria viderentur, substituit *ad dedecus*, h. e. ad seditionem suscipiendam et cives trucidandos. *Usum* intellexit iustum armorum

with the Latin suffrage — some think also with lands —

ritati, qui remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in ignominiam exercitus iactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti. Undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia et, pertinaci pro Nerone fide, fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio metu, et ubi vires suas respexerant, securitate.
Sub ipsas superioris anni kalendas Decembres Aulus Vitellius 52
inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur. Et ut Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes

2. *publicae* Ma. 4. *quenque* Ma. 5. *lugdonensis* Ma. 6. *facunda* Ma: correctum in G. 9. *ipsa* Ma: G *ipsas*. *Kl. dec.* cum lin. transversis in *l* et *d* Ma. 11. *adlevate note* Ma. 13. *sordes* editor: Ma *sorde*, G *sordē*. *fontei* GMa, non *Fonteii*. *adsignandis suae* Ma: G *assignandis ue*. 15. *et ut* Rhenanus: Ma et ceteri *et*.

exercitusque usum, cum hostes vincuntur. Doederlinius et Orellius quamvis admoniti testem infidum (codicem G) et interpolatam scripturam *decus* secuti sunt.

et publice donatos: haec per ἐπεξήγησιν adduntur post praegressa *remissam sibi a Galba quartam tributorum partem*. De *dono Romanae civitatis* (vid. c. 8) non cogitandum est, minus etiam de finibus Treviris ac Lingonibus ademptis (v. cap. 53): hos enim Sequanis Aeduisque datos esse unde probabimus?

pertinaci pro Nerone fide: Nero cladem Lugdunensem (incendio illatam) *quadragies sestertio solatus est* a. 65 = 818. Conf. XVI 13. H. I 65.

Cap. 52. *cum cura*: hoc est ita ut commoda militum cum cura (*mit sorgfältiger Theilnahme*) respiceret. Mire Doederlinius interpretatur *cum imperio*.

sordes et avaritiam — mutaverat: vulgo Medicei *sorde* resolvunt *sordem*, cum *sordē*, ut in ἀρχετύπῳ fuisse verisimile est, plerumque *sordem*, rarius *sordes* valeat. Sed *sordes* scribendum esse usus Taciti et Latinus probat: numerus enim multitudinis in translata nominis significatione Latinis constanter placuit, dum in propria etiam singularis admittitur. Sic infra c. 60: *per avaritiam ac sordes contemptus exercitui* in Ma perinde (*sorde*) peccatum. Omnino singularis numeri positionem Tacitus nunquam usurpavit (v. IV 52, VI 8, XII 59. H. I 84. O. 12 et 21), in *tenacitate* autem nemo Latinus quod sciam id ausus est. Horatius Serm. I 6 68: *si neque avaritiam neque sordes aut mala*

in the eagerness of his partisans for power

vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena; simul aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui. Sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum, Alienus Caecina et Fabius Valens; e quibus Valens infensus Galbae tamquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, ardorem militum ostentans. Ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram; adfore Britanniam, secutura Germanorum auxilia; male fidas provincias, precarium seni imperium et brevi transiturum. Panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret. Merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, imparem, si recepisset imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris et im-

5. *et* (in versus fine) *bius* Ma: G *et Fabius.* 8. *oblentans* Ma: correctum in G. 9. *nulla* Ma. 10. *britt* Ma. *malae* Ma. 11. *p̄carium* Ma. 12. *fortuna* superscr. *e* Ma. 13. *inp.* Ma. 14. *titum* Ma: *tutum* G. 15. *inp.* Ma.

lustra obiiciet vere quisquam mihi. Ibid. 107: *obiiciet nemo sordes mihi quas tibi, Tulli.* II 5 105: *sepulcrum permissum arbitrio sine sordibus extrue.* Eodem modo saepius in Ma peccatum, velut II. 1 54 *in legione* pro *in legiones.*

et ut Vitellius apud severos humilis, ita comitatem: particulam VT ante VITELLIVS omissam sollerter explevit Rhenanus. *Apud severos* est iudicio hominum severe existimantium. Catullus 5 2: *rumoresque senum severiorum omnes unius aestimemus assis;* 27 5: *at vos quo lubet hinc abite, lymphae, vini pernicies, et ad severos migrate.* Verba *ita comitatem — vocabant* paululum contraxit pro *ita comitatem faventes laudabant bonitatemque vocabant.* Ceterum Vitellius sua *donavit* ut privatus, aliena *largitus est* ut magistratus. Alterum Germani dicimus *verschenken*, alterum *spenden.* Cf. Sueton. Vit. 7: *tota via caligatorum quoque militum obvios exosculans, perque stabula ac diversoria mulionibus praeter modum comis, ut mane singulos anne ientassent sciscitaretur, seque fecisse ructu quoque ostentaret.*

simul aviditate imperandi — interpretabantur: ut ipsi imperii munia pro principe obirent, huius inertiam lenitatem, ventris et gulae cupidinem iucundum animum interpretabantur: nam de his vitiis nunc Tacitus cogitat, et qui interpretabantur prae ceteris erant Fabius Valens et Alienus Caecina.

Verginii cunctationem: ad infamandum apud Galbam Verginium ad illum detulerat, cunctari et dubitare hunc, susciperet imperium an recusaret.

collegium Caesaris: pater Lucius Vitellius ter consul fuerat, bis cum Claudio Caesare, item censura cum Claudio functus est; vid. Suet. Vitell. 2. Tacit. XII 4. *Caesaris* indefinite dictum est.

ponere iampridem imperatoris dignationem et auferre privati
securitatem. Quatiebatur his segne ingenium, ut concupi- 53
sceret magis quam ut speraret. At in superiore Germania
Caecina decora iuventa, corpore ingens, animi immodicus,
scito sermone, erecto incessu studia militum inlexerat. Hunc
iuvenem Galba, quaestorem in Baetica, impigre in partes suas
transgressum legioni praeposuit; mox compertum publicam
pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari iussit. Caecina
aegre passus miscere cuncta et privata vulnera rei publicae
malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discor-
diae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat,
nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam, atque in eo
ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat.
Et Treviri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edi-
ctis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum
propius miscentur; unde seditiosa colloquia, et inter paganos
corruptior miles, et in Verginium favor cuicumque alii profu-
turus. Miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legio- 54
nibus, dextras, hospitii insigne. Legati eorum in squalorem

3. *ad.* M^a^. 4. *decorj* M^a^, fortasse *decor;* i. e. *decorus*. *inm.* M^a^. 5. *cito* GM^a^: correxit Lipsius. 6. *quest.* M^a^. *inp.* M^a^. 9. *egre* M^a^. *voln.* Or. *rei.p.* M^a^. 12. *galba* M^a^: *galbā* G. 13. *inferioribus* M^a^, corr. *is* ab eadem, ut videtur, manu. 14. *Treveri* Or. cf. ad 3 42. 17. *uergenium* M^a^. *fabor* M^a^.

Theodisce verte *die Amtsgenossenschaft mit einem Caesar.* Ceterum praeclare Tacitus pinxit vanitatem et impudentiam Valentis, postponentis Verginii virtutes et alacrem animum impudici Vitellii nobilitati et segnitiae.

Cap. 53. *scito sermone*: quod ante Lipsium erat *cito sermone*, id parum aptum videtur ad militum studia illicienda: nam *cito sermone* (*rasche* sive *rasch vorübergehende Unterhaltung*) qui utitur, milites a se avertere potius quam allicere solet, dum pauca locutus adeuntes remittit. *Citus* enim *sermo* neque eloquentiae celeritatem neque idem quod *promptus sermo* (H. II 86) denotat, sed sermo est qui cito absolvitur. Verum *scitus sermo* aliquam suaviter loquendi facultatem indicat, ut est apud Ciceronem de N. D. I 33 93: *meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est? Scito illa quidem sermone et Attico, sed tamen* cet. In Taciti verbis littera *s* omissa, quod eadem proxime (*immodicus*) antecedit. Fortunae dotes in Caecina eiusmodi erant, ut vulgum magis movere quam prudentes tenere possent; apte igitur Tacitus de eo *studia militum inlexerat:* scilicet illiciuntur imprudentes et incauti.

vexillis inferioris Germaniae: dicit numeros inferioris exercitus qui remanserant in hibernis ad ri-

maestitiamque compositi, per principia per contubernia modo suas iniurias modo vicinarum civitatium praemia, et ubi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula et contumelias conquerentes accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. Inde atrox rumor, adfirmantibus plerisque interfectos, ac nisi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum et praesentia conquesti per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur. Obstringuntur inter se tacito foedere legiones. Adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus tamquam circumdatis cohortibus alisque impetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos consensu ad bellum
55 quam in pace ad concordiam. Inferioris tamen Germaniae legiones sollemni kalendarum Ianuariarum sacramento pro Galba adactae, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus, ceteri silentio proximi cuiusque audaciam expectantes, insita mortalibus natura, propere sequi quae piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. Primani

1. *mest.* M^a^. *modo in suas* M^a^: correctum inest G. 8. *pres.* M^a^. 10. *faed.* M^a^. 12. *legione* M^a^. 15. *Kl.* cum lin. transversa in litt. *l* M^a^. 18. *pigit* M^a^.

pam tuendam adversus barbarorum incursus, cum robur legionum et superioris et inferioris provinciae adversus Vindicem Vesontionem profectum est. Numeri illi promptius Galbae sacramentum acceperant, dum ipsae legiones cum Verginio cunctantur, donec nuntius occisi Neronis dubitationem exemit.

Cap. 54. *dextras, hospitii insigne*: cf. H. II 8. Xenophon Anab. II 4 1: *δεξιὰς παρὰ βασιλέως ἔφερον*. Idem Ages. c. 3 §. 4. Tribus superioris exercitus legionibus tres dextras argento factas oblatas esse statuendum ob additum *dona legionibus*. Visuntur tales in nummis apud Akermanum p. 106.

ac nisi ipsi consulerent: consulere absolute h. l. positum non valet *sibi consulere*, sed *inire* vel *expedire consilium* (*Rath schaffen*), quo ingruentia mala averterentur.

Cap. 55. *sollemni sacramento:* sacramentum iam ante in verba Galbae factum kalendis Ianuariis quotannis repetere apud legiones moris fuisse hinc discimus. Simile quid in urbe apud patres fiebat; cf. annot. ad XVI 22. *Adigi pro Galba* idem valet atque *adigi in verba G.*, ut est I 34. H. II 73, IV 61 et 70. Semel adeo simpliciter *adigere* posuit pro *adigere ad sacramentum*, ita tamen ut ex adiunctis verus intellectus appareat, H. IV 15: *barbaro ritu et patriis execrationibus universos adigit.* Vel

quintanique turbidi adeo ut quidam saxa in Galbae imagines
iecerint: quinta decuma ac sexta decuma legiones nihil ultra
fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant.
At in superiore exercitu quarta ac duoetvicesima legiones,
isdem hibernis tendentes, ipso kalendarum Ianuariarum die
rumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duoetvice-
sima cunctanter, mox consensu. Ac ne reverentiam imperii
exuere viderentur, senatus populique Romani oblitterata iam
nomina sacramento advocabant, nullo legatorum tribunorumve
pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius tur-
bantibus. Non tamen quisquam in modum contionis aut e
suggestu locutus. Neque enim erat adhuc cui imputaretur.
Spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus ade- 56
rat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohor-
tari bonos ausus, sed segnis pavidus, et socordia innocens.

2. *nichil* M[a]. 3. *fremitu* M[a]. 4. *superiore* M[a], non *superiori*. *duoetvicesima* M[a]: *duodev.* BG. cf. ad c. 18. 5. *hisdem* M[a]. *Kl.* cum lin. transv. M[a]. 6. *rumpunt* editor: M[a] *dirrumpunt.* *promptus* M[a]: G *promptius.* *duoetvicensima* M[a]. 8. *obliterata* M[a]. 9. *sacramenta* GM[a]: *sacramento* AC. 11. *aut e suggestu* editor: M[a] *aut suggestu*, Groslotius *e suggestu.* 12. *inp.* M[a]. 14. *cohartari* M[a].

haec verba ostendent *solemni sacramento* sextum casum esse, non tertium, quod credidit Doederlinius.

rumpunt imagines Galbae: libri Medicei *dirrumpunt* ortum ex proximo nomine *die* repetito et perperam applicato. Inde quod fecerunt interpolati libri, *dirumpunt*, hoc est in duas partes rumpere (*zersprengen*), non aptum ceterae loci sententiae. Nam militibus non *diffindere* Galbae imagines cordi tunc erat, sed *rumpere* de vexillis, ut Galbam desisse imperatorem significarent; cf. H. I 41. Cui notioni servit *rumpere*, verbum paulo fortius quam *deripere* et a Tacito saepe admissum pro formis compositis, ut II 17: *illa rupturus* (= *perrupturus*). H. V 20: *rumpere* (abrumpere) *inchoatum pontem nitebantur.* XI 30: *rumperet* (= *dirumperet*) *tabulas nuptiales.* H. I 20: *rupta sacramenti reverentia.* Contra *dirumpere* neque alibi apud Tacitum reperitur, et idem verba simplicia, ubi fieri potest, formis compositis praeferre solet.

non — in modum contionis aut e suggestu: in modum contionis qui loquitur, corona audientium circumdatus est; *e suggestu* qui verba facit, aut contionem aut turbam et singulos alloqui potest. Itaque glossam esse *aut suggestu* non recte olim suspicatus sum, sed non Latine dici *suggestu loqui* vere monui, quamvis *eo suggestu* vel *alto suggestu loqui*, etiam *suggestu delabi* vel *labi* et similia ponere concessum sit; quod vellem Doederlinius paulo diligentius considerasset quam hunc soloecismum tueri voluisset aut exemplo corrupto (XII 38 *vicis et castellis* pro *e vicis et c.*) aut locis minime similibus, qualis sunt H. III 15 *Bri-*

Quattuor centuriones duoetvicesimae legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbae imagines, impetu militum abrepti vinctique. Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.

Nocte quae kalendas Ianuarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartae legionis epulanti Vitellio nuntiat quartam et duoetvicesimam legiones, proiectis Galbae imaginibus, in senatus ac populi Romani verba iurasse. Id sacramentum inane visum: occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit. Missi a Vitellio ad legiones legatosque qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem; et minore

1. *duoetvincensimae* M[a]. 3. *abrecti* M[a]: G *abrepti.* 5. *Inde* M[a]: G *unde.* 7. *Kl.* cum lin. transv. M[a]. 9. *duoetvicensimam* M[a]. 10. *ac* M[a], *et* G.

tannia Galliaque — auxilia Vitellius acciverat; c. 29 *cum — tela testudine laberentur;* H. V 22 *commeatus Gallia adventantes.* Quod vitium inserta praepositione *e*, hic ut aliis locis sat multis neglecta (cf. III 53 et II. I 41 *re publ.* pro *e re publ.*), describentium imprudentia, tollendum putavi.

Cap. 56. *nocte quae kalendas Ianuarias secuta est:* haec et quae c. 57 sequuntur si consideraveris, superioris exercitus legiones *quartam* atque *duoetvicesimam* non ultra oppidum Confluentes in hibernis tunc locatas fuisse, minime autem Mogontiaci primario Germaniae superioris oppido tetendisse, ut multi opinantur, intelliges. Nam kalendis Ianuariis seditio in superiore exercitu erupit et proxima nocte aquilifer quartae legionis, qui ipse interfuerat, Coloniam Agrippinensem nuntium tulit. Die postero, h. e. IV nonas Ianuarias, Vitellius Coloniae imperator ab inferiore exercitu consalutatus est, quo nuntio accepto tertium nonas Ianuarias superior exercitus ad partes eius accessit. Haec ut fieri possent, maius intervallum quam quo Confluentes et Colonia discernuntur ($11\frac{1}{2}$ milliaribus geographicis eae civitates distant sive spatio, quod peregrinator 17 horis pedibus emetitur), esse non potuit, sed minus etiam esse potuit. Itaque recte statui videtur, Germaniae superioris et inferioris confinia fluvio Arare (*Ahr*) sive *Obrinca* discreta fuisse, qui a Confluentibus superioris Germaniae civitate $4\frac{3}{4}$ milliaribus geographicis, a Bonna inferioris Germaniae oppido $3\frac{1}{4}$ milliaribus distans prope Sentiacum (*Sinzig*) Rhenum influit. Hunc enim fuisse quem mire *'Οβρίγκαν* (*Oberrhin?*) et utriusque Germaniae terminum Ptolemaeus appellat II 9 §. 14 et 17, non invalida suspicio est. Rerum scriptores, qui de Germania inferiore et superiore ab Augusto in sinistra (Gallica) Rheni ripa constituta referunt, de finibus utrius-

discrimine sumi principem quam quaeri. Proxima legionis 57 primae hiberna erant, et promptissimus e legatis Fabius Valens. Is die proximo coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus imperatorem Vitellium consalutavit. Secutae ingenti certamine eiusdem provinciae legiones; et superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, tertium nonas Ianuarias Vitellio accessit. Scires illum priore biduo non penes rem publicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses Treviri Lingones aequabant, auxilia equos, arma pecuniam offerentes, ut quisque corpore opibus ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus praesentia ex adfluenti et parta victoria magnae spes, sed manipuli quoque et gregarius

1. *queri* M^a. 3. *proximo* M^a: *postero* BG. *agrippiniensem* M^a. 4. *gressus* M^a: *ingressus* G. 8. *paenes rem.p.* M^a. 9. *agrippienses* M^a. *Treviri* M^a: *treueri* G. 10. *pecuniă* superscr. *s* M^a, *pecuniă* G. 11. *corporeo* M^a. *validis* M^a, *ualidus* G. 12. *affl.* Or.

que nimis indefinite loquuntur, veluti Dio LIII 12: *Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεταννικοῦ οὖσαν.* Messala de progenie Augusti: *Duae Germaniae, inferior ac superior, tibi unico cessere.* Ptolemaei verba ad hanc rem definiendam minus apta sunt.

Cap. 57. *proxima legionis primae hiberna erant:* dicit castra Bonnensia (H. IV 19 et 25), $3\frac{1}{2}$ milliariis geographicis a Colonia Agrippinensium discreta. Id spatium quamvis non amplum gravi legionis agmine uno die cum vix permeari posset, legatus Fabius Valens postero die cum equitibus legionariis et auxiliariorum Coloniam ingressus est. In M^a quod est *gressus* pro *ingressus*, hoc ex scriptura *ĭgressus* et ex littera *i* post *auxiliorumque* hausta ducit originem. Certe *gradior* verbum nusquam apud Tacitum reperitur, formae compositae saepissime. Neque illud Virgilii Aen. VI 633 *gressi per opaca viarum* probare potest Latine dici *gressus coloniam* pro *ingressus col.:* immo prius nihil est nisi soloecismus, quem non bene tueri studuit Orellius.

tertium nonas Ianuarias: cf. annot. ad VI 50.

auxilia equos, arma pecuniam offerentes: v. annot. ad XI 6. Ceterum *pecuniam* scripsi secutus priorem Medicei manum, quia sic et variatio augetur Tacito grata et sibilantis litterae repetitio evitatur.

ut quisque — validus: qui corpore validi, militiam sumebant in cohortibus alisve sociorum, qui opibus aut ingenio, ipsi pecuniam et arma praebebant aut alios eloquentia permovebant ut subministrarent. Non merito Lipsius de sanitate vocis *ingenio* dubitavit aut Otto *iumento* substituit, quod placuit Heraeo p. 121.

ex adfluenti: cf. Agr. 15 *ex facili.* Graeci *ἐκ τοῦ ἀφθόνου, ἐκ τοῦ προχείρου.* *principes — colo-*

miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora, loco pecuniae tradebant, instinctu et impetu
58 et avaritia. Igitur laudata militum alacritate, Vitellius ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disponit; vacationes centurionibus ex fisco numerat; saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius adprobat, raro simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicae statim interfectus. Iulium Burdonem Germanicae classis praefectum astu subtraxit. Exarserat in eum iracundia exercitus, tamquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. Grata erat memoria Capitonis; et apud saevientes occidere palam, ignoscere nonnisi fallendo licebat. Ita in custodia habitus, et post victoriam demum, stratis iam militum odiis, dimissus est. Interim, ut piaculum,

1. *falerasque* M^a. 5. *sev.* M^a. 6. *paenam* M^a. *sepius* M^a. 7. *raro* editor: M^a *paro*, BG *pari*, Lipsius *partim*. 8 *belligicae* M^a. *burdunem* M^a: *burdonem* G, sed *o* in rasura. 12. *sev.* M^a. 14. *statis* M^a: correctum in ABG.

niarum aut castrorum, h. e. primi viri militares et civiles magistratus. *Castra* intellige stativa, ut Vetera, Bonnensia, alia.

instinctu et impetu: non bene Freinshemius *instinctum* legatorum et tribunorum centurionumque ceteris inditum intelligit: immo *instinctus et impetus* synonyma sunt ita diversa, ut *instinctus* internum animi impulsum (*causam*), *impetus* eundem affectum vultu factoque proditum (*effectum*) denotet. Cf. XIV 16: *non impetu et instinctu nec ore uno fluens.* H. II 46: *excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant.* Similiter verbum *instinguere* cum aliis cognatae significationis iungitur, ut O. 14: *finierat Maternus, concitatus et velut instinctus.* Ubi *instinctus* idem est atque vehemens adhortatio, extimulantis persona casu genitivo additur, ut H. I 70 *instinctu decurionum.* Freinshemium non bene secutus est Doederlinius.

Cap. 58. *ministeria principatus per libertos agi solita:* intellige eos qui ab epistolis et libellis vocabantur, quique rebus eius privatis et domesticis praeerant. Exemplum praeivit Hadriano de quo Spartianus c. 22: *ab epistolis et libellis primus equites Romanos habuit.* Cf. annot. ad XV 35.

vacationes, h. e. vacationum pretia, ut c. 46.

raro simulatione vinculorum frustratur: Vitellius *promptus ad deteriora* simulatione vinculorum in uno tantum homine usus est, ut mox traditur, dum saevitiae militum plerumque obsequitur. Itaque recte reliquimus scripturam Lipsii (*partim*), codicum vestigia non accurate h. l. legentis. *Raro* quod dedimus (idem suspicatur, ut nunc video, Doederlinius, incertus tamen inter *raro* et *perraro*) proxime accedit ad *paro*, ut est in M^a, natum ex scriptura uncialium litterarum (RARO, PARO).

stratis iam militum odiis: quem-

obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis se cruentave-
rat; eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.
Iulius deinde Civilis periculo exemptus, praepotens inter Ba- 59
tavos, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. Et erant in
civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartae decimae
legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae,
prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae.
Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium centuriones, de
quibus supra rettulimus, occidi iussit, damnatos fidei crimine,
gravissimo inter desciscentes. Accessere partibus Valerius
Asiaticus Belgicae provinciae legatus, quem mox Vitellius
generum adscivit, et Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae re-
ctor, cum Italica legione et ala Taurina, Lugduni tendentibus.
Nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur.
Ne in Britannia quidem dubitatum. Praeerat Trebellius Ma- 60
ximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisus-
que. Accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vice-

1. *sanguine* M[a]: *sanguine se* Iac. Gronovius, *qui se sang.* G. 12. *adscivit* M[a], non *ascivit.* *blesus* M[a]. 13. *tauriana* GM[a]: *Taurina* B referente Oberlino. 14. *ret.* M[a]. 15. *brittania* M[a]. *trebellinus* M[a]: *trebelius* G ascripta altera *l.* 16. *sorde* M[a]: *sordes* cum ceteris G. cf. ad c. 52. 17. *vicensimae* M[a].

admodum odia incitata mari turbato et tumenti comparantur, sic composita fluctibus *stratis* et placido aequore quiescentibus adaequantur. *Sternere* de undis et mari dictum v. apud Forcellinium vel Gronov. Observ. III 22.

Cap. 59. *Iulius deinde Civilis:* *Claudius Civilis* non vere nominatur H. IV 13, ubi vid. annot.

quartae decimae legionis auxilia: eam legionem Nero adversus Vindicem in Italiam acciverat (H. II 66), dein Galba in Dalmatiam miserat (H. II 11), sed tunc cohortes sociales digressae et in Britanniam (cf. H. II 27) rediturae in civitate Lingonum morabantur.

Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector: vulgo hunc eundem esse opinantur atque eum qui I 19 et 29, III 74 memoratus est (vide Indices historicos plerisque editionibus additos), filium eius Blaesi qui Seiani avunculus post detectam huius conspirationem occisus est; v. V 7 ibique annot. Sed ille filius Blaesi, natu maximus ut videtur, anno 14 a Christo natu iam tribunus militaris erat, ut tunc saltem viginti annos natus fuerit, atque eo anno de quo hic sermo est minimum septuaginta et quinque vitae annos numeraverit. Sed talem senem provinciae rectorem esse non magis probabile videtur, quam eundem a Vitellio principatus aemulum timeri potuisse: v. H. III 38 et 39. Accedit quod Tiberius omnes eos, quibus ob Seianum olim faverat, insigni odio post Seianum eversum persecutus est; v. VI 40 et annot. Quapropter alium eius

simae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta, eoque discordiae ventum ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus, et adgregantibus se Caelio cohortibus alisque, desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. Quies provinciae quamquam remoto consulari mansit: rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior.

61 Adiuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens adlicere vel, si abnuerent, vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere, Caecina propiore transitu, Poeninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum aquila quintae legionis et cohortibus alisque, ad quadraginta milia armatorum data; triginta milia Caecina e superiore

2. *proruperat* superscr. *n* Mª. 3. *celius tribellio* Mª. 4. *faedus* Mª, *fedis* G. 7. *celio* Mª. 8. *provincie* Mª. 10. *audiendo* Mª: G *audendo*. 11. *britt.* Mª. 13. *all.* Mª. *abnuerint* GMª: tacite correxit Rhenanus. 14. *italia* Mª: G *italiā*. *paennis* Mª: *Poeninis* Rhenanus, ante quem *a peninis* et *apeninis*. 15. *degredi* Mª, *digredi* G.

Blaesi qui Seiano avunculus filium, in illa clade ob aetatem non sublatum, hunc nostrum esse opinor.

Cap. 60. *praeerat Trebellius Maximus:* cf. Agr. 16 et 7. H. II 65. 'Aliter quam hic de eiusdem viri ingenio ac moribus iudicat scriptor Agr. 16'. DOEDERLINIUS. Noli credere. Illic Tacitus de Trebellio refert: *segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit.* Nimirum ibi Tacitus narravit qualem se gesserit iste adversus provinciales: nam provinciae statum et administrationem ante adventum Agricolae tradere intendit, et provinciam nulla avaritia vexaverat Trebellius ideoque huius quies non turbata est. Nunc exercitus Britannici animos narraturus notare debuit spoliatas a Trebellio legiones et iram inde consecutam.

Cap. 61. *Poeninis iugis:* in forma Mª *paennis* media vocalis elisa est a scriba. Livius XXI 38: *neque Hercule montibus his, si quem forte id movet, ab transitu Poenorum ullo Veragri, incolae iugi eius, norunt nomen inditum, sed ab eo quem in summo sacratum vertice Poeninum montani appellant.* Poeninus is deus in titulis vetustis nominatur (v. Orellii Inscr. Lat. 228—237, 241—243, 245—246), semel *Peninus* (n 247).

cum aquila quintae legionis: cum ex ceteris inferioris exercitus legionibus, prima et quinta decima et sexta decima, nonnisi electi singulaeque cohortes cum Valente proficiscerentur, *quintam*

Germania ducebat, quorum robur legio una, primaetvicesima, fuit. Addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus. Mira 62 inter exercitum imperatoremque diversitas. Instare miles, arma poscere, dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur. Non obstare hiemem neque ignavae pacis moras. Invadendam Italiam, occupandam urbem. Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus esset. Torpebat Vitellius, et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, medio diei temulentus et sagina gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, ut si adesset imperator et strenuis vel ignavis spem metumque adderet. Instructi intentique signum profectionis exposcunt, nomine Germanici Vitellio statim addito: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. Laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit; longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut

1. *primaetvicensima* Mª. 3. *mira inter* G: Mª *mirante.* 6. *ignave* Mª. 8. *vilibus* Mª: correctum in G et ceteris. *festinatione* G: *festinatiusne* Mª. 9. *fortuna* Mª. *inmerti* Mª: G *inerti.* 10. *pres.* Mª. 14. *nom* cum lin. Mª. 15. *addito* Mª: *nomen — additum* GR et Oxonienses. *ces.* Mª. 16. *exercitui quae* Mª. 17. *leui* GMª: correxit Acidalius. 19. *interrita ealitis* Mª.

quidem fere totam eius exercitui accessisse ex verbis huc transcriptis patet: aquila enim non prius ex hibernis effertur, quam robur legionis egrediatur. Cf. XIII 38. Dio XL 18. Quemadmodum igitur Caeciniani exercitus robur legio *primaetvicesima* fuit, ita *quinta* Valentis exercitum praecipue firmavit.

Cap. 62. *nomine Germanici Vitellio statim addito:* eo ipso tempore quo milites profectionis signum poscebant, et hac ipsa occasione Vitellium Germanici nomine salutaverant, atque hinc satis intelligitur, cur haec duo iuncta sint, postulatio signi profectionis et cognomen Vitellio inditum. Si novo enuntiato legamus, ut vulgo faciunt peiores secuti libros, *Nomen Germanici Vitellio statim additum*, illud quod Tacitus indicaturus erat, ne oblitteremus periculum videtur.

Cap 63. *et Treviros quidem — adiere:* Valentis exercitus a colonia Agrippinensium (*Cöln*) in via a Romanis per Eifliam ducta Treviros (*Trier*) adiit. In ea via Tolbiacum (*Zülpich*) oppidum et Bedae vicum (*Bitburg*) attigit. *Divodurum* est hodierna urbs *Metz* (Mettis) ad ripam Mosellae fluvii. Antiquum nomen (*Divodurum*) im-

63 haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur. Et Treviros quidem, ut socios, securi adiere. Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quamquam omni comitate exceptos subitus pavor terruit, raptis derepente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam aut spoliandi cupidinem, sed furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere. Caesa tamen ad quattuor milia hominum. Isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent, stratis per vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae,
64 non quidem in bello sed pro pace, tendebantur. Nuntium de caede Galbae et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. Benigne excepti modestia certavere. Sed brevis laetitia fuit cohortium intemperie, quas a legione quarta decima, ut supra memora-

1. *nomen* M^a: G *omen*. *acciperetur* M^a, non Furiae *acciperet*. 2. *Treviros* M^a: *treueros* G. *Divoduri* M^a: G *Dinodrium*, Oxonienses *Dinodurium*. 4. *raptisae repente* M^a: correxit I. Fr. Gronovius, ante quem erat *raptis repente*. *cedem* M^a. 5. *cupidinē* GM^a: *cupidine* ACR. 6. *sed* G: M^a *et*. *rabiae* M^a. 7. et 10. *p̄cibus* M^a. 8. *ad* G: M^a *a*. 14. *leuchrorum* vel *leuclirorum* M^a, *leucrorum* G: *leucorum* Puteolanus. *formidine* M^a: *formidinē* G. 19. *quattuordecim* M^a.

positum est ob transitum amnis ponte ibi paratum, recentius a Mediomatricis.

raptis derepente: in M^a scriptura (*raptisae repente*) *a* nata est ex littera *d*, quae uno apice differt. Qui *raptisque* scribendum suadent, tantum abest ut religiosius codicis M^a vestigia sectentur, ut ab iis magis etiam deficiant.

quaeque alia placamenta hostilis irae — tendebantur: ea placamenta cum signa essent, infulae scilicet et velamenta (vid. c. 66), verbum iis aptum *tendebantur* posuit (*sie wurden ausgestreckt*).

Cap. 64. *in civitate Leucorum:* a Divoduro iuxta Mosellam progredientes ad Leucos pervenere, quorum oppidum *Tullum* (Toul) in eiusdem amnis ripa. A Mosellae fontibus ad *Ararem* (Saone) tendentes Lingonas (Langres) attigere. Aeduos inter Ararem et Ligerem (Loire) habitantes non ipsos, ut videtur, adiere: hinc *iussi pecuniam atque arma deferre.*

in gaudium aut formidinem permotus: non ita permotus est militum animus, ut gaudium aut formido excitaretur. Apertius opponuntur gaudium et formido, quam

vimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat. Iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Aeduos quaesita belli causa: iussi pecuniam atque arma deferre, gratuitos insuper commeatus praebuere. Quod Aedui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Taurina abductae: cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens legatus Italicae legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

65 Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat. Multae in vicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum propter Neronem Galbam-

1. *degressas* Ma: G *digressas.* *adiuncxerat* Ma. 3. *is* Ma: G *his.* 4. *animadversionẽ* Ma. 6. *deferret* Ma: G *deferre.* 8. *Taurina* nunc Ma. 9. *XVIII.* Ma. 13. *ignarũs* Ma. 15. *uienẽsesque* supplevit Puteolanus, idque *Viennensesque* correxit Beroaldus.

ut casibus discrepare possint: quapropter in Medicei *formidine* lineola in extrema syllaba aut delituit aut a scriptore librario neglecta est.

cohortem duodevicesimam Lugduni — relinqui placuit: qui hanc vocem de glossemate suspectam habent, recogitent Lugdunenses non solum urbis Lugduni incolas sed etiam provinciae Lugdunensis homines dici. Eo significatu proxime *Lugdunenses* post *Aeduos* recensiti dicti erant. Iam igitur ut nomen urbis poneretur ubi cohors duodevicesima agebat, opus erat. Cf. III 41: *Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quae Lugduni praesidium agitabat, coërcuit.* Ut Lugduni cohors duodevicesima, ita septimadecima Ostiae locata erat; v. H. I 80.

Cap. 65. *proximum bellum:* dicit bellum a Vindice in Neronem motum, in quo Viennenses alacri studio Vindicem adiuvarant. Hoc nomine Lugdunenses Viennam paulo post *sedem Gallici belli* designant. Cf. annot. ad H. I 16.

occasione irae: breviter notavit avaritiam Galbae, qui irascendi occasionem arripuerat ut fiscum ditaret.

uno amne discretis connexum odium: lusit opposita iungendo. Externo intervallo, sed uno, Rhodano flumine, diiuncti erant, odium autem continuo ac sine ullis temporum spiramentis vigebat.

se coloniam Romanam: Vienna itidem colonia Romana erat, sed Lugdunenses incolis sibi invisis obtrectant. Veterani Viennam olim deducti aut emortui erant aut po-

que pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat; multus contra in Viennenses honor. Unde aemulatio et invidia et uno amne discretis connexum odium. Igitur Lugdunenses extimulare singulos militum et in eversionem Viennensium impellere, obsessam ab illis coloniam suam, adiutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo. Et ubi causas odiorum praetenderant, magnitudinem praedae ostendebant. Nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces: irent ultores, excinderent sedem Gallici belli. Cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios. Si fortuna contra daret, iratis
66 ne relinquerentur. His et pluribus in eundem modum perpulerant, ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma genua vestigia prensando flexere militum

3. *unde aucta aem.* coni. Iacobus Lubec. *conexum* M[a]. 8. *magnitudine* M[a]: correctum inest G. 9. *exort.* M[a]. *p̄ces* M[a]. 12. *ctraderet* cum lin. super litt. *c*, i. e. *contraderet* M[a]: correctum in BG. 14. *nec* M[a]: correxit I. Fr. Gronovius. cf. annot. ad 4 35. *posset* M[a]: G *posse*. 15. *ignaris* M[a]: G *ignari*.

steri eorum Gallicos mores assumpserant, ac propterea *cuncta illic externa et hostilia* esse inimici fremunt. Non bene Lipsius ex his verbis coniecit Viennenses donatos colonico iure, etsi militibus aut civibus Romanis non deductis. Nam qui ita donabantur, iis nonnisi *Latium* sive *ius Latii* concessum est. Id iuris iampridem ante Claudium omnes Galliae Comatae civitates assecutae erant (cf. annot. ad XI 23): Vienna autem iam ante Claudium ut colonia senatorum in urbe ius habuit, quod ostendit Claudii Caesaris oratio Lugduni marmori incisa: *ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert.* Quibus si adiungimus quae Tacitus paulo post c. 66 de Vienna dicit, *tum vetustas dignitasque coloniae valuit,* eam urbem veram coloniam fuisse haud dubitabimus.

Cap. 66. *velamenta et infulas praeferentes:* velamenta intellige ramos oleae lana obvolutos, quae Graece *στέφη* vel *στέμματα* vocantur. Quae cum manibus gestarentur, Plautus Amphitr. I 1 104 supplices venire *velatis manibus* scripsit.

arma genua vestigia prensando: alii scuta et pectora militum, alii prostrati genua eorum, alii magis etiam supplices imos pedes prensaverunt: *vestigia* enim imas pedum partes denotant, ut apud Virgilium Aen. V 566: *vestigia primi alba pedis.*

animos. Addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios. Tum vetustas dignitasque coloniae valuit, et verba Fabii salutem incolumitatemque Viennensium commendantis aequis auribus accepta. Publice tamen armis multati, privatis et promiscuis copiis iuvere militem. Sed fama constans fuit ipsum Valentem magna pecunia emptum. Is diu sordidus, repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, et inopi iuventa senex prodigus. Lento deinde agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce, foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. Quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit. Inritaverant 67
turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque,

1. *trecenos* Mª, *tricenos* G et Oxonienses. 2. *vetusta dignitasque* Mª: correctum in G. *fabi* Mª. 3. *uiensium* Mª. *aequis* (in versus fine) *saxuribus* Mª: correctum in G. 4. *publicae* Mª. 7. *mütatiotio* (in versus fine) *nem* Mª. 8. *inm.* Mª. 9. *agminine* Mª. *Allobrogum a* (in versus fine) *ac* Mª: *allobrogum et* G. 10. *uocantiorum* Mª, *uocuntiorum* G. 11. *faedis* Mª. 17. *p̄ caecina* (id est *prae*, quod irrepsit ex praeced. *praedae*) Mª. 18. *helveti* Mª. *solim* Mª, *soli in* BG et alii: correxit Rhenanus.

tum vetustas dignitasque coloniae valuit: imitatur mitigati et satiati militis verba, qui iam recordatur et ore tulit vetustatem et dignitatem coloniae, quo irae lenitae honestam causam praetenderet.

Luco: Plinius N. H. III 5 (4): *Vocontiorum civitatis foederatae duo capita, Vasio* (Vaison) *et Lucus Augusti* (le Luc).

pecuniae materia, h. e. praesens sive praesentaria pecunia (*baares Geld*).

ad Alpes: intellige Alpes Cottias (c. 61). Ea via Valens exercitum duxit, qua nunc Monte Cenisio (*Cenis*) ex Helvetiis ad Italos commeant.

Cap. 67. *plus praedae ac sanguinis Caecina hausit:* Caecina tamquam immanis bestia vel monstrum hausisse dicitur quae ipse et milites rapiendo abstulerunt, occidendo sustulerunt.

olim armis virisque — clara: haec scripsit recordatus quae Iulius Caesar B. G. I 2—29 tradidit.

unetvicesimae legionis: in Mª *unaetvic.* littera *a* prave admixta est, quod primo casu *unaetvicesima* ea legio vocari solet: sed genitivus cum requirat *uniuselvicesimae*, idque aliquid molestiae ha-

mox memoria nominis clara, de caede Galbae ignari et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio unetvicesimae legionis. Rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. Aegre id passi Helvetii, interceptis epistulis quae nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Caecina belli avidus proximam quamque culpam, antequam paeniteret, ultum ibat. Mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens. Missi ad Raetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo
68 adgrederentur. Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. Exitiosum adversus veteranos proelium, intuta obsidio dilapsis vetustate moenibus. Hinc Caecina cum valido exercitu,

1. *cede* M[a]. 2. *inp.* M[a]. 3. *unaetvicensimae* M[a]. *mis* (in versus fine) *ssam* M[a]. 5. *eplis* cum lin. transversa in litt. *l* M[a]. 8. *quanque* M[a]. 12. *retica* M[a]. *heluitios* M[a]. 16. *plium* cum *p* caudato, id est *proelium* M[a].

beat, breviorem formam *unetvicesimae* restituere in proclivi est. Mire narrat Orellius hanc legionem tetendisse Vindonissae: immo ex Germania cum Caecina per Helvetios in Italiam profecta est. Orellium fefellit opinio propter verba H. IV 70, ubi unaetvicesima Vindonissa in Germaniam irrumpere narratur, h. e. legio illa in itinere ex Italia in Germaniam facto a Vindonissa in Germaniam superiorem appropinquare dicitur.

amoeno salubrium aquarum usu frequens: sunt *aquae Helveticae* ad Limatum fluvium (*Limmat*, in pago Argoviensi, non procul ab oppido Turico meridiem versus sito, quas hodie Baaden vocant; vide D'Anvillii Notice de l'ancienne Gaule p. 76 sq. Nomen *amoeno* ab aquis ad *usum* translatum. Kiesslingius apte comparavit Horatii Carm. III 1 42: *quodsi dolentem nec Phrygius lapis nec purpurarum sidere clarior delenit usus.*

Cap. 68. *non arma noscere:* proprium hoc dicendi genus est, quo Tacitus non tam ignaros eius rei, quam haud noscere dicuntur, designavit, quam indicavit, illos ab usu abhorruisse. Sic Helvetii arma quae ceperant abiecere (hoc est illud *non arma noscere*). Perinde H. II 93: *sed miles — urbe tota vagus non principia noscere*, h. e. *nihil curare* principia. H. II 12: *non castra, non ducem noscitantibus.* A. 5: *noscere provinciam, nosci exercitui.* Quippe *noscere* praegnanti significatu positum et intelligere rem et usu sustinere denotat. Nos *arma noscere* dicimus *sich auf Waffen verstehen.*

exitiosum — moenibus: haec refert scriptor ab Helvetiis mente

inde Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus, sueta armis et more militiae exercita. Undique populatio et caedes. Ipsi medio vagi, abiectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac statim immissa cohorte Thracum depulsi, et consectantibus Germanis Raetisque per silvas atque in ipsis latebris trucidati. Multa hominum milia caesa, multa sub corona venundata. Cumque dirutis omnibus Aventicum gentis caput iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem; et deditio accepta. In Iulium Alpinum e principibus, ut concitorem belli, Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit. Haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem 69
imperatorem an militem invenerint. Civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius

1. *reticae* M^a^. *rethorum* M^a^. 2, *undeque* M^a^. 3. *in medio* Puteolanus. *nagi* litt. *n* superscr. *v* M^a^. 4. *Vocetium* M^a^, *uoceciuм* G. *inm.* M^a^. 6. *retisque* M^a^. 8. *capud* M^a^. 9. *deder* cum lin. super litt. *r* M^a^. 11. *animă advertit* M^a^. *seuit.* M^a^. 12. *bilem* — c. 75 *incertum* desunt M^a^, cuius in margine alia manus 'deest charta'. ad locum hunc iam ante Poggium et Victorium deficientem Baiterus contulit duos alios codices Florentinos (signavi cum Orellio **ab**) ex M^a^ descriptos, antequam charta illa deperdita esset. 13. *novitatis* **ab**: G *civitatis*.

secum agitata; narratio redit verbis *hinc Caecina.* *ipsorum Raetorum iuventus:* hi sunt Raeti nondum sub signis, h. e. non iam in cohortes alasve descripti, ut illi *quingenti Pannonii* (H. II 14) *nondum sub signis.*

in montem Vocetium perfugere: Vocetius est pars montis Iurae, inter *aquas Helveticas* et Aventicum fere medius interiectus, qui hodie *Boezberg* appellatur.

Aventicum: Ammianus Marcellinus XV 11 12: *Alpes Graiae et Poeninae — habent et Aventicum, desertam quidem civitatem sed non ignobilem quondam; ut aedificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Antiquum nomen retinet *Avenches* in comitatu Veldensi (Waadt); castellum *Wiflisburg* in eodem comitatu pertinuisse ad hanc civitatem creditur; v. D'Anvillii Notice de l'an. Gaule p. 114 sqq. Orellii Inscr. Lat. n. 360—371.

in Iulium Alpinum — animadvertit: forma verbi *animadvertere* usus est ad supplicium denotandum in Historiis (I 46, IV 49), item in Germania simul edita (c. 7), in Annalibus brevius *advertere in* dixit (II 32, V 9) de extremo supplicio, *advertere* aliquid de re observata et non praetermissa sine poena (III 52, IV 35 et 54, VI 40, XII 51).

Cap. 69. *ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat:* quo milites impetu suo proruperant, eo tardum et abiectum ingenium Vitellii promptum inclinavit. Atqui illi non *verbis* temperantes civitatis excidium postulaverant, iidem *minis* immodici tela ac manus in

quidem minis ac verbis temperabat, cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut est mos vulgo, mutabilem subitis et tam pronum in misericordiam quam immodicum saevitia [fuerat]. Effusis lacrimis, et meliora constantius postulando, impunitatem salutemque civitati impetravere. **70** Caecina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiae Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, laetum ex Italia nuntium accipit, alam Silianam circa Padum agentem sacramento Vitellii accessisse. Proconsulem Vitellium Siliani in Africa habuerant; mox a Nerone, ut in Aegyptum praemitterentur, exciti, et ob bellum Vindicis revocati, ac tum in Italia manentes, instinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti robur ad-

1. *minis ac uerbis* G: *verbis ac minis* **a**, *verbis et minis* **b**. *cossus* G: *Cossutianus* **b**; ortum hoc ex sq. *unus*. 2. *ex* G: *e* **b**. 4. *vulgo* G: *vulgus* **ab** et C. *mutabilē* G et Oxonienses: *mutabile* **ab**. 5. *misericordia* **ab**: G *miseriam*. *immodicus* Freinshemius. 10. *Silianam* H. 2 17 M[a]: *Silanum* **ab** (in **b** *u* correctum in **a**), *syllanam* G. 11. *proconsule* **a**: G *proconsulem*. *silani* **ab**, *syllani* G. 12. *acciti* syllabae *ac* superscr. *ex* **a**. 13. *reuocati* A et G (hic in rasura): *provocati* **ab**, *remorati* B et Oxonienses. *ac tamen* superscr. *tum* **a**.

ora legatorum intentaverant; perinde egit princeps, neque minis temperans nec verbis. H. III 24: *frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent.* Ibi oculi *minis* respondent, manus *verbis*. Qui statuunt ἓν διὰ δυοῖν, non recte faciunt.

immodicum: hanc omnium librorum scripturam plerique editores auctore Freinshemio in *immodicus* mutaverunt, nonnulli alia ratione sententiam structuramque verborum expedire frustra operam dederunt. Qui Freinshemium secuti sunt scriptorem hunc primum in universum de milite disserentem ac tum subito ad Caeciniani militis animum declarandum recidentem faciunt, magno distinctae orationis dispendio. At enim corruptionis fons quaerendus est in verbo *fuerat:* id infersit qui ad particulam *quam* verbum requiri sibi persuaserat. Hoc eiecto sententia restituitur clara et ornata: quippe inde a verbis *ut est mos vulgo* in genere militis gregarii animus describitur. Cf. H. II 29: *ut est vulgus utroque immodicum.*

Cap. 70. *Silianam:* *Silanam* et paulo post *Silani* ABC, *syllanam* et *syllani* G, *Sullanam* et *Sullani* plerique editores. Quia H. II 17 M[a] (is hic deficit) eandem alam *Silianam* vocat, et quoniam verisimilius visum est hanc alam a C. Silio superioris sub Tiberio Germaniae legato (cf. I 31 et 72, II 6 et 7 et 25, III 42 et 45, IV 19) et viro clarissimo nomen accepisse quam ab obscuro quodam praefecto, cui Sullae nomen fuerit, equi-

ventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant, transiere in partes, et ut donum aliquod novo principi firmissima Transpadanae regionis municipia Mediolanum ac Novariam, et Eporediam et Vercellas adiunxere. Id Caecinae per ipsos compertum. Et quia praesidio alae unius latissima pars Italiae defendi nequibat, praemissis Gallorum Lusitanorumque et Britannorum cohortibus et Germanorum vexillis cum ala Petrina, ipse paululum cunctatus est, num Raeticis iugis in Noricum flecteret adversus Petronium Urbicum procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret praemissas iam cohortes alasque, simul reputans plus gloriae re-

2. *transire* **ab** et G. *domum* **ab**, *donum* G in rasura. 3. *religionis* **a**. 4. *epopediam* **ab**: *eporediam* pr G, corr G *Iporegiam*. 5. *et* **ab** et G: *ac* ante *Vercellas* tacite Rhenanus. 6. *pars italiae* G: *Italiae pars* **ab**. *lusitanorumque et britannorum* **ab**: *Lusitanorum Britannorum que* G. 8. *ala Petrina* Savilius ex H. 4 49: *alpe triaria* **ab**, *alpe tarina* Vatic. Lipsii et G in quo *alpae*. *paulum* **ab**: G *paululum*. *est, num* editor: *est ut* **ab**, *ẽ uñ* G, *num* Puteolanus et vulgo. 9. *Urbicum* Freinshemius: *urbi* ACR et **ab**, *urbis* BG. 12. *simul reputans* C: *simulareputans* **ab**, *simulac reputans* G et Oxonienses.

dem cum Bipontinis et hoc loco dedi *Silianam* et paulo post *Siliani*.

Mediolanum ac Novariam, et Eporediam et Vercellas adiunxere: iugis Poeuinis Italiam descendentibus ex his oppidis primum obvium erat Eporedia (*Ivrea*), tum Vercellae (*Vercelli*), mox Novaria (*Novara*), postremo Mediolanum (*Milano*). Sed quod Tacitus inversum ordinem secutus est, inde intelligimus *firmissima Transpadanae regionis municipia* designari nonnisi *Mediolanum ac Novariam*, dein *Eporediam et Vercellas* in locis a Silianis ad partes Vitellianas adiunctis ut minus amplas adiici. Unde apparet *et* ante *Eporediam* idem valere quod *etiam*, et commate post *Novariam* interpungendum fuisse. Theodisce converte: *sie überlieferten die überaus festen Municipien des Transpadanischen Landes Mediolanum und Novaria, auch Eporedia und Vercellae.* Eadem structura cap. 50: *Pharsaliam Philippos, et* (= *etiam*) *Perusiam ac Mutinam — loquebantur.*

latissima pars Italiae: haec verborum successio videtur praestare alteri *latissima Italiae pars*: nam illud partem admodum latam Italiae significat (*ein sehr breiter Theil Italiens*), hoc latissimam totius Italiae partem (*Italiens breitester Theil*), quod ceterae sententiae minus convenit.

Petronium Urbicum: ubicumque procuratorem memoravit Tacitus, in utroque opere duo nomina posuit, ut IV 15 Asiae procuratorem *Lucium Capitonem*, XII 21 Ponti *Iunium Cilonem*, XII 49 Cappadociae *Iulium Pelignum*, XII 54 Iudaeae *Ventidium Cumanum* et fratrem *Pallantis cognomento Felicem*, H. I 12 et 58 Belgicae *Pompeium Propinquum*, H. II 86 Pannoniae *Cornelium Fuscum*, H. III

tenta Italia, et ubicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriae praemia cessuros, Poenino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit.

71 Otho interim, contra spem omnium, non deliciis neque desidia torpescere. Dilatae voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem imperii composita. Eoque plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. Marium Celsum consulem designatum, per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum, acciri in Capitolium iubet. Clementiae titulus e viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit. Nec Otho quasi ignosceret, sed ne

1. *ubicunque* G. *caetera* G: *certa* **ab** et AC. 2. *Penino itinere subs. mil. et* G**ab**: *Poenino subs. mil. itinere et* Rhenanus. 3. *traduxit* G: *transduxit* **ab**C.

42 Alpium maritimarum *Marium Maturum,* H. IV 50 *Baebium Massam e procuratoribus Africae.* Quapropter nihil dubitationis adest quin lateat in corrupto nomine *urbi* vel *urbis* cognomentum aliquod; neque rursus inveniri poterit quod magis accedat ad codicum reliquias quam *Urbicum*, ex XI 35 ubi legimus *Pompeium Urbicum,* a Freinshemio sumptum.

Poenino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen: grave legionum agmen explicationis gratia adiectum est; v. ad I 60. Nimirum sociorum militiam, h. e. leves cohortes et alam Petrinam, iam praemiserat Caecina, ut modo relatum: nunc ipse cum legionibus sequitur. Eodem modo *miles subsignanus* (= legionarius) cum *auxiliis* componitur H. IV 33: *monuit, subsignano milite media firmare. Auxilia passim circumfusa sunt.* Falsa ad h. l. scripsit Doederlinius. Via Poenina ea est quae hodie trans montem St. Bernardi in Italiam ducit.

Cap. 71. *acciri in Capitolium iubet:* cur in Capitolium? Nempe celebri senatus consessu clementiae suae documentum princeps editurus erat. Cf. Suetonii Calig. 60: *et senatus in asserenda libertate adeo consensit, ut consules primo non in curiam, quia Iulia vocabatur, sed in Capitolium convocarint.* Quod occiso Caligula Iulii nominis odio factum est, idem nunc propter inopiam evenit. Nam curia Iulia cum plerisque fori Romani aedificiis incendio Neronis absumpta erat, et novum *Senatum,* h. e. curiam, Domitianus demum aedificavit. Cf. annot. ad XVI 27. Ceterum non adversantur huic explicationi verba Plutarchi Oth. 1: *ὁ δὲ — ἅμ' ἡμέρᾳ προελθὼν εἰς τὸ Καπιτώλιον ἔθυσε καὶ κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὑτὸν ἠσπάσατο κτλ.*

exemplum ultro imputavit: ultro contrarium respicit. Celsus tantum abfuit ut se excusaret, ut exemplum suum tamquam imitandum aliis in fide erga Othonem imputaret. Cf. III 66: *obscura initia impudentibus ausis ultro pollucebat,* ubi v. annot.

hostis metum reconciliationi adhiberet, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter duces delegit. Mansitque Celso, velut fataliter, etiam pro Othone fides integra et infelix. Laeta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus cui irascebantur. Par inde exultatio disparibus 72
causis consecuta, impetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad poenam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium. Apud Galbam Titi Vinii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam. Et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque, diffidentia praesentium muta-

1. *hostis metum reconciliationi* editor: *hostis metum quasi reconciliationis* G et Harleianus, Bodl. et Ies. *quasi* omittunt, *hostes metueret conciliationis* **ab**, item A, nisi quod *conciliationes*. *adhibens* A**ab**. 4. *pro moribus* codices: corr. Rhenanus. ex **ab** nihil enotatum. 7. *tigillini* **ab** et G, perinde posthac. *ophonius* **ab** et G. 11. *et* omittunt **ab**: inest G. 13. *ac* G: *at* **ab**. *flagitaverunt* **ab**: *flagitauere* G. 15. *Vinii*] *Iunii* **ab** et G, qui sic ubique. 16. *et* omittunt **ab**: inest G. 17. *effugium* **ab**BCR: *effugio* G. 18. *mutatione* **a**.

sed ne hostis metum reconciliationi adhiberet: hostis metum breviter dictum pro *sui tamquam hostis metum*, quod fieri potuit, quia *adhiberet*, h. e. *adiungeret*, item ut priora de Othone dicta sunt. *Hostem* olim putavi cum aliis significari Vitellium, sed tunc narratio obscura fit et aliena a stilo Taciti. Genitivus *hostis* est obiectivus qui dicitur. *Metum* dicit Celsi adversus Othonem, post reconciliationem residuum. Theodisce converto: *um nicht Besorgniss vor einem Feinde mit der Aussöhnung bestehen zu lassen.* Codicum menda *reconciliationis* ex nominibus *metum reconciliationis* prave iunctis orta est. Exemplum a Mario Celso imputatum Otho sic accepit, ut nullus iustae reconciliationis metus in animo Celsi residere posset. Rem copiosius narravit Plutarchus Oth. 1.

fides integra et infelix: quamvis fidus Othoni hunc tamen a Vitellio defendere non potuit, immo ipse ab Othonis adversario veniam accipere coactus est: H. II 60. Frustra haesit Acidalius.

Cap. 72. *quia velocius erat vitiis adeptus:* haec causam continent cur Tigellinus mox ad maiora scelera pergeret: quippe et

tionem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti Titi Vinii invidia, concurrere e tota urbe in Palatium ac fora, et ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi seditiosis vocibus obstrepere, donec Tigellinus accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inho-
73 nesto. Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est. Magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populo Romano haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, consulari matrimonio subnixa et apud Galbam Othonem Vitellium inlaesa, mox potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.

2. *vices* **ab** : *uitae* G. 4. *pal. ac fora* G: *pal. et tota urbe* **ab**. 5. *ac* G: *et* **b**. 5. *seditionis* B, *seditionibus* **ab** : *seditiosis* G. 6. *strepere* **ab** : *obstrepere* G. 10. *Galvia* **ab** et G: *Calvia* Dio 63 12 et *Calvii* in titulis. 15. *subnixa* **Aab** : *innixa* BG.

ipsi nihil honesti inerat et vitiis virtutum praemia velocius tulerat quam si virtutibus praeditus fuisset. *Vitia* dicit impudici hominis flagitia, *virilia scelera*, ad quae patranda viri animo et audacia opus erat. Doederlinius verba *quia velocius erat* a sequentibus commate separavit, quasi Tigellinus etiam virtutibus ampla illa praemia ferre potuisset, sed breviorem per vitia viam praetulerit.

eiusdem desertor ac proditor: vid. annot. ad H. I 5. Taciti de Tigellino locos Index exhibet. *Proditor* appellatur, quia militum animos a Nerone avertit ipsumque tueri omisit.

sed effugium in futurum: ut esset ipsi effugium poenae in futurum; cf. annot. ad I 27. Sine causa dubius haesit Doederlinius et transpositionis remedium adhibuit.

apud Sinuessanas aquas: conf. Plutarch. Oth. 2, qui in nonnullis ab hoc nostro discedit. De salutaribus Sinuessae aquis v. Tacit. XII 66. Plin. N. H. XXXI 4. Martial. XI 8.

Cap. 73. *Galvia Crispinilla:* v. Dio apud Xiphilin. LXIII 12, cui est *Καλουΐα Κρισπινίλλα.* Tacitus de foeda muliere in deperdita Annalium parte rettulit, ubi iter Achaicum Neronis tradidit libro XVI extremo. *famem p. R. haud obscure molita:* naves frumento onustas et in urbem destinatas retinere in Africa conata erat.

mox potens pecunia et orbitate: cf. annot. ad III 25.

Crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab 74
Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam
et quemcumque quietis locum prodigae vitae legisset. Paria
Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et inde-
cora simulatione: mox, quasi rixantes, stupra et flagitia in
vicem obiectavere, neuter falso. Otho, revocatis quos Galba
miserat legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exer-
citum et ad legionem Italicam easque quae Lugduni agebant
copias specie senatus misit. Legati apud Vitellium remansere,
promptius quam ut retenti viderentur. Praetoriani, quos per
simulationem officii legatis Otho adiunxerat, remissi antequam
legionibus miscerentur. Addidit epistulas Fabius Valens, no-
mine Germanici exercitus, ad praetorias et urbanas cohortes,
de viribus partium magnificas et concordiam offerentes. In-
crepabat ultro quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad
Othonem vertissent. Ita promissis simul ac minis temptaban- 75
tur, ut bello impares, in pace nihil amissuri. Neque ideo
praetorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in
Germaniam, a Vitellio in urbem missi. Utrisque frustra fuit,
Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem mutua

1. *blandiciis* G. 2. *epistulae* G: *epulae* **a**. *offerebantur* cum ceteris **ab**G: correxit Rhenanus. 3. *quaecunque* **ab**, *quencunque* G. *locis* **b**. 4. *et* G: *ac* **a**. 7. *alios* om **ab**: inest ABCG et Oxoniensibus. 8 *quas* **ab**, *quasi* G. 9. *species* **a**. 12. *addidit* **b**CG et Harl. les.: *addit* **a**. *epulas* **a**, *epistolas* G. 14. *increpabat* **a**CR: *increpabant* BG et Oxonienses, *increpat* **b**. 15. *tanto* om **a**. 16. *tendebatur* **a**, *tentabantur* G. 17. *admissuri* **ab**: G *amissuri*.

Cap. 74. *stulta utrimque et indecora simulatione:* stulta utriusque simulatio erat, quod scribebant cui neuter fidem habere posset, indecora quod promissa promebant quibus ipsi stare posthac nollent. Conf. H. III 66.

quasi rixantes: in epistolis quasi praesens praesentem alloquendo et iurgiis petendo. *specie senatus*: senatus nomine et decreto, non principis iussu, euntes.

per simulationem officii : senatoribus parum confidens adiunxerat praetorianos tamquam custodes, sed per simulationem officii in itinere legatis praestandi.

quod tanto ante traditum Vitellio imperium: imitatur Tacitus verba gloriosi hominis. Quippe ad Vitellium diebus decem tribus vel duobus ante ab exercitu Germanico quam Romae a praetorianis ad Othonem delatum imperium erat. Conf. H. I 27 sqq. cum c. 56 et 57. De vanitate Valentis v. H. I. 52 cum annot.

Cap. 75. *sed insidiatores:* proxime priora humilitatem et dedecus de principatu certantium osten-

ignorantia fallentibus: Othoniani novitate vultus, omnibus in vicem gnaris, prodebantur. Vitellius litteras ad Titianum fratrem Othonis composuit, exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur. Et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor
76 clementiae gloriam tulit. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. Idem ex Hispania adlatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus: sed statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne Aquitania quidem, quamquam ab Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. Nusquam fides aut amor: metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. Longinquae provinciae, et quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio; sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus, et occupaverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Aegyptus omnesque versae in Orientem provinciae nomine eius tenebantur. Idem Africae obsequium, initio

2. *ignaris* **ab**G cum celeris: tacite correxit Rhenanus. *tutianum* **ab**, *Ticiunum* G: correxit Rhenanus. 4. *incolumis* **ab**: G *incolumes*. 9. *sed* editor: codices *et*. 13. *provincia* M^a^: G *provinciā*. 14. *longinque* M^a^. 17. *pretexto* M^a^: *praetextu* G. 18. *iudeicum* M^a^: G *Iudaicum*. 19. *syriae* M^a^, non *Suriae*. 20. *omsque* cum lin. M^a^. *versā* M^a^, *uerse* G. 21. non omittit *nomine eius* M^a^, ut videri possit ex Bekkeri annotatione. *tenebatur* M^a^: G *tenebantur*.

derant: quae iam sequuntur scelestos eosdem depingunt.

per tantam — fallentibus: haec explicant quomodo Vitellianis *impune fuerit* insidiari. Bene Doederlinius post *impune* comma adiecit.

Cap. 76. *sed statim cognitum est:* littera sibilans post proximum nomen Rufus in *set* omissa vel neglecta a scriba codicis M^a^, et hinc orta est vulgata *et*. Sed per hanc contraria iungi ita possunt, ut ipsa sine intervallo componantur, ut I 13 *avidum et minorem:* quod cum h. l fieri non possit, particulam copulantem non aptam esse liquet.

praetexto senatus: H. I 19 in eodem nominis significatu formam *praetextu* legimus, sed h. l. et c. 77 et II. II 100, III 80 M^a^ praebet *praetexto*. Est autem (hoc moneo, ne quis a Walthero decipiatur) una discrepantia formae, nulla significatus: nam utrumque nomen, et *praetextum* et *praetextus*,

Carthagine orto. Neque expectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate, Crescens Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se rei publicae faciunt) epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceterae civitates secutae.

Sic distractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem **77**
ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, Otho ut in multa pace munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando. Consul cum Titiano fratre in kalendas Martias ipse; proximos menses Verginio destinat ut aliquod exercitui Germanico delenimentum. Iungitur Verginio Pompeius Vopiscus praetexto veteris amicitiae; plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Ne-

1. *carthagine* M^a: *a kartagine* (non *a Cart.*, ut refert Waltherus) G. *uipsani* M^a: correxit Ryckius. cf. ad 14 1. 2. M^a utrum habeat *hi* an *In*, distingui nequit: G *in*. 3. *rei.p.* M^a. 4. *lititiam* M^a. 5. *Carth.* M^a: G *Kartaginem*. 6. post *distractis* in fine versus M^a exhibet tres quattuorve litteras iam non perspicuas; hinc in B *eius*. 9. *rei.p.* M^a. 10. *Kl.* GM^a. *mar.* cum lin. M^a, *martiis* pr G (corr *marciis*), *Martii* B. 11. *aliquot* M^a. 12. *Pompeius* M^a, non *Poppaeus*, ut narrat Iac. Gronovius. 13. *praetexto* M^a: G *praetextu*. 14. *interp̄tabatur* M^a.

modo passivo, modo activo significatu admittitur.

Vipstani Aproniani proconsulis: vid. annotat. ad XIV 1.

Crescens Neronis libertus — obtulerat: ipse laetus, tamquam alter Nero imperium adeptus esset, ad eundem animorum motum Carthaginienses impulit.

Cap. 77. *consul cum Titiano fratre in kalendas Martias ipse:* inde a dictatura Iulii Caesaris consulare imperium annuum esse desiit, ac sub principibus aliquando duo, saepius sex consulum paria munere suo ita functa sunt ut bini binos menses honore fruerentur; illi autem, qui kalendis Ianuariis magistratum ineunt, in fastos referuntur ac propterea *ordinarii* appellantur. Cf. Dio XLIII 46, XLVIII 35. Ordinarii igitur huius anni consules fuere Galba ac Vinius (H. I 1), qui cum decimum octavum kalendas Februarias occiderentur, consules suffecti in reliquos dies usque ad kalendas Martias fuere Otho et frater Titianus; proximos menses, Martium et Aprilem, Otho Verginio et Vopisco destinavit, Maium Iuniumque Caelio ac Flavio Sabinis, Iulium et Augustum Antonino et Celso. De ceteris eiusdem anni consulibus Tacitus exponit H. II 60 et 71, III 37 et 68 et 73.

Arrio Antonino: cf. Capitolin. vit. Antonini c. 1: *mater Arria Fadilla, avus maternus Arrius Antoninus bis consul, homo sanctus et qui Nervam miseratus est quod imperare coepisset.* Insigni laude eundem extollit Plinius Epist. IV 3 et 18, V 10.

ronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres; quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit, aut recens ab exilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Saevino Proculeio senatorius locus. Repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant.

78 Eadem largitione civitatium quoque ac provinciarum animos adgressus, Hispaliensibus et Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit; nova iura Cappado-

1. *coelio ac flabio sauinis* M^{a}. 2. *arrio antonio* M^{a}: tacite correxit Lipsius. *honori* G: *honoris* M^{a}. 6. *solacium* M^{a}. *reditus* M^{a}: G *redditus*. 7. *bleso* M^{a}. *Proculeio* editor: *‚pqse* (inter litt. *qs* superscr. *v*) M^{a}, *pontio* G, *promptius* ABR. 8 *repetundarum* M^{a}: *qui repetundarum* BG. 10. *bone* M^{a}. 12. *hispaniensibus* GM^{a}: tacite correxit Rhenanus. 13. *provincie beticae* M^{a}.

sed Otho pontificatus — addidit: hos honores de suo Otho addidit, cum consulatus non ipse contulisset sed a Nerone aut Galba delatos confirmasset. De summorum honorum gradibus et augmentis scite Seneca de Ira III 31: *dedit mihi praeturam, sed consulatum speraveram: dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem: a me numerari voluit annum, sed deest mihi ad sacerdotium: cooptatus in collegium sum, sed cur in unum? consummavit dignitatem meam, sed patrimonio nihil contulit.* Cf. Agr. 9.

nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis — recoluit: quibus olim avi ac patres sacerdotiis praediti fuerant, eadem Otho in nepotes ac filios contulit. Praepositio verbi *recoluit* significat eiusdem familiae posteris honores sacerdotiorum nunc contigisse, quae olim ea munia obierat. Mire Doederlinius *sacerdotiis* tertium casum esse pronuntiavit.

sub Claudio ac Nerone: de Cadio Rufo sub Claudio damnato v. Tacit. XII 22, de Pedio Blaeso XIV 18. *Saevini Proculei* damnationem in parte deperdita Annalium videtur memorasse. Nominis forma incerta est, sed id vix dubium quin post *Saevinum* cognomentum nomen gentilicium subiunctum sit, sive verum est *Pomptinio* (*Pontinii* nominantur in titulis et nummis; v. Vaillantii Nummi fam. R. t. II p. 287), sive fuit *Proculeio* vel *Pomponio*. Ernestius scripsit *Pomtino*, Broterius *Pomptino*, Orellius *Pomptinio*.

Cap. 78. *Lingonibus universis civitatem Romanam:* cum Galba ceteris Galliae populis civitatem Romanam donavit, Lingones non eodem honore habiti sunt; v. H. I 8 et 53. Quapropter Vitellii a Galba deficientis partes acerrime

ciae, nova Africae, ostenta magis quam mansura. Inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata, ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe vulgum adliciendi. Et fuere qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, 'Neroni Othoni' acclamavit. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu vel agnoscendi pudore.

Conversis ad civile bellum animis externa sine cura 79
habebantur. Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme caesis duabus cohortibus, magna spe ad Moesiam inruperant, novem milia equitum, ex ferocia et successu praedae magis quam pugnae intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio adiunctis auxiliis repente invasit. Apud Romanos omnia proelio apta: Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves onere sarcinarum, et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti caedebantur. Namque mirum dictu ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. Nihil ad pe-

1. *ostenta* M^{a}: *ostentui* BG. 3. *poppeae* M^{a}. 5. *volgum all.* Or. 9. *pudorẽ* M^{a}, unde G *metum — pudorem* 11. *rhosolanis* M^{a}, *rhosolani* G. in titulis *Rhoxolani* et *Roxolani;* cf. Orellii Inscr. Lat. 750 et 833. 12. *cesis* M^{a}. 13. *ex ferocia* GM^{a}, *et ferocia* R, *et ferociora* A. 16. *sarmata* M^{a}: G *sarmatae.* *dispersi cupidine praedae aut graves* Acidalius. 17. *ademptae quorum* M^{a}. *perticitate* M^{a}. hic et statim *uelud* M^{a}. 18. *nanque* M^{a}. 19. *nichil* M^{a}.

adiuverunt: II. 1 54 et 57 et 64. Otho, qui haec aut ignorabat aut non adversus se, sed Galbae odio facta esse putabat, aliquo delenimento Lingonas sibi conciliare voluit. Sed *Lingonibus* cur *universis* additum legimus? Scilicet et Lingonum et totius Galliae Comatae *primores* foedera et civitatem Romanam pridem assecuti erant. Cf. annot. ad XI 23.

ostenta magis quam mansura: si cum vulgo librorum *ostentui* legamus, Otho Cappadoces et Africam provinciam deceptum isse dicitur, quod parum verisimile est. Sed *ostenta*, ut est in M^{a}, indicat, haec iura a successore sublata esse.

ne tum quidem immemor amorum: h. e. earum quas amaverat (*Geliebten*); cf. II 41 cum annot. Poppaeae statuae eversae erant vel revulsae post caedem Neronis.

Neroni Othoni acclamavit: cf. Sueton. Oth. 7. Plutarch. Oth. 3. Dio ap. Xiphilinum LXIV 8.

Cap. 79. *Rhoxolani — ad Moesiam inruperant:* Rhoxolani inter Tanaim flumen et Borysthenem habitantes (Strabo VII 3 17) antequam in Moesiam pervenirent, cum pluribus gentibus, veluti Bastarnis,

destrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum humido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et cataphractarum pondere. Id principibus et nobilissimo cuique tegimen, ferreis laminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. Simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim scuto defendi mos est) comminus fodiebat, donec pauci, qui proelio superfuerant, paludibus abderentur. Ibi saevitia hiemis et vi vulnerum absumpti. Postquam id Romae compertum, Marcus Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius et Iulianus Tettius ac Numisius Lupus legati legionum consularibus ornamentis donantur, laeto Othone et gloriam

2. *umido* Mª. 4. *catafra* (in versus fine) *fractarum* Mª, *cathafractarum* G. 5. *tegimen* GMª, non *tegmen*. *lāminis* Mª. 6. *impetrabile* Mª, *īpenetrabile* G. 8. *facilis* Mª: *facili* GR. 10. *scuto defendi* GMª: *defendi scuto* Puteolanus. 12. *seuitia* Mª. *hiemis et vi* Muretus: Mª *hic mia* cum lin. (*miseria*), G *hic misericordia*. 13. *voln.* Or. 14. *M.* Mª. 15. *Iulianus Tettius* editor: *iulianus e titius* Mª: *iulianus, titius* G, *Iulianus Titius* vulgo. conf. ad H. 2 85.

Dacis congressi sunt. Apte igitur scriptum est eos *inrupisse ad Moesiam* ('bis nach Moesien eingebrochen'). Conf. Sall. Catil. 50: *Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos — orabat, grege facto cum telis ad sese inrumperent.*

ex ferocia et successu: haec a sequentibus commatis nota dirimenda suadet Rhenanus: quippe vir acutus hoc videtur recogitasse, ferociam non obstare, quo minus pugnae quis intentus sit. Verum ferocia et successus effecerant, ut sanae rationis vocem Rhoxolani negligerent eoque praedae magis quam pugnae intenti essent. Rhenani distinctionem dissuadet quod verbum *inruperant*, ablativo *magna spe* instructum, non concinne cum altero iungi potest.

tertia legio: cf. annot. ad H. II 74. *lapsantibus equis et cataphractarum pondere*: v. annot. ad III 43. Equorum lapsu et cataphractarum pondere impediti sunt barbari, quo minus uterentur gladiis et contis. Ablativus *pondere* causam indicat idemque valet atque *ob pondus cataphractarum*.

aut lanceis adsultans: lanceis assultabant non ipsi legionarii (v. annot. ad I 60), sed auxilia his adiuncta. Mox *levem gladium* dicit Hispanicum legionariorum.

hiemis et vi: libri Medicei notas, quae valent *hic miseria* (= *hiemis er ia*), feliciter ita resolvit Muretus, ut *hiemis* pro *hiemis*

in se trahente, tamquam et ipse felix bello, et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset.

Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio 80
prope urbi excidio fuit. Septumam decumam cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat; armandae eius cura Vario Crispino tribuno e praetorianis data. Is quo magis vacuus quietis castris iussa exequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari, aperto armamentario, iubet. Tempus in suspicionem, causa in crimen, adfectatio quietis in tumultum evaluit; et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles, et tribunos centurionesque proditionis arguit, tamquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur, pars ignari et vino graves, pessimus quisque in occasionem praedarum, vulgus, ut mos est, cuiuscumque motus novi cupidum. Et obsequia meliorum nox abstulerat. Resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant. Rapta arma, nudati gladii. Insi-

2. *rem.p.* M^a. 3. *parvo interim interim initio* M^a. *nichil* M^a. 8. *oneraria* M^a. 9. *ĩ suspicionem* G, *inspicionem* M^a. *aff.* Or. 11. *et centurionesque* M^a: G *centuriones que.* 14. *volg.* Or. *cuiuscũque* M^a. 15. *cupidũs* M^a: *cupidũ* G. 16. *seditionẽ* M^a: G *seditioni.*

(*c* = *e*), *et* pro *er*, *vi* (*ui*) pro *ia* substitueret. Itaque non vere Ernestius et Waltherus pronuntiarunt Muretum non satis pressisse veterum librorum vestigia. Alia placuerunt C. Schneidero ad Petrarch. de viris ill. part. IV p. 29 (*hiemis aut*), Doederlinio (*hiemis ac*). *Saevitia vulnerum* forent saeva quae infliguntur vel accipiuntur vulnera.

Cap. 80. *orta seditio*: eandem rem enarrat Suetonius Oth. 8, Plutarchus ib. 3, Dio LXIV 9.

unde nihil timebatur: 'orta seditio est ab *iis partibus*, unde nihil mali imminere videbatur, ab ipsis Othonianorum fidissimis, a praetorianis orta seditio'. DOEDERLINIUS. Hoc si voluisset Tacitus, certe *et unde* scripturus erat. Equidem *unde* iungo cum voc. *initio*. A praetorianis Othoni fautori nihil, sed urbi civibusque omnia timenda erant.

e colonia Ostiensi: cf. Sueton. Claud. 25: *Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit.* Eae cohortes auxiliariorum erant, non legionariae, ut patet ex praefecto paulo post (c. 82) memorato.

et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere: apte Lipsius comparavit Telemachi dictum apud Homerum (Od. *Π* 294) αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

insidentes equis — petunt: non de multitudine praetorianorum hoc accipiendum est, sed tradit narrator plures conscensis equis Palatium petivisse nuntium Othoni laturos.

Cap. 81. *cum timeret Otho, timebatur*: imperatoris timorem praesentes ita interpretabantur,

81 dentes equis urbem ac Palatium petunt. Erat Othoni celebre convivium primoribus feminis virisque; qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret, modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri. Utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus, et praefectos praetorii ad mitigandas militum iras statim miserat, et abire propere omnes e convivio iussit. Tum vero passim magistratus, proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta et ut cuique humillimus cliens, in-
82 certas latebras petivere. Militum impetus ne foribus quidem Palatii coërcitus, quo minus convivium inrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, vulnerato Iulio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino praefecto, dum ruentibus obsistunt. Un-

3. *dep̄hendi* M^a. 6. *volt*. Or. *ad suspicionem* G: *adspicionem* M^a. 11. *frequentias* M^a. 15. *palati* M^a. 16. *voln*. Or. 17. *praefecto* editor: codices *praefecto legionis*.

tamquam culpae manifestus eos aspicere vereretur, quibus perniciem pararet, factique rationem reddere vitaret.

rari domos: cf. annotat. ad I 73. Domibus magistratuum et nobilium opponuntur *amicorum tecta* et *incertae latebrae* clientium. Latebras *incertas* (*unkenntlich*) dicit, quod non facile deteguntur. A. 38: *incerta fugae vestigia.*

Cap. 82. *Vitellio Saturnino praefecto* [*legionis*]*:* praefecti in viris militaribus apud Tacitum et scriptores aequales aut duces sunt cohortium alarumve socialium aut curatores castrorum, singuli singulorum castrorum: de priore praefectorum genere dixi ad XII 35, alterius mentionem facit Tacitus I 20 et 23, XIII 39, XIV 37, H. II 26 et 29 et 89, IV 50; praeterea in re militari praefecti sunt remigum, classium; sed in castris urbanis praefectus nullus erat: eius enim officium praefecti praetorio exequebantur. Quid igitur sibi vult h. l. *praefectus legionis?* Sane inferioribus temporibus etiam *praefecti legionum* memorantur (vide Veget. II 9. Notit. dignit. multis locis), sed Taciti aevo legionum duces nulli sunt, nisi legati legionum, ac de his etiam dictum est H. II 86, III 52 illud *legioni praepositus*, quod Waltherus tamquam de praefecto legionis nescio quo positum accepit. Accedit alterum *νοθείας* indicium non minus grave. Si Saturninus dux legionis fuisset, nomen sive numerus eius legionis adiiciendus erat. Quis igitur iste fuit? Fuit Ostiensis cohortis (auxiliaris) dux et praepositus, id quod ex ipso nomine *praefectus* Taciti lectores sponte intelligebant,

dique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis, et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho, contra decus imperii, toro insistens, precibus et lacrimis aegre cohibuit, redieruntque in castra inviti neque innocentes. Postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs; deiecti in terram militum vultus, ac plus tristitiae quam paenitentiae. Manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. Finis sermonis in eo ut quina milia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. Atque illum tribuni centurionesque circumsistunt, abiectis militiae insignibus otium et salutem flagitantes. Sensit invidiam miles, et compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat. Otho, quamquam turbidis rebus et diversis **83**
militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, vulgus et plures seditionibus et ambitioso

4. *toro* M^a : *thoro* G. 5. *p̄cibus* M^a. 6. *uelud* M^a. 8. *volt·* Or. *penit.* M^a. 9. *licinius et proculus* M^a, *hanius* (prima syllaba in rasura) *et proculus* G: tacite correxit Rhenanus. 16. *postulauat* M^a. 18. *volg.* Or.

ruentibus praetorianis obsistens causamque armandae cohortis suae expositurus. Sed *legionis* in libro *ἀρχετύπῳ* ascripsit aliquis, cuius temporibus *praefecti* pro ducibus legionum vulgo dicebantur.

neque innocentes: sanguine tribuni et severissimorum ex centurionibus se cruentaverant, alios vulneraverant. Nomen *inviti* denotat cupidinem trucidandi senatus.

maesta plebs: v. annot. ad H. I 35.

Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti: ipsi praecipua gratia erant, praefecti praetorio ab ipsis militibus lecti; v. cap. 46.

otium et salutem: missionem a militiae muneribus, ne ipsi amplius periclitarentur. *sensit invidiam miles*: sensit miles quantam in se invidiam contineant illae tribunorum et centurionum preces, omne cum seditioso milite commercium exuere cupientium.

Cap. 83. *ambitioso imperio:* 'h. e. in quo princeps ambitione uteretur, quae est in captanda militum vulgique benevolentia et gratia. Suetonius Aug. 42: *ut salubrem magis quam ambitiosum principem scires*'. Ernestius. Cf. H. II 12: *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat.*

cupidine vel odio: cupidinem dicit animi affectum quo quis alteri cupit et favet, cui oppositum est *odium*, ut H. I 1 *amor et odium* componuntur. Hoc igitur Otho dicit, solitam discordiae militaris causam esse, cum eundem alii ament, alii oderint, idque in se

imperio laeti per turbas et raptus facilius ad civile bellum impellerentur; simul reputans non posse principatum scelere quaesitum subita modestia et prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis et periculo senatus anxius, postremo ita disseruit. 'Neque ut adfectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregie supersunt), sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium non cupidine vel odio, quae multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra acrius quam considerate excitavit. Nam saepe honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum. Num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quaedam milites quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tan-

1. *inp.* Mª. 5. *aff.* Or. 9. *cupidite* Mª, G *cupiditate*, A *cupidine.* 10. *egre* Mª. 12. *considerate* Waltherus: *considerat* Mª, *consideratius* G. 13. *consecuntur* Mª. 16. *quedam* Mª.

et suos milites non cadere. Ad quam formam, ad *cupidinem* an *cupiditatem*, Medicei scriptura propius accedat, difficile dictu est.

acrius quam considerate excitavit: consuetudini Latinae et concinnae structurae magis respondet *quam consideratius*, quod praebet vulgus librorum. Sic XV 3: *occulto praecepto, compositius cuncta quam festinantius agerent.* H. II 24: *recuperare gloriam avidius quam consultius properabat.* G. 36: *idque iucundius quam tutius fuit.* Sed hanc ipsam concinnitatem aliquoties declinavit Tacitus, veluti Agr. 4: *vehementius quam caute appetebat.* Conf. annot. ad I 57. Waltherus ad h. l sententiae discrimen quoddam utraque structura denotari asseveravit, non vere; v. Reisigii Praelectiones de doctrin. serm. Latin. §. 226 et Haasii ad illum l. annot. Ex verbo *excitavit* ἀπὸ κοινοῦ post *aut formidine periculorum* intelligendum *excitatum est.*

occasionum velocitas: occasiones velociter occupandae. Thucydidis dictum I 142 comparat Doederlinius: οἱ γὰρ καιροὶ τῶν πολέμων οὐ μενετοί.

ut multa etiam centuriones cet.: 'ea Othonis mens est ut velit quaedam imperia centurionibus tantum tribunisque indicari, non in milites spargi'. Lipsius. Fallitur vir egregius: hoc Otho dicit, centuriones adeo tribunosque multa a duce iuberi rationis ignaros, nedum militibus omnium quae fieri debeant causa et ratio exponatur.

tum iuberi expediat. Si, ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An et illic nocte intempesta rapientur arma? Unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium inrumpet? Vos quidem istud 84
pro me: sed in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. Si Vitellio et satellitibus eius eligendi facultas detur quem nobis animum, quas mentes inprecentur, quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt? Ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur, hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur; et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum poena erit. Ceteri abolete memoriam foedissimae noctis. Nec illas adversus senatum voces ullus usquam exercitus audiat. Caput imperii et decora omnium provinciarum ad poenam vo-

1. *sic ubi* Mª: *si ubi* pr G, altera manus *c* ascripsit. *iuueantur* Mª. 2. malim *intercidet*. 5. *tribunis* Mª. 9. *quē* G: Mª *quae*. 10. *inp̄centur* Mª. *aliut* Mª. 11. *nec centurio* Mª: *ne cent.* G. 15. *discrime* Mª: G *discrimine*. 17. *paena* Mª. 18. *faed.* Mª. 19. *senatūs* Mª: G *senatu*. *usquam* Mª: *unquam* G. 20. *paenam* Mª.

Tantum pertinet ad *iubentur*. Quorundam ratio non nisi duci nota est, ceteri iubentur, iisque quaerere non licet.

etiam imperium intercidit: praesens *intercidit* pro futuro *intercidet* a me per coniecturam commendato sine offensione esset, si praecederet *licet*, non *liceat:* coniunctivus futurum tempus respicit.

Cap. 84. *Vitellio ac satellitibus eius:* invidioso nomine Vitellii milites designat. Satellites enim stipatores corporis et in servili obsequio: cf. II 45, VI 3, XII 49, XIV 59, XVI 22. H. IV 50 et 58. Fallitur Doederlinius, hos satellites esse censens *insidiatores* c. 75 memoratos.

fortissimus — quietissimus: comparavit Lipsius Homeri Iliad. *B* 8, *Δ* 429, Livii VII 1, Aristotelis Ethic. Nic. III 10.

Germani audeant: Germani qui partem exercitus Vitelliani efficiebant (cf. c. 61 extr.), soli memorantur invidiae causa, quasi externis copiis Vitellius in rem Romanam invasurus sit. Opponuntur statim *illine Italiae alumni et Romana vere iuventus.*

praestringimus: si quis dicat sordes et obscuritatem ipsas per se delitescere, moneo tam *splen-*

care non Hercule illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Ulline Italiae alumni, et Romana vere iuventus, ad sanguinem et caedem depoposcerint ordinem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium praestringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet; senatus nobiscum est. Sic fit ut hinc res publica, inde hostes rei publicae constiterint. Quid? Vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt: aeternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore urbis nostrae institutum, et a regibus usque ad principes continuum et immortalem, sicut a maioribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus

85 principes nascuntur.' Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos, et severitatis modus (neque enim in plures quam in duos animadverti iusserat) grate accepta, compositique ad praesens qui coërceri non poterant. Non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli,

1. *hercule* GMª, non *hercle*. 3. *depoposcerZ* (est nota) Mª, h. e. *depoposcerint*, ut primus reposuit Iac. Gronovius: *deposcerent* G. 5. *pstringimus* cum lin. transv. in litt. *p* Mª, *perstringimus* G: correxit I. Fr. Gronovius. 7. *res p.* Mª. *inde* G: Mª *in*. 9. *multa* Mª. *inania* Mª et ceteri: correxit Lipsius. 10. *promisca sunt* Mª: *promiscue possunt* G et Oxonienses Mª. 11. *incolumi* (versus finis) *te* Mª: *incolumitate* G. 12. *conditores* Mª: G *conditore*. 14. *inm.* Mª. *sic amatoribus* Mª: correctum inest G. 15. *ita exenatoribus* Mª. 16. *et oratio* Mª, *ea oratio* A et corr G. 20. *urbi* Rhenanus: GMª *urbis*. *belli et* Mª: *belli erat* G.

dorem et gloriam quam *sordes et obscuritatem* notiones esse quas dicimus relativas. Prae *splendore et gloria* ordinis illustrissimi Vitellius suique sordidi sunt et obscuri.

domibus et tectis: domibus nobilium, tectis ceterorum civium. Similem sententiam Augusti ex Dione (LVI 5) Lipsius contulit, Camilli ex Livio (V 54) Ernestius.

intercidere ac reparari promisca sunt: infinitivi casu quarto positi idem denotant atque *ad intercidendum ac reparandum*. Mox *aeternitas rerum* res sunt in aeternum constitutae et ordinatae, non fama rerum gestarum aeterna.

Cap. 85. *non tamen quies urbi redierat:* in castris praetorianorum quies restituta erat, sed urbi sua facies nondum redierat nec vera

et militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu, et maligna cura in omnes quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda plerique credebant. Unde plena omnia suspicionum, et vix secreta domuum sine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversis, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas. Et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. Igitur versare sententias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque vulgaribus conviciis; quidam vera

1. *nichil* M[a]. 3. *aliquas* M[a]. 7. *ut* G: M[a] *uim.* *quenque* M[a]. 8. *adt.* M[a]. *voltumque* Or. *conversis* GM[a], *conversi* B. 10. *arduū* M[a]. 14. *vulg.* M[a], non *volg.*

quies; *urbis* scriptura assimilandi aberrationi originem videtur debere. *et militibus:* duo membra sermonis per particulas distributivas quas vocant *et* — *et* conectuntur, alterum *et militibus* — *occulto habitu*, alterum *et maligna cura* — *rumoribus obiecerat.* Haec postrema non de solis militibus dicuntur, sed denotantur quicumque Othonis favorem et curam praeferebant. *sparsis per domos occulto habitu:* habitum civium stipem a nobilibus (horum enim *domus*) petentium vel servorum aliquid negotii causantium induerant, si voces Othoni adversas excipere possent.

aut aliqua insignis claritudo: cf. annot. ad I 4.

animum vultumque conversis: conversis tertius est casus, suspensus ex verbis *plurimum trepidationis*, ut vidit I. Fr. Gronovius. A *conversis* quod rursum pendet accusativus relationis *animum vultumque*, structura subdifficilis evadit et paulo artificiosior. Theodisce: *aber am meisten Aengstlichkeit im Freien, wie jedesmal das Gerücht eine Kunde gebracht hatte, bei solchen welche sich an Gemüth und Gesichtsausdruck verwandelten.*

Cap. 86. *prodigia — vulgata:* Plutarchus Oth. 4. *omissas habenas — instituerat:* ἐν δὲ Καπιτωλίῳ Νίκης ἐφεστώσης ἅρματι τὰς ἡνίας πάντες εἶδον ἀφειμένας ἐκ τῶν χειρῶν ὥσπερ κρατεῖν μὴ δυναμένης. *ab Occidente in Orientem conversam:* erant iam qui Vespasianum et arma Orientis (H. I 50) augurarentur. Signo illo principatus ad aliquem ex Oriente profecturum deferri videbatur.

prolocutum in Etruria bovem: proloqui de bove vocem subito humanum in modum rumpente, praepositione *pro* cum verbo *loqui* apte iuncta, dictum est.

cum praesenti exitio etiam futuri pavor: Plin. N. H. III 9 (5): *quin immo vates intelligitur potius ac monitor, auctu semper religiosus verius quam saevus.*

probra iacere, in clamore tamen, et ubi plurimae voces, aut
86 tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. Prodigia insuper terrebant diversis auctoribus vulgata: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae cui Victoria institerat; erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem; statuam divi Iulii in insula Tiberini amnis sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam; prolocutum in Etruria bovem, insolitos animalium partus, et plura alia, rudibus seculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. Sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis; qui immenso auctu, proruto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo adiacentia et plana urbis loca sed secura eiusmodi casuum implevit. Rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopia quaestus et penuria alimentorum.

3. *volg.* Or. 4. *uigae* Mª. 5. *specie* Mª, *spetie* G: *speciem* Puteolanus. 7. *insolitas* (in mg. *o* ab eadem manu) Mª. 11. *inm.* Mª. *prorupto* GMª: correxit I. Fr. Gronovius. 12. *adiacentia* editor: codices *iacentia.* 14. *excubilibus* Mª: *et cubiculis* G. 15. *volgus* Or. *inopia — 2 2 Cyprum* desunt Mª, cuius in margine: 'hic deficit unum folium, dimittatur spatium pro dicto folio'.

proruto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus: haec duo causam explicant cur Tiberis etiam ad secura eiusmodi casuum urbis loca pervaserit. Itaque pons undarum vi non *proruptus*, h. e. ruptus et abstractus est, ut interpretatur Bachius vindicaturus corruptum *prorupto* a Gronovio bene correctum, sed iacuit in flumine et hunc in remota urbis adegit. In eodem verbo erratum XV 40.

non modo adiacentia et plana urbis loca: *iacentia loca*, ut vulgo scribitur, *humilia* intelligi non possunt: *iacens* enim pro *humili* dici potest in iis rebus quae natura sua et erigi possunt et prosterni humique iacere, ut domus apud Ciceronem Or. 67: *depressam, caecam, iacentem domum pluris — aestimasti.* De locis quae, sive humilia sunt sive edita, iacent omnia, eo significatu neque Tacitus neque alius scriptor Latinus hanc vocem usurpare ausus est. Quapropter restitue *ad* praepositionem post mo*do* haustam, et habebis tam sententiam quam vocem Cornelianam. Cf. I 79: *quippe in adiacentia erupturum* (Velinum lacum). 61: *adiacebant fragmina telorum.* Tiberis tunc non modo proxima urbis loca (campum Martium, circum Flaminium, forum Boarium, Velabrum), non modo plana (viam Flaminiam, forum Romanum cet.), sed etiam remota et edita (*secura eiusmodi casuum*) infestaverat.

in tabernis et cubilibus intercepti: in *cubilibus* intercepti sunt tempore nocturno, in *tabernis*, quod eae fere in infimis insularum partibus.

fames — alimentorum: Plutarchus Oth. 4: *διέφθειρεν ὑπερχυθεὶς καὶ κατακλύσας πολὺ μέρος*

Corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. Utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum quod paranti expeditionem Othoni campus Martius et via Flaminia, iter belli, esset obstructum a fortuitis vel naturalibus causis, in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.

Otho lustrata urbe et expensis bello consiliis, quando 87
Poeninae Cottiaeque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam adgredi statuit, classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium, et saevitia Galbae in custodiam habitos, in numeros legionis composuerat, facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiae. Addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus atque ipsis ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Aemilio

2. *utque* **b**G: **a** *ut qui.* 3. *quod* per comp. G: *quidem* **ab**, corr **b** *quod.* 5. *in prodigium et omen* **ab**: *et in omen* B, *in omnem* G. 7. *bello* **ab**G: *belli* tacite Rhenanus. 8. *Poeninae* Puteolanus: *penninae* **a**, *pennine* G (prius *e* ex correctione). *coctiaeque* **ab**, *coctiae que* G: *Cottiaeque* Rhenanus. 9. *aggr.* **ab**G. 10. *caesarum* **a** et corr G. 11. *miluium* **ab**G. 12. *spe* I. Fr. Gronovius: G *spes*, et sic omnes, ut videtur. *honoratioris* G: *honoratae* **ab**C. 14. *uiris ut* **ab**G: emendavit Lipsius. 16. *Novello* **ab** et G (*nouello*), non Puteolani *Nouellio*. *suelio* **ab**: G *suedio*. *emulio* **ab**: *aemilio* G.

τῆς πόλεως, πλεῖστον δ' ἐν ᾧ τὸν ἐπὶ πράσει διαπωλοῦσι σῖτον, ὡς δεινὴν ἀπορίαν ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν.

insularum fundamenta: conf. annot. ad VI 45. *Domuum* fundamenta et diligentius quam in insulis et ex saxo plerumque structa erant.

esset obstructum: Sueton. Oth. 8: *et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus ad vicesimum etiam lapidem ruina aedificiorum praeclusam viam offendit.*

Cap. 87. *lustrata urbe*: lustravit urbem, quod subita Tiberis inundatione deorum iram contraxisse civitas videbatur. XIII 24: *urbem princeps lustravit ex responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de caelo tactae erant.* Statim *bello* dativus pendet a verbo *expensis.* Rhenanus *belli* scribens structurae exquisitae substituit vulgarem.

reliquos caesorum ad pontem Mulvium: v. cap. 6 ibique annotat. De *ponte Mulvio* dictum est ad H. II 89. *in custodiam habitos:* h. e. ita habitos ut custodia esset (= ut custodirentur); accusativus effectum rei significat. Liv. XXII 25: *M. Minucium magistrum equitum — prope in custodiam habitum.*

in numeros legionis: accurate scribit *in numeros legionis*, non *in legionem* sive *in numerum le-*

Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem inditus. Peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo praetorii praefecto. Is urbanae militiae impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat.

88 Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia neque obscura, nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus. Multos e magistratibus, magnam consularium partem Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie secum expedire iubet; in quis et Lucium Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis. Igitur mota est urbis cura;

2. *oschus* **ab**: G *Oscus*. 3. *inditus* editor: *immutatus* **ab**, *imitatus* AR, *inuitatus* BG. 10. *equitantem* **a**. 15. *et*| *ut* **a**. 16. *mota est urbis cura* editor: *motae urbis curae* **ab** et ACR, *motae ur. cura* B, *mota ur. cura* G et Bodl.

gionis: nam legionem Otho nullam conscripsit, sed nonnisi aliquot cohortes legionarias. De his H. II 11: *ipsum Othonem comitabantur — classicorum ingens numerus.*

facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiae: dicit classicos interim in navibus militiam minus honoratam sustinentes, mox legendos in legionarios. Cf. annot. ad c. 6.

urbanas cohortes: cf. annot. ad IV 5. *curam navium Oscus libertus retinebat:* curam sibi adhuc demandatam *retinebat*, non tradebat ducibus expeditionis. Verbum *retinebat* indicat, alias ducibus militum classicorum simul curam navium, in pace ab homine minus illustri susceptam, fere iniunctam esse aut ab ipsis delegatam iis quos idoneos rebantur, sed tunc certam ob causam ab hoc more principem discessisse. Ceterum *oschus*, ut est in Florentinis, Italica scriptura est pro *Oscus*.

ad observandam honestiorum fidem inditus: vitia *imitatus*, *immutatus*, *invitatus* nata sunt geminata ultima littera nominis *fidem*, ut esset *minditus*; hinc *imitatus* et cetera. Conf. III 28: *inditi custodes.* Operam perdiderunt qui ex traditis scripturis aliquam vindicare conati sunt, ut vere existimavit I. Fr. Gronovius, gravi verbo usus, in his etiam Doederlinius qui *immutatum* interpretatur 'quem non mutaverat Otho alio navium curatore', obnitente usu Corneliano. Gronovius tentavit *comitatus*, Waltherus *simul datus*.

Cap. 88. *Cornelius Dolabella:* conf. H. II 63. Sueton. Galb. 12. Plutarch. ibid. 23, Oth. 5.

igitur mota est urbis cura: motae, ut est in plerisque codicibus, resolve *mota ē*, h. e. *mota est.*

nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores senatus aetate invalidi et longa pace desides, segnis et oblita bellorum nobilitas, ignarus militiae eques, quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et inritamenta libidinum ut instrumenta belli mercarentur. Sapientibus quietis et rei publicae cura; levissimus quisque et futuri inprovidus spe vana tumens; multi adflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi. Sed vulgus 89
et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis; quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Caesarum com-

2. *invalida* **ab**A: *inualidi* G. *bellorum* om **a**, in mg. habet **b**. 7. *ut instrumentũ* **ab**, G *et instrumenta.* 8. *et rei p.* **ab**B: *a rei .p.* G et Oxonienses. 9. *multi afflicta fide* G et Oxonienses: *multi afflicta fides* **ab**, *multis afflicta fides* ABCR. 10. *ac si turbatis* **ab**. 14. *proinde* **ab**: G *perinde* (per comp.).

Ex vitio *motae* sponte nata est forma quinque librorum *curae.* Nomine *urbis* complectitur cives urbis; *cura* vox est paulo mitior quam timor aut metus (*Besorgniss*).

ac turbatis rebus alacres: prius *adflicta fide* idem valet ac mala fide adflicti, huic respondet *turbatis rebus alacres.*

Cap. 89. *sed vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus*: non totum populum designat sed eam multitudinem, quae publico frumento alenda nonnisi privatas curas agebat; v. ad H. III 58.

tantum pacis adversa rei publicae primores timuere: corruptum *pertimuere* resolve *per timuere*; ex his *per* continet reliquias nominis *primores* per compendium liberius scriptum *prs*. *Primores rei publicae*, ut *primores civitatis* I 8, *cum primoribus civitatis* ibidem 24, *e primoribus civitatis* 54; II. 1 71, II 92. In civitatis primores saevitia Gai et Tiberii incubuit eoque ab his *saevae pacis* (II. I 50) mala sibi metuebantur. Conf. XVI 13: *equitum senatorumque interitus* (per vim morbi), *quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.* Lipsius legendum commendavit *adversa pertimuere* omisso nomine rei publicae; Waltherus et Doederlinius *pertinuere* haud dubie corruptum amplexi sunt, Bezzenberger coniecit *adversa rei publicae periti pertimuere.*

Scriboniani: de hoc dictum ad XII 52, XIII 43.

nondum conditorum ancilium: de his v. Forcellinius s. v. *Ancile* et *Salii;* cf. Sueton. Oth. 8. Ovid. Fast. III 260 sqq. Ferebantur sive

posuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa rei publicae primores timuere. Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coërcita; Nero nuntiis magis et rumoribus quam armis depulsus. Tum legiones classesque et, quod raro alias, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti; Oriens Occidensque et quidquid utrimque virium est, a tergo; si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium adferrent. Aspernatus est omnem cunctationem ut Neroni quoque exitiosam; et

90 Caecina iam Alpes transgressus extimulabat. Pridie idus Martias commendata patribus re publica reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exilio concessit, iustissimum donum et in speciem magnificum, sed festinata iam pridem exactione usu sterile. Mox vocata

1. *in* om **a**, *i* (cum lin.) *unius* **b** in rasura. 3. *rei publicae primores timuere* editor: *rei .p. pertimuere* G Bodl. Harl., *r. p. pertinuere* **ab** (*pertinuere* etiam C et Ies. qui *reipubl.*), *in re publica pertimuere* A, *r. p. partimuere* B. 4. *inepta* **a** et pr **b**: G *incepta.* 10. *ancilium scutum vel arma caelestia afferrent* **ab**, eadem, sed *et* pro *vel*, BCR et in margine G. 13. *re p.* **a**. 16. *sterili* **ab**G: tacite correxit Lipsius.

movebantur ancilia kalendis Martiis, post triginta dies condebantur in templo Martis.

Cap. 90. *reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas:* quod olim dixi, *sectiones* has *Neronianas* non accipiendas esse de donationibus a Nerone concessis, a Galba demptis, de quibus supra (c. 20) relatum legimus, eo argumento fretus quod *fiscum* h. l. memorari, non *aerarium* videbam, Galbamque bello gerendo pecuniam circumspexisse legeram, hoc iam omittendum et ad veterem loci explicationem redeundum esse intellexi. Nam illae *sectiones* sive auctiones si aliae essent atque eae, quas ob Neronis donationes imperatas esse a Galba ante hic noster narravit, id indicandum erat. E contrario *hasta et sector* c. 20 posita haud obscure admonent *sectionum*, quarum h. l. mentio iniecta est. *Sectiones Neronianae* igitur sunt quae ad Neronem pertinebant et quarum Nero causa fuerat (*die Nero betreffenden*, h. e. *die durch Nero veranlassten Versteigerungen*). Itaque *in fiscum conversas* universe dixit scriptor pro *publicatis*, ut H. IV 72: *redigeretur praeda in fiscum.* Utroque loco *fiscus* non commiscendus est cum *fisco Caesaris* sive *principis.*

usu sterile: ut *usu*, h. e. *re vera* (*in der Wirklichkeit*) respondet antegresso vocabulo *in speciem*, ita *sterile* praecedenti *magnificum* oppositum est. Iure igitur mireris iudicium Waltheri aliorum-

contione, maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. Et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures latum et sonans. Clamor vocesque vulgi, ex more adulandi, nimiae et falsae. Quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant; nec metu aut amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis, privata cuique stimulatio et vile iam decus publicum. Profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit.

7. *galeri* **ab**: G *et*, in margine *galeri* 9. *et* ante *ad* om **ab**: adest in G. *populi aures* **AabG** et Oxonienses: *aures* R. 14. *stimulatio* R et Puteolanus: *simulatio* **abCG** et Oxonienses. 15. *tatiano* **b**. 16. *Cornelii Taciti liber XVII. explicit incipit XVIII.* **ab**: librum I et II Historiarum uno decimo septimo complectitur G, unde patet aut hunc aut exemplar eius ex Mª iam mutilo descriptum esse.

que editorum, qui ex duobus libris vulgare vitium *usu sterili* susceperunt. *Exactionem* dicit pecuniae solvendae ab emptoribus, qui res in sectionibus Neronianis sibi pepercerant.

Galerii Trachali: cognatus erat, certe gentilis uxori Vitellii. H II 60: *Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit.* De eius ingenio Quintilianus X 1 119: *erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit, et quem velle optima crederes: auditus tamen maior. Nam et vocis quantum in nullo cognovi felicitas et pronuntiatio vel scenis suffectura et decor, omnia denique ei quae sunt extra superfuerunt.* XII 5 5: *cum diceret, eminere inter aequales Trachalus videbatur: ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus praestantia, vox quidem non, ut Cicero desiderat, paene tragoedorum, sed super omnes quos ego quidem audierim tragoedos.*

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—10: status Orientis, falsus terror Asiae et Achaiae, civitas in urbe discors. Struit iam fortuna in diversa parte terrarum initia causasque novo imperio. Titus Vespasianus e Iudaea profectus incolumi Galba, functurus officio erga principem et petiturus honores, caede eius audita Corinthi substitit (1). In regressu Venerem Paphiam adit (2). Templi et religionis origo (3). Titus oraculum consuluit, laeta omnia accepit, aucto animo ad patrem rediit (4). Vespasianus deficiendi consilia secum agitat, militem promptum habet et amicos certos, sed bellum in occasionem differt (5—7). Achaia atque Asia falsi Neronis adventu exterritae; quem cepit Asprenas et occidit (8—9). Annium Faustum delatorem fratris sui Vibius Crispus ad cognitionem senatus vocavit et pervertit (10).

Cap. 11—50: Othonis paratus belli et iter, clades ac finis. Ad imperium Othonis moti e Dalmatia Pannoniaque exercitus, ex urbe praetoriae cohortes et gladiatorum duo milia. Ipse ante agmen pedester, horridus incomptus, famae dissimilis (11). Tentandis Alpibus maritimis aggrediendaeque provinciae Narbonensi classem immittit. Licentia militis et ira in Albium Intemelium (12—13). Victi Vitelliani, sed utraeque partes tacito consensu retro cedunt et fortuna alibi transacta (14—15). Corsicam prope afflixit Pacarii procuratoris temeritas (16). Italiam Vitellio aperuerat ala Siliana, praemissaeque a Caecina cohortes prospero successu ad Padum pervenere, paulo post ipse adfuit et Placentiam expugnare intendit. Spurinna Placentiam tam perite quam fortiter defendit, Caecina trans Padum repulsus (17—22). Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducit, sed aegre coërcitam et usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. Isdem diebus in partibus Othonis a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum (23), etiam Paulini et Celsi ductu res egregiae gestae (24—26). Id damnum Vitellianos ad modestiam composuit. Valentis copiae cum Caecinae exercitu iunguntur (27—30). Iam Vitelliani proni ad decertandum: Otho consultat trahi bellum an fortunam experiri placeat. Periti moram suadent, Titianus frater Othonis, paulo ante accitus et bello praepositus, cum Proculo praetorii praefecto pugnam praefert, iidemque deterioris consilii auctores Othonem perpulere ut Brixellum concederet, dubiis proeliorum exemptus (31—33). Hinc Othonis fortuna coepit labare: contra Vitellii duces quieti intentique alienam stultitiam opperiuntur (34—36). Pugnatum haud procul Bedriaco, et proelium Othonianis

improsperum fuit (*37—45*). *Otho accepto nuntio cladis mori destinat, consiliumque sedato ante tumultu fortiter exequitur* (*46—49*). *Extrema de Othone* (*50*).

Cap. 51—72: Vitellius imperator et iter eius ex Germania ad urbem. In funere Othonis novata seditio, Verginius militum irae fugiendo se subtrahit (*51*). *Magna pars senatus, profectus cum Othone ad bellum, extremum periculum adiit* (*52—54*). *Romae nihil trepidationis. In theatro plausus Vitellio, cuncti principatus honores in ipsum collati* (*55*). *Italiam victoris exercitus licentia exhausit* (*56*). *Vitellius victoriae suae nescius ut ad integrum bellum magnis copiis proficiscitur* (*57*). *Lugduni praesto fuere victricium victarumque partium duces* (*58—60*). *Mariccus, e plebe Boiorum, seditionem per Gallias excitare ausus interficitur* (*61*). *Vitellii iter luxuria corruptum, alia non male ordinata* (*62*). *Dolabella calumniis apud Vitellium a fratre L. Vitellio petitus et occisus* (*63—64*). *Digressum a Lugduno Vitellium Cluvius Rufus assequitur; eius auctoritas apud principem validior quam delationes et falsa crimina* (*65*). *Victarum partium vires modeste distrahuntur* (*66—67*): *sed apud victores orta seditio et male composita* (*68—69*). *Vitellius Cremonam adit et campos Bedriacenses* (*70—71*). *Mendacium acribus initiis coeptum, cito restinctum* (*72*).

Cap. 73—101: defectio Orientis, Vitellius in dies contemptior. Iudaeae status et Syriae, mens exercituum Orientis. Vespasianus bellum armaque circumspectat; quae laeta ipsi, quae minus fida (*73—75*). *Muciani bellum suadentis ad Vespasianum oratio* (*76—77*); *ei ceteri assentiuntur. Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum; sequuntur ingenti alacritate Syria et Iudaea, Asia et Achaia* (*78—82*). *Belli cura, milites et pecunia acriter conquisita, Mucianus adversus Vitellium cum exercitu missus* (*83—84*). *Accelerantur Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio et Antonii Primi audacia* (*85—86*). *Vitellius ad urbem accedit luxurioso itinere, milite adversus disciplinam corrupto, non sine sanguine* (*87—88*). *Ingenti exercitu Romam ingreditur; res imperii male administratae* (*89—92*). *Vitellius multa ducibus, plus militi indulget, qui corpus otio, animum libidine imminuit* (*93—95*). *Nuntii defectionis Romam perlati, a Vitellio stulte dissimulati; excita tamen auxilia* (*96—98*). *Irruptione hostium exterritus imperator Valentem et Caecinam cum exercitu proficisci iubet. Praemissus Caecina proditionem meditatur* (*99—101*).

Struebat iam fortuna in diversa parte terrarum initia 1
causasque imperio, quod varia sorte laetum rei publicae aut

2. *uarie ortum* **ab**BG, *uari aborte* R et Vatic.: correxit Lipsius. *rei.p.* **ab**G.

Cap. 1. *imperio*: dicit gentis Flaviae *imperium* his libris prae ceteris a se tradendum. *prosperum aut exitio* : *exitio*

atrox, ipsis principibus prosperum aut exitio fuit. Titus Vespasianus e Iudaea, incolumi adhuc Galba, missus a patre causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat. Sed vulgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem. Materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium quantaecumque fortunae capax, decor oris cum quadam maiestate, prosperae Vespasiani res, praesaga responsa, et inclinatis ad credendum animis, loco omnium etiam fortuita. Ubi Corinthi Achaiae urbe certos nuntios accepit de interitu Galbae, et aderant qui arma Vitellii bellumque adfirmarent, anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrimque perlustrat. Si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti; ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore. Sin rediret, offensam haud dubiam victoris, sed incerta adhuc victoria et concedente in partes patre filium excusatum. Sin Vespasianus rem publicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus.

1. *aut exitio* G: *uel exitio* **ab**. 2. *e*] *a* **b**. 8. *capax, decor oris* Rhenanus: *capax decoris* **ab**BR, *capax decori* G et Oxonienses, *capax decorus* A. 11. *fortuna* **ab** cum ceteris: correxit Grotius. 14. *si* (in versus fine) *in* **a**. 16. *si in* pr G, corr *sin*. 17. *sed* Rhenanus: *et* **ab** cum ceteris. *incertam* **ab**. *uictoris* **ab**. G a sec. manu *incertam adhuc victoriam*. 18. *patre* G: *patriae* **ab**. 19. *offensarum* **ab** et alii: *infensarum* BG et Oxonienses.

Domitiano, *prosperum* Vespasiano ac Tito, functis fato et dilectis a civibus, quamvis Titum insidiis fratris Domitiani interceptum esse rumores ferrent; v. Suetonii Domit. 2. Dio LXVI 26.

donec unus eligatur: cf. annot. ad G 1. *praesaga responsa*: responsa cum varia sint, addito *praesaga* vatum et oraculorum responsa significavit.

Corinthi Achaiae urbe: *urbem* intellige μητρόπολιν provinciae Achaiae, ubi plerumque proconsul et quaestor. Theodisce converte *zu Corinth Achaia's Hauptstadt*, non, ut nostrates, *einer Stadt Achaia's*. In Achaia, h. e. Graecia, sitam esse Corinthum Taciti lectores admonendi non erant. De itinere Titi conf. Iosephus B. Iud. IV 9 §. 2, unde sua Hegesippus IV 21.

arma Vitellii bellumque: Vitellii nomen nonnisi ad *arma* pertinet, h. e. arma a Vitellio mota ad imperium sibi parandum; *bellumque* idem valet ac *bellum* inde ab Othone cum Vitellio gerendum. Theodisce convertas: *welche die Erhebung des Vitellius und einen Krieg betheuerten.* Paulo post verba *sin Vespasianus rem publicam suscipe-*

His ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit. 2
Fuere qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter
credérent. Neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus:
sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. Laetam
voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio modestior.
Igitur oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit adeundi
visendique templum Paphiae Veneris, inclitum per indigenas
advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi
ritum, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis
disserere. Conditorem templi regem Aërian vetus memoria, 3
quidam ipsius deae nomen id perhibent. Fama recentior
tradit a Cinyra sacratum templum, deamque ipsam conceptam
mari huc adpulsam. Sed scientiam artemque haruspicum

1. *spem et metumque* **a** 2. *fuere* G: *fuerunt* **ab**. *beronices* **ab**G, et sic statim iidem. 5. *moderatior* **ab** et A: *modestior* G. 11. *situm* GM[a] et ceteri: correxit Dureau de Lamalle. 12. *uerian* M[a]: correxit Rhenanus. 13. *peribent* M[a]: *perhibent* G. 15. *arusp.* M[a].

ret, sapiunt adulantes tunc Tito filio: nam *suscipere* est in tutelam et praesidium accipere.

Cap. 2. *spes vicit:* spes fore ut Vespasianus rem publicam susciperet et futura bene verterent.

Berenices: hanc formam alteri *Beronices* cum Lipsio praetuli, propterea quod M[a] hic deficiens H. II 81 *Berenice* exhibet. *Beronice* nomen scribitur apud Iuven. VI 156, *Βερενείκη* in titulo apud Boeckhium Corp. inscr. Gr. n. 361 tom. I p. 431, *Βερνίκη* in Actis apost. 25 13 et 23, 26 30 itemque apud Iosephum pluribus locis. De re conf. Sueton. Tit. 7. Dio LXVI 15.

laeva maris: quae per mare Rhodum et Cyprum petenti ad sinistram partem erant, Lyciae et Pamphyliae terras. *audentioribus spatiis:* maris spatia emensus, in quibus permeandis plus quam ante audebat, h. e. in mari alto et aperto. Conf. II 78 *lato mari pergere in Syriam iubet.*

Cap. 3. *regem Aërian:* veram nominis formam servavit prior Mediceus III 62: in M[a] *uerian* pervenit ex commutatione litterarum V et A: nam liber *ἀρχέτυπος* uncialibus scriptus erat.

quidam ipsius deae nomen id perhibent: eodem cognomento ab aëre sumpto etiam Minerva (Diodorus I 12) et Iuno; Martianus Capella II §. 149: *hic ego te Aëriam potius ab aëris regno nuncupatam voco.* Hesychius: *Ἀερία: καὶ Κύπρον οὕτω ἐκάλουν.*

fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum: quemadmodum paulo ante *veterem* memoriam dixit, quae templum conditum vetustissimis temporibus tribueret, ita iam *recentiorem* famam appellat, quae eam rem in aetatem minus remotam conferret. Cinyram enim Agamemnonis ae-

accitam, et Cilicem Tamiram intulisse; atque ita pactum ut familiae utriusque posteri caerimoniis praesiderent. Mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia hospites cessere: tantum Cinyrades sacerdos consulitur. Hostiae, ut quisque vovit, sed mares deliguntur: certissima fides haedorum fibris. Sanguinem arae offundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt. Simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exurgens; et ratio in obscuro.
4 Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit, de navigatione primum consuluit. Postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque con-

1. *cilicen tamiram* M^a^, *cilicenta miram* G: correxit Rhenanus. 4. *intulerat* GM^a^: correxit Puteolanus. 5. *vovitset mares* M^a^: correxit Pichena, ante quem *vovisset*: *mares*. 7. *obf.* M^a^. *p̄cibus* M^a^. 10. *meta* M^a^: G *metae*. 14. *perambales* M^a^: *per ambages* G. 15. *sacerdotis* in M^a^ fortasse correctum ex *sacerdotii*.

qualem fuisse tradit Homerus Il. *Λ* 20. Conf. Pindari Pyth. II 15 (26): κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν πολλάκις φᾶμαι Κυπρίων; τὸν ὁ χρυσοχαῖτα προφρόνως ἐφίλασ' Ἀπόλλων, ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας. Apollodorus III 14 3. Plato comicus apud Athen. X p. 456 A.

Cilicem Tamiram: Hesychius: Ταμιράδαι. ἱερεῖς τινες ἐν Κύπρῳ.

haedorum fibris: fibras posuit ut solitam vocem *exta* vitaret. Apud Virgilium X 176: *Asylas, cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent.* Ibi Servius interpretatur *iecoris extremitates*, sed poeta, ut opposita *sidera* monstrant, de extis cogitavit.

nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt: Plin. N. H. II 97 (96): *celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit. Item in Nea, oppido Troadis, circa simulacrum Minervae.* Idem de duobus dearum simulacris tradit cum dubitatione Polybius XVI 12 §. 3 et 4.

continuus orbis latiore initio — exurgens: Maximus Tyrius Diss. VIII 8: Παφίοις ἡ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ. Servius ad Virg. Aen. I 724: *apud Cyprios Venus in modum umbilici vel, ut quidam volunt, metae colitur.* Ea species in vetustis nummis Paphiorum.

Cap. 4. *laetum antiquitatibus Graecorum genus: genus* nunc dixit pro *gente*, sed ut assit significatio naturalis cuiusdam vitii aut virtutis. Sic cap. 13: *nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum.* Nos dicimus *Griechenvolk* atque *ein flinkes Volk.*

sultis adnuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit.

Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus, oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace; sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexpertus belli labor. Auxilia utrique cohortium alarumque, et classes regesque, ac nomen dispari fama celebre. Vespasianus acer militiae, anteire 5
agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habi-

3. *pervectus* GM^a, *provectus* R. 5. *iudeicum* M^a: *Iudaicum* G. *obp.* M^a. 7. *montis* M^a: *mentis* BCR et corr G, *gentis* Puteolanus. 10. *obti* (in versus fine) *bat* M^a: G *obtinebat*. *emul.* M^a. 13. *inexpertus* tacite Rhenanus: M^a et ceteri *inexperti*.

suspensis — mentibus ingens fiducia rerum accessit: *rerum* intellige *suarum*, *fiduciam* id quod fiduciam efficit vel auget (*der gespannten Stimmung der Provinzen und Heere trat er als mächtiger Hebel des Vertrauens auf ihre Macht bei*). Conf. c. 5: *dein praecipua concordiae fides Titus*. Cap. 23: *acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae*. H. IV 85: *praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus*. Maior Gronovius comparavit Iustini XI 4: *qui ex continenti ad Darium profecti non mediocre momentum Persarum viribus accessere*. XIII 6: *ubi et Olympias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium*.

profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus: profligare bellum est inchoatum persequi et propius ad finem adducere. Id fecerat Vespasianus eo quod bellum ex campestribus locis ceterisque oppidis ad una Hierosolyma depulerat. H. V 10: *intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat*. *Profligare bellum* perinde dictum H. III 50: *sufficere cohortes alaeque — profligato iam bello videbantur*. Pro *emovere* dictum est G. 13: *ipsa plerumque fama bella profligant*. XIV 36 est *proiicere* in verbis: *etiam in multis legionibus paucos qui proelia profligarent*.

ut supra memoravimus: H. I 10.

inexpertus belli labor: quod olim offendi ad repetitum nomen *labor*, id iam video sine iusta causa factum esse: pertinet enim haec repetitio ad id genus de quo dixi

tuque vix a gregario milite discrepans; prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant; aptior sermone, dispositu provisuque civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriae, ille Iudaeae praepositus, vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere, primum per amicos: dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque et vulgus militum industria licentia, per virtutes per voluptates, ut cuique in-
6 genium, adsciscebantur. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus, ut adsolet, nuntiis, et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. Namque

1. *uix aggregario* M^a. 6. *uiriusque* M^a: G *utriusque*. 7. *illae iudeae* M^a, *ille iudae* G. 8. *exitū* M^a: G *exitu*. 11. *all.* M^a. 12. *mociani* M^a. *volgus* Or. 15. *precibus* GM^a: *precipitibus* Beroaldus. 17. *nanquae* M^a.

ad XIII 2. Ceterum ut *inexpertus*, a Rhenano tacite et vitio typothetae, ut videtur, in contextu verborum positum, pro *inexperti* scribatur, necessarium mihi videtur. Nam *integra quies* quae praecessit verum laborem, qualiscumque is tandem accipietur, excludit. Ut alterius exercitus *robur* discriminibus et labore non, ut alias, exhaustum erat vel accisum sed auctum, ita vigor militum Syriacorum integra quiete ac nullo labore non, ut fere fit, extinctus erat sed excitatus. *Inexperti* corrupte scriptum est a librario antiqui cuiusdam codicis, qui exitus huius nominis et subsequentis *belli* per assimilandi aberrationem exaequavit.

Cap. 5. *anteire agmen, locum castris capere:* signum strenui et providi ducis. A. 20: *contracto exercitu militum in agmine laudare modestiam, disiectos coërcere; loca castris ipse capere*, cet.

aptior sermone: sermone aptiorem dicit (*gefügiger in der Unterhaltung*), qui modo blandiendo iis cum quibus loquebatur, modo nonnulla concedendo facilius cum ceteris conveniret quam rigidum Vespasiani ingenium. Cf. c. 86: *sermone promptus*, h. e. qui prompto sermone utitur. De Muciano v. II. I 10.

in medium consuluere: accusativus cum praepositione effectum rei significat, *ita ut medium fieret*, h. e. consociatio et consensus in consiliis capiendis. Conf. G. 46 extr. *in medium relinquam.*

industria licentia, per virtutes per voluptates: v. annot. ad XI 6.

olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta; et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant; auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares quam inspecti. Nulla seditio legionum; tantum adversus Parthos minae, vario eventu. Et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax; dein fides erga Galbam. Mox, ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire vulgatum est, ne penes ceteros imperii praemia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. Septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque; inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quidquid castrorum Armeniis praetenditur. Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecunia opulentae. Quantum insularum mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque

2. *caepta* M^a^. 4. *aditique* M^a^. 9. *volg.* Or. *paenes caeteros — paenes* M^a^. 13. *quicquit* M^a^. idem H. 2 78 *quicquit*, sed *quidquid* H. 2 81, 3 52 et 83 et 84, 4 24 et 39, *quidquam* H. 3 56, 5 5. 14. *asya* M^a^. 15. *pecunia* editor: codices *pecuniae*. 16. *belli* M^a^: G *bello.*

Cap. 6. *validissima inter se civium arma:* ea dicit bella civilia, quae maximis viribus opibusque gesta sunt ducibus Sulla Marioque, Caesare et Pompeio, Bruto Cassioque et triumviris Octaviano, Lepido, Antonio, postremum Antonio et Octaviano.

proximo civili bello: intelligit bellum a Vindice et Galba in Neronem motum.

vires suas circumspicere: circumspicere eo significatu posuit, ut consilium rebellandi adversum vires Occidentis significaret: nam quod alioqui unis ducibus licet et competit, hoc iam miles aggreditur. Simul δραματικῶς per haec subsequentem copiarum Orientis descriptionem introduxit. Duas Aegypti legiones statim enumeratas etiam Tiberii aevo in Aegypto locatas esse tradit IV 5.

pecunia opulentae: vulgata scriptura *pecuniae* assimilandi errore nata est. Nam Tacitus insignis variandi artifex post proximum *virorum inopes* haud dubie *pecunia opulentae* scribere maluit quam ponere easdem terminationes, quas litterarum similitudo iungi, significatus secerni postularet. Accedit, quod apud Tacitum genitivus nomini *opulentus* alibi nunquam additus est, sed eo vocabulo aut absolute ille usus est, ut H. II 32 *ipsis omnia opulenta*, aut cum ablativo, velut III 46 *voluptatibus opulentos*. Omnino genitivi nonnisi unum exemplum ex poeta Graecos imitante (Horat. Carm. I 17 16, *tibi copia manabit — ruris honorum opulenta*) afferre potuit Forcellinius: nam in altero quod ex Livio XXXV 1 transcripsit *opulentum praedae exercitum* rescriben-

7 ipsum mare. Non fallebat duces impetus militum: sed bellantibus aliis placuit expectari [bellum cum iis]. Victores victosque nunquam solida fide coalescere. Nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem; et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occasionem distulere Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis; optimus quisque amore rei publicae: multos dulcedo praedarum stimulabat, alios ambiguae domi res. Ita boni malique causis diversis, studio pari, bellum omnes cupiebant.

8 Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae velut Nero adventaret, vario super exitu eius rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e

2. *bellum cum iis* seclusit editor. *expectari bellũ cũ hi* (vel *In*) M[a], *expectari bellum. Quum in* G et alii, *exspectari belli exitum* Pichena. 3. *nũquam* M[a]. *solidã* M[a]. *coalescere* AM[a]: *coalesceret* G et alii; idem G *fides.* 6. *luxuriae* M[a]: *luxuriem* G. 9. *RP.* M[a]. 12. *asya* M[a].. *exterrite* M[a]. 13. *uelud* M[a].

dum est duce libro Bambergensi optimo *praeda*, ut fecit Bekkerus, ac male genitivum ibi tueri conatur Gronovius afferendo ex IX 36 *opulentus rerum omnium*, cum eo loco sit *opulentusque rerum omnium copia.* Apud eundem saepe recurrit *praeda opulentus* (conf. Drakenb. ad IV 34 4; cuius copiis addidit Kreyssigius XX 5 *victor exercitus opulentusque praeda*), neque usquam genitivus aut in hoc nomine aut in alio. Etiam Virgilius, quem saepe auctorem sequitur hic noster, vocabulo *opulentus* tantummodo ablativum consociavit Aen. I 447, VIII 445.

quantum insularum mari cingitur: ut in prioribus, ita etiam in his praedicatum supplendum *nostrum est* vel *ad bellum praesto est*; itaque apte subsequitur *et — mare*, ac Doederlinio et sine iusta causa suspectum fuit. De repetito nomine *mare* cf. ad XIII 2.

Cap. 7. *placuit expectari [bellum cum iis]:* in Medicei verbis (*bellum cum hi*) *hi* natum est ex *iis*, pro *s* ut alibi substituta *i*, *h* pro *ı ı* (II = II), et *bellum cum iis* mala Latinitate dictum pro *bellum inter eos.* Hinc sponte liquet ea verba Taciti esse non posse, sed ad explicandum verbum *expectari*, ab auctore exquisite et sua brevitate positum, haec in *ἀρχετύπῳ* supra versum aut in margine addita esse. Pichena interpolavit *belli exitum* a plerisque editoribus nimio obsequio adoptatum, Doederlinius scripsit *bellum. [cum his] Victores* cet.

Cap. 8. *Achaia atque Asia falso exterritae:* in regionibus Achaiae atque Asiae vicinis modo versatus scriptor apte hic adiungit quae alia apud Orientem tum accidere. *ceterorum casus conatusque:* in his etiam ille fuit, cu-

Ponto sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharae et cantus peritus, unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides, adiunctis desertoribus quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur; ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit vel abnuentes interfici iussit, et spoliatis negotiatoribus mancipiorum valentissimum quemque armavit. Centurionemque Sisennam, dextras, concordiae insignia, Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferentem, variis artibus adgressus est, donec Sisenna, clam relicta insula, trepidus et vim metuens aufugeret. Inde late terror, multis ad celebritatem nominis erectis rerum novarum cupidine et odio praesentium. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio 9
Asprenati regendas Galba permiserat. Datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit. Nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in maestitiam compositus et fidem suorum quon-

1. *cytharae* M^a^. 2. *similitudine moris* M^a^. 7. *quenque* M^a^. 11. *afugeret* M^a^: G *aufugeret*. 12. *multi* M^a^: G *multis*. *celebri* (in versus fine) *tem* M^a^. 14. *galitiam* M^a^, *Gallatiam* G. 15. *premiserat* cum lin. transv. in litt. *p* (*perremiserat*) M^a^, non Furiae *per se miserat:* correctum inest G. *misensi* M^a^. 16. *cum quibus* GM^a^: *eum, quibus* A. *scithinum* M^a^, *scythinum* G: correxit Lipsius. 17. *trierchos* M^a^: G *trierarchos*. 18. *mest.* M^a^.

ius tamquam praecipui H. I 2 facta mentio est.

unde illi — propior ad fallendum fides: Doederlinius ἀσύνδετον dedit commate posito ante *ad fallendum :* sed vetus iunctura et perspicua et antiqua simplicitate praestantior. *Fides* h. l. est id quo fides efficitur (*Beglaubigung*).

spoliatis negotiatoribus — armavit: apud negotiatores et servos et pecuniam deprehendit; iam igitur valentissimum quemque ex mancipiis armare potuit.

dextras, concordiae insignia: cf. H. I 54.

Cap. 9. *is in maestitiam compositus: is* pendet ex *Neronis* nomine ante posito, ita tamen ut rerum scriptor non verum Neronem sed falsum designet, cum isti novarum rerum fautores verum Neronem adesse dixissent. Hoc minus accurate a Tacito institutum videtur. Praestaret haud dubie *ipse*, ut contraria enuntiatorum luculentius perspicerentur. Satellites illi Neronis trierarchos ex navibus suis accitos ad Neronem personatum adduxerunt. Tum ipse quid tentaverit narratur. Illa *fidem suorum quondam militum invocans* accipienda sunt de colloquio Neronis et trierarchorum, ut sequentia docent, non de sermone ad classiarios ipsos habito.

dam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat. Trierarchi nutantes, seu dolo, adloquendos sibi milites et paratis omnium animis reversuros firmaverunt. Sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata; cuius cohortatione expugnata navis et interfectus quisquis ille erat. Corpus, insigne oculis comaque et torvitate vultus, in Asiam atque inde Romam pervectum est.

10 In civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia potentia ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat. Nam recens, Galbae principatu, censuerant patres ut accusatorum causae noscerentur. Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. Ad hoc terrore et propria vi Crispus incubuerat

1. *syriă aut egypto* M^a. 2. *trierarchis* M^a: *trierarchi* G. 4. *asprenatis* M^a. 5. *quisque* M^a: *quisquis* G. 6. *asyam* M^a. 8. *ob* G: M^a *hoc.* *crbras* M^a. 10. *scrispus* M^a. 13. *cognationem* M^a: *cognitionem* G. 14. *principatū* M^a. 15. *uariae* M^a. 16. *retinebat* GM^a: correxit Puteolanus (non Rhenanus, ut narrat Orellius). 17. *hunc* M^a, *haec* G: *hoc* Rhenanus. *terrore* Beroaldus: M^a et ceteri *terroris.*

firmaverunt: h. e. *adfirmaverunt.* Conf. I 81: *vix quidquam firmare ausim.* VI 6 et 28 et 50.

insigne oculis — vultus: haec iam probant *similitudinem oris* in falso Nerone supra memoratam. Cf. Suetonii Ner. 51: *oculis caesiis et hebetioribus.* Mox: *circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam — summiserit.*

Cap. 10. *qui temporibus Neronis delationes factitaverat:* operam ab Annio Fausto accusandis innocentibus hominibus insumptam in deperdita Annalium parte attigisse Tacitus videtur. *recens Galbae principatu: recens* adverbii vice fungitur et idem valet ac *nuper.* Ipsum addito *Galbae principatu* certius definitur.

id senatus consultum: Doederlinio *senatus* h. l. nominativus est, sed adversatur collocatio verborum. Statim *retinebatur* olim fuit in G: nunc compendii nota posita post litteram *t* erasa est. In M^a et aliis nota quae significat *ur* neglecta est a scriba, ut videtur. Certe forma *retinebat* ceteris non convenit.

ad hoc terrore et propria vi: Mediceí *hunc* ex *hoc* corruptum est, dum scriba *hōc* se observasse credit et perperam in *hunc* resolvit. Idem valet *ad hoc* atque *praeterea.* XIV 31: *ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur.*

delatorem fratris sui pervertere; traxeratque magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. Contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum, censebant. Et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio. Mox damnatus est Faustus, nequaquam eo adsensu civitatis quem pessimis moribus meruerat. Quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat.

Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium 11
eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praemissa; ipsae modicis intervallis sequebantur, septima a Galba conscripta, veteranae undecima ac tertiadecuma et praecipui fama quartadecumani, rebellione Britanniae compressa. Addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos; unde longa illis erga Neronem fides et erecta in Othonem studia. Sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. Agmen legionum alae cohor-

2. *indefensũs* Mª. 3. *nichil* Mª. 7. *ass.* Or. 9. *paena* Mª. 15. *tertiadecuma* Mª referente Victorio: Or. tacite *tertia decima*. *praecipui* GMª, *praecipua* C. 16. *brittanniae* Mª. 18. *roburis* Mª.

XV 38: *ad hoc lamenta paventium feminarum — impediebant.* Amplius *terrore* pro *terroris* scripsi secutus Beroaldum: genitivus originem debet opinioni scribentis, particulam *et* idem valere quod *etiam*, et verba *propria vi* postulare casum ex ipsis suspensum. Terrorem Tacitus dicit quem Crispus ceteris senatoribus iniecit (*durch Einschüchterung*).

delatorem fratris sui pervertere: non intelligit iudicium quo Vibius Secundus repetundarum damnatus est accusantibus Mauris a. 60 a Chr. sub principe Nerone (XIV 28), sed aliud quo idem maiestatis crimine, ut videtur, postea concidit: nam in priore nullus *delator* extitit, sed iusti accusatores repetundarum crimen ulti sunt. Fortasse hoc alterum iudicium in perditis Annalium libris expositum fuit.

easdem accusationes cum praemio exercuisse: potentiam eius sub Nerone Tacitus significavit XIV 28, alia fortasse de eodem in libris amissis tradidit. Cf. H. IV 23 et 41, O. 8. Vibium ingentes opes quas possedit (O. 8), delationibus parasse indicant verba *cum praemio.*

Cap. 11. *quartadecumani — compressa:* XIV 34—37.

addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos: legionem illum comprimendis Vindicis et Galbae coeptis Nero elegerat, neque recte de bello adversus Albanos a Nerone parato cogitat Doederlinius.

tesque praeveniebant. Et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo milia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus, quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso iam Alpes Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus incomptus,
12 famaeque dissimilis. Blandiebatur coeptis fortuna, possessa per mare et naves maiore Italiae parte, penitus usque ad initium maritimarum Alpium. Quibus temptandis adgrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem, Antonium Novellum, Aemilium Pacensem duces dederat. Sed Pacensis per licentiam militum vinctus; Antonio Novello nulla aucto-

2. *quitum* M[a]: G *equitum*. 3. *deformae* M[a]. 5 *Spurinna* GM[a], non *Spurina*. 7. *cecina* M[a]. 12. *pedestre* M[a]: G *pedester*. 14. *et maiore* BGM[a]: *et* expunxit Rhenanus, non iam Beroaldus, ut narrant Waltherus et Orellius. *partes* M[a]: G *parte*. *penitus* M[a], non *penit*, ut significasse videtur Victorius. 16. *narbonensis* M[a]: G *narbonensi*. 17. *emilium* M[a].

Nam huic bello gerendo nonnisi singulos numeros ex Germania et Britannia et Illyrico delegerat (H. I 6); sed postquam seditio Gallica erupit, totam legionem quartamdecimam accivit. Sic apte succedunt *unde longa illis erga Neronem fides*. *e fiducia tarditas inerat:* cf. annot. ad I 57.

alae cohortesque, h. e. equites peditesque sociorum legionibus adiuncti.

his copiis rector additus Annius Gallus: singulae copiarum partes ante enumeratae suos duces habebant, sed omnibus rector *additus* est Annius Gallus, unus ex tribus illis quibus Otho (H. I 87) curam equitum peditumque mandaverat.

speculatorum lecta corpora: validissimi praetorianorum in speculatores allecti sunt; vid. annot. ad H. I 24. *veterani e praetorio* sunt praetoriani exauctorati sed sub vexillo retenti et nondum missi; cf. I 38 ibique annot. Qui hoc loco *veterani e praetorio*, iidem paulo post (c. 18) *vexillarii* vocantur. *classicorum ingens numerus:* v. H. I 87.

Cap. 12. *Suedium Clementem — duces dederat:* cf. H. I 87.

per licentiam militum vinctus: *vinctus* haud dubie est *vinculis oneratus*. Sic c. 26 *vinctus praefectus castrorum*, mox *cum fratrem eius — Othoniani vinxissent*, item *vincta agmina* XV 58; adde XVI

ritas: Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus. Non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tamquam externa litora et urbes hostium urere vastare rapere, eo atrocius quod nihil usquam provisum adversum metus. Pleni agri, apertae domus. Occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec deest iuventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit. Sed primo impetu caesi disiectique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium. Inritatus eo proelio Othonis miles vertit **13**
iras in municipium Albintimilium. Quippe in acie nihil praedae, inopes agrestes et vilia arma; nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum. Sed calamitatibus insontium expleta avaritia. Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites cre-

2. *corruptius* M^a: G *corruptus*. 3. *adiris* M^a: *adiri* G. 8 *marti mastum* M^a: G *maritimas tum*. 13. *irr*. Or. 14. *Albintimilium* Puteolanus: *albiniti militũ* (superscr. *ũ* syllabae *li*, ut sit *milium*) M^a, *albuntimilium* G, *Albium Intemelium* Lipsius. *nichil praede* M^a. 15. *agrastes* M^a. *uilla* M^a: G *uilia*. 17. *ausit* M^a.

10. Doederlinius dubius erat sitne tropice accipiendum pro *impeditus*. Sed tunc casu ablativo additur quo quis impediatur, ut I 65 *eodemque iterum fato vinctae legiones*.

ambitioso imperio regebat: tertius ex ducibus regebat quidem milites, sed ita ut favorem et obsequium ambiendo pararet. Itaque modestiam disciplinae militum arbitrio reliquerat, ambitione corruptus et metu; vide ad H. I 83. Doederlinius *immodestiam* coniecit, sed alius generis est quod comparavit, H. I 35 *adversus blandientes incorruptus:* nam *incorruptus* est qui corrumpi nequit (*unbestechlich*).

securitate pacis et belli malo: pro more diversa composuit iunxitque, non bene dirempta a Doederlinio commate posito post v. *pacis*. Ipsi dum securi pacem expectant, belli malo circumveniuntur.

maritimas tum Alpes tenebat procurator: cf. annot. ad I 80.

Cap. 13. *Albintimilium:* de hoc oppido Strabo IV 6 1 p. 202: *τῶν οὖν Λιγύων τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δὲ ἐπιιετμημένως μᾶλλον Ἀλβιγγαῦνον* Plin. N. H. III 7 (5): *flumen Retuba, oppidum Albium Intemelium; flumen Merula, oppidum Albium Ingaunum* Cf Tacit. Agr. 7. Ut forma contracta *Albigaunum* iuxta *Albium Ingaunum*

didissent eoque per cruciatus interrogarent ubi filium occuleret, uterum ostendens latere ibi respondit, nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiae mutavit.

14 Imminere provinciae Narbonensi, in verba Vitellii adactae, classem Othonis trepidi nuntii Fabio Valenti attulere. Aderant legati coloniarum auxilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, quattuor equitum turmas, universam Trevirorum alam cum Iulio Classico praefecto misit; e quibus pars in colonia Foroiuliensi retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis adcelararet. Duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere; quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii, nondum sub signis. Nec mora proelio, sed acie ita instructa ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci, praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur: Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos

2. *ibi* interposuit editor. 3. *egregie* M[a]. 4. *auddctă e* M[a]: *adactam* corr G. 5. *trepidi nuntii Fabio Valenti* M[a]: *fabio ualenti trepidi nuncii* G. 7. *universa mire uirorum* M[a]: *universam treuirorum* G. 10. *adc.* M[a]. 12. *quingentis* M[a]: *quingenti* G. 14. *paginis* M[a].

(c. 15 extr.), ita etiam *Albintimilium* praeter *Albium Intemelium*, et sic Antonini Itinerarium p. 296 ed. Wesseling., ut monuit Waltherus. Alia attulit Furlanetto apud Forcellinium s. v. *Albintimiliensis.*

uterum ostendens latere ibi respondit: ut irrisio instantium, qualem femina respondendo peregit, efficeretur, non satis erat ut uterum ostenderet et latere filium diceret, sed in utero latere respondendum erat. Recte igitur Heinsius et Ernestius adverbium desideraverunt, alter *hic*, alter *ibi* post v. *uterum ostendens* inserturus. Sed *ibi* post *latere* fuit, absorptum a praecedente vocali (LATEREBI pro LATERE IBI), dum B pro R habetur et *latereri* pro *latere* prave auctum esse creditur.

Cap. 14. *in verba Vitellii adactae:* hoc addunt nuntii ut iustam trepidationis suae causam esse significarent. *quingenti Pannonii nondum sub signis*: milites Pannoniorum ante conscripti et missi ad exercitus Germanici auxiliares, sed nondum in cohortes divisi. Sic H. I 68: *Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus.*

Alpinos: Alpini Ligurum cohors vocatur, vetus coloniae Foroiuliensis auxilium, paulo ante memorata. Nam per ipsam Liguriam Alpes usque ad vicina Genuae tendunt. Strabo IV 6 1. Tum *cohortes* breviter dixit electos e cohortibus Tungrorum, eadem dicendi

proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant.
Trevirorum turmae obtulere se hosti incaute, cum exciperet
contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad
iaciendum etiam paganorum manus, qui sparsi inter milites,
strenui ignavique, in victoria idem audebant. Additus per-
culsis terror invecta in terga pugnantium classe. Ita undique
clausi; deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum
attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus. Nec Vitel- 15
liani, quamquam victi, quievere. Accitis auxiliis securum
hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. Caesi
vigiles, perrupta castra, trepidatum apud navis, donec sidente
paulatim metu, occupato iuxta colle defensi, mox inrupere.
Atrox ibi caedes, et Tungrarum cohortium praefecti, susten-
tata diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incru-
enta victoria fuit, quorum inprovide secutos conversi equites
circumvenerunt. Ac velut pactis indutiis, ne hinc classis,
inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro An-
tipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albigaunum
interioris Liguriae revertere.

1. *quietem* Mª: *equitem* G. 2. *Treuir.* GMª, non *Treuer.* 7. *delete que* Mª. *oms* cum lin. Mª. *uictore* Mª. 8. *obtenui* Mª: *obiectum obtentui* G et Oxonienses. 10. *cesi* Mª. 12. *irr.* Or. 13. *cedes* Mª. *pref.* Mª. 16. *uelud* Mª. *ñe* G: Mª *nec.* 18. *Albigaunum* Mª: *arbingaunum* G, *Albingaunum* B et Oxonienses.

venia usus c. 15: quippe praefecti assunt cohortibus quamvis non integris. His iuncti erant etiam illi *quingenti Pannonii*, quamquam de his nihil relatum est.

veteranus miles: h. e. milites armis longo usu assueti et exerciti, non veterani e praetorio, qui apud ipsum Othonem (c. 11).

obtentui fugientibus: non vere ad h. l. Ernestius 'quo idoneo praetextu fugere honestius poterant Vitelliani'. Vitellianis enim non tam honestae fugae cura erat, quam ut quavis ratione fugientes occidioni eximerentur. Itaque *obtentui* accipiendum est de tutela noctis, qua usi Vitelliani hostibus se subtraxerunt (*die Nacht diente den Fliehenden als schützende Hülle*). Eadem significatione et nomen et casus positus est H. I 49: *sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat sapientia vocaretur.* Quemadmodum his in locis *obtentus* est *velum*, sive tuendo sive impediendo aptum, ita H. III 56 verbum *obtendere* est *velare* et *obscurare: contionanti — tantum foedarum volucrum supervolavit ut nube atra diem obtenderent.* Conf. H. III 36: *Vitellius curis luxum obtendebat.*

Cap. 15. *nec Vitelliani:* conf. annot. ad II 82. Auxilia accita sunt a Vitellianis e praesidio Foro-

16 Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris insulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam prope adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. Namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio etiam si provenisset. Vocatis principibus insulae consilium aperit, et contra dicere ausos, Claudium Pyrrhicum trierarchum Liburnicarum ibi navium, Quintium Certum equitem Romanum, interfici iubet. Quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba, in verba Vitellii iuravere. Sed ubi delectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse quam incolerent, et longe Germaniam viresque legionum; direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. Et aversi repente animi; nec tamen aperta vi, aptum tempus insidiis legere. Digressis qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops in balineis interficitur; trucidati et comites. Capita, ut hostium, ipsi

3. *Pacarii* M^a, non Furiae *pacari*. 4. *nichil* M^a. *summa* GM^a: correxit Rhenanus. 5. *nanque* M^a. 8. *phyrricum* M^a, *pyrricum* G: *Pyrrhicum* Oxonienses. 10. *imperatorum* M^a: G *imperitorum*. 11. *dilectum* M^a. 12. *picarius* M^a. 18. *picarium* M^a. *in balineis* editor: *balineis* M^a, *balneis* G.

iuliensi. *sidente paulatim metu:* raram hanc metaphoram *naves* quae praecedunt calamo scriptoris videntur suggessisse: naves enim vado maris acquiescentes proprie *sidere* dicuntur. Conf. I 70: *quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret.*

Cap. 16. *nihil in summam profutura:* vitium *summa* assimilandi aberratione prodiit; *in summam* est *ut rei summa efficeretur.* Cf. annot. ad XIII 38. *Corsorum viribus:* hoc non sine aliqua irrisione dictum est.

inconditos homines: h. e. incondita vitae consuetudine usos, neque ordini militiae neque laboribus assuefactos. Cf. III 20 et 46.

in balineis interficitur: quod vulgo legitur *balineis interficitur*, id Latine et recte diceretur, si Pacarius vapore balnei enectus aut aquae superfusae vi submersus esset: sed a percussoribus eum confossum esse et cetera et verbum *interficitur* declarant. Itaque ablativus balineis est casus loci, isque nude positus praepositione carere nequit. Cf. annot. ad I 60. Praepositio delituit post proximum *inops* neglecta, aut quod in ἀρχετύπῳ ĪBALINEIS obscure scriptum erat.

interfectores ad Othonem tulere; neque eos aut Otho praemio adfecit aut puniit Vitellius, in multa colluvie rerum maioribus flagitiis permixtos.

Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra **17** memoravimus, ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent: sed longa pax ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus et melioribus incuriosos. Florentissimum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam; intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. Quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. Inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse; quem repente contra Placentiam transgressi, raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent. Certum erat **18** Spurinnae (is enim Placentiam obtinebat) necdum venisse Caecinam, et si propinquaret, coërcere intra munimenta militem, nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obicere. Sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere, et retinenti duci tela intentare, spretis centurionibus tribunisque:

2. *aff.* Or. *puniit* Mª, *puniuit* G. *conluvie* per comp. Mª, *colluuie* G. 4. *italia* Mª: *in italia* G et Oxonienses: *Italiam* tacite Rhenanus. *bellum que* Mª. 5. *Siliana* Mª: *syllana* G. *quenquam* Mª. *fabore* Mª. 9. *nanque* Mª. 18. *Spurinnae* GMª, non *Spurinae*. *optinebat* Mª. 23. *tribunisque providentiam ducis laudari* Mª. verba inculcata ex seqq. delenda suasit Pichena.

Cap. 17. *ala Siliana:* vid. ad H. I 70. *melioribus incuriosos:* casus *melioribus* tamquam dativus incommodi, ut ita dicam, accipiendus est. Ad significatum vix quicquam attineret, si *meliorum* scriptum esset, sed hoc tamquam vulgare nunc vitavit; perinde XIV 38: *fames adfligebat serendis frugibus incuriosos.*

praemissae a Caecina cohortes: de his traditum H. I 70.

inritabat — Padus ipse: flumen incitabat Batavos et Germanos, ut artem natandi qua praecellebant ostentarent. Cf. II 8. H. IV 12.

Cap. 18. *Spurinnae:* Vestricius Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus (c. 11) Placentiae cum tribus praetoriis cohortibus substiterat. Plura de viro insigni Plin. Epist. II 7, III 1 et 10. Rem a Tacito narratam etiam Plutarchus Othone c. 5 et 6 bre-

quin prodi Othonem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alienae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio

19 mitesceret. Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. Is labor urbano militi insolitus contundit animos. Tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. Iamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens, relictis exploratoribus ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo sed obsequium et parendi amor; quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud paeniteret.

20 At Caecina, velut relicta post Alpes saevitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, bracas barbarum tegmen indutus, togatos adloqueretur. Uxorem autem eius Saloninam, quamquam in nullius

1. *qui pro* (per comp.) *othonẽ* M^a: correxit Bekkerus, ante quem auctore Pichena *quin proditionem*. 4. *app.* Or. 5. *contundit* M^a: *contudit* AG. 10. *providentiã* GM^a: correxit I. Fr. Gronovius, ante quem Rhenano tacite praeeunte *laudare providentiam*. 15. *aucte* M^a. 17. *penit.* M^a. 18. *uelud* M^a. *seuit.* M^a. 20. *versicoloris* M^a: *uersicolori* G. 21. *bracas* Ma: *brachas* G. *barbarum tegmen* M^a: G *tegmen barbaricum*, corr G *tegmen barbarum*. *all.* M^a. 22. *uxorem aũ* (h. e. *autem*) M^a: *uxorem quoque* G.

viter descripsit. Poemata a Plinio laudata interciderunt: quattuor odae eius nomine a Casp. Barthio in Adversariis XIV 5 protractae ab ipso editore videntur concinnatae esse.

mille vexillarios: v. ad H. II 11.

correptis signis vexillisque: praetoriani sua signa, legionarii vexilla corripuerant. Cf. annot. ad II 17.

Cap. 19. *vetustissimus quisque:* vetustissimi primi ab insano ardore ad meliora redire coeperunt.

quam ratione ostendens: pingit virum moderatum et sapientem, qui additis causis (*ratione*) culpam militum convincere quam conviciis militaribus reprehendere eos malebat.

Cap. 20. *ornatum ipsius*: conf. Plutarch. Oth. 6. Illud *barbarum tegmen* ex sermonibus indignan-

iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tamquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere quam quos in aequo viderunt. Caecina Padum transgressus, temptata Othonianorum fide per colloquium et promissa, isdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit, gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. Sed primus 21
dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. Municipale vulgus, pronum ad suspiciones, fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis, invidia et aemulatione, quod

1. *insignis* GM^{a} et alii: *insigni* Puteolanus. 2. *insitā* M^{a}. 3. *agribus* M^{a}: *aegris* G. *acribus* ex C rettulit Broterius. 4. *inequos* M^{a}, *in equo* G. *vider* cum lin. super litt. *er* M^{a}, h. e. *viderunt*, ut G et alii. *caecinā* M^{a}. 5. *othianorum* M^{a}. *conloquium* per comp. M^{a}. 9. *fama* M^{a}: *phamam* G. 11. *ciuos* M^{a}: G *cibo*. 12. *amphiteatri* M^{a}. 14. *flandes* M^{a}: G *glandes*. *et missilem* GM^{a}: *ac m.* B. *obsesso* M^{a}: G *obsessos*. 15. *dum reportans gerunt* M^{a}: emendavit Iac. Gronovius. *volg.* Or. 17. *e* AG et Oxonienses: M^{a} *et*. *invidiae aemulatione* M^{a} et ceteri: emendavit Muretus.

tium Tacitus in sua recepit. Nominantur *municipia* et *coloniae*, quod ibi Romanus mos et habitus.

insignis equo ostroque: insignis fuit uxor eo ipso quod equo vehebatur et ostro ornata erat. Apud Plutarchum Oth. 6 est *ὀχουμένη ἵππῳ, κεκοσμημένη ἐπιφανῶς*.

acribus oculis: M^{a} *agribus* ex scriptura uncialium litterarum (ACRIBVS, AGRIBVS) detorta est. Acres oculi usque ad interiora penetrant, unde *introspicere*.

ut initia belli provenissent, famam in cetera fore: cf. Agr. 18: *non ignarus instandum famae ac, prout prima evenissent, terrorem ceteris fore.* XII 31: *ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni.*

gravabantur, h. e. graviter ferebant; cf. III 59: *gravaretur adspectum civium senex imperator.* V 8: *spem ac metum iuxta gravatus Vitellius.* Apud Ciceronem idem loquendi genus non invenitur, sed proprium est poetarum et scriptorum qui seriore aetate pedestri sermone usi sunt. Exempla ex Suetonio aliisque dedit Forcellinius s. v. *gravo*.

Cap. 21. *veterani exercitus artibus*: artes quas ille exercitus longa consuetudine edoctus erat primo die non adhibuit, sperans fore ut impetu colonia ac sine

nulla in Italia moles tam capax foret. Quocumque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum, reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina; et nox parandis operibus absumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris protegendisque oppugnatoribus, Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. Utrimque pudor, utrimque gloria, et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium; illi ut segnem et desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. Simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve, uberioribus inter se probris quam laudibus
22 stimulabantur. Vixdum orto die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis virisque campi, densum legionum agmen,

1. *accidit* GMa: *accidat* B, non etiam Ma, ut narrat Iac. Gronovius. 3. *mer.* Ma. 5. *absumpta* Muretus: *assumpta* GMa. 6. *subf.* Ma. *obp.* Ma. 7. *inm.* Ma. 8. *utrimque* utrobique Ma: *utrinque* G. 9. *exort.* Ma. 11. *et desidem* Ma: G *ac des.* 12. *hii* Ma. 16. *campis* Ma: G *campi.*

temporis detrimento caperetur; postero die quibus usus sit artibus, descripsit inde a verbis (c. 22) *legionarius pluteis et cratibus* cet.

pulcherrimum amphitheatri opus: *opus* (nos dicimus *Bau*, *Bauwerk*) magnum aedificium et artificiose structum significat, ut apud Suetonium Tiber. 31 *opus novi theatri.*

et nox parandis operibus absumpta: quomodo primus dies *transactus* sit sive absumptus, adhuc expositum est. Sine operibus, nullis pluteis cratibusque ac vineis, sed impetu coloniam expugnare milites Vitelliani aggressi erant. Iam dicendum erat quid nocturno tempore partes utraeque egerint. Nimirum cum prima luce obsidio acerrime tentanda instaret, tam obsessores quam obsessi tota nocte opera paravere; hoc est *et nox parandis operibus absumpta*, non *adsumpta*, quia tempore diurno nulla opera facta erant. Librorum scriptura *assumpta*, quae placuit Walthero et Orellio, pravae assimilandi inclinationi originem debet.

expediunt: v. annot. ad VI 43.

uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur: exemplum brevitatis et in dicendo δεινότητος Tacitinae. Quae ad celebrandum imperatorem suum utrique dicebant, ea aut exilia erant aut falsa ideoque minus apta stimulandis ad virtutem animis: sed quae uterque exercitus probra ab adversariis in principem ab se factum audiebant, adversum multa et vera vitia iactata, iis facilius et saepius fautores imperatoris reprehensi stimulabantur, quam quae ipsi in laudem eiusdem prompserant.

Cap. 22. *densum legionum agmen:* accuratius scripsisset *densum*

sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa comminus adgredi. Ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis et certo ictu, adversus temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium. Legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. Pars subeuntium obruti; pars confixi et exsangues aut laceri, cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Caecina pudore coeptae temere oppugnationis, ne inrisus ac vanus isdem castris adsideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere intendit. Tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis et Iulius Breganticus cum paucis equi-

5. *umeros* Mª. 6. *legionariū* Mª. *gratibus* Mª, non Furiae *gradibus.* 7. *praetorianis* Mª: G *praetoriani.* 8. *molarēs* Mª. 11. *voln.* Or. *redire* Mª: G *rediere.* *Caecina fama pudore* Mª: correctum in GR et Oxoniensibus. v. *fama* e praeced. repetitum. 12. *caepta et emere* Mª. *obpugnationes* superscr. *i* litterae *e* Mª, *oppugnationis* G. 14. *Turullius* GMª. 15. *conpl.* Mª. *Breganticus* GMª: *Briganticus* B.

legionariorum agmen. Nam in Caecinae exercitu non nisi una legio iusto cohortium militumque numero fuit (*unetvicesima*); v. II. I 61. Sed qui additi erant ex ceteris Germaniae superioris exercitus legionibus numeri, ii haud dubie legionum suarum nomina tenuerunt, veluti *quartani*, *duoetvicesimani;* hos igitur et plenam legionem unetvicesimam nunc *agmen legionum* vocavit.

nudis corporibus: h. e. nullis tunicis et loricis: verenda intectos noli cogitare; cf. annot. ad G. 6.

instruit aggerem: eo in aggere turres aedificandae et tormenta disponenda erant, ut tela librato magis ictu desuper in obsessos iacerentur. *Turulius:* nomen dictum a *torulo* et impositum ab ornamento quodam capillorum, ut videtur. Hinc rectius scribetur *Turulius* quam *Turullius*, et sane apud Gruterum p. 735 2 est *Turulius Faustus* et *Turulia Flora*, apud Ciceronem ad Fam. XII 13 *Turulius* quaestor Bithyniae duobus locis: contra in Muratorii titulo (1757 8) est *Cn. Turullius.*

Cap. 23. *diffisus paucitati cohortium:* quod in Mª ab eadem manu *paucitati* pro *paucitate* correctum est, id ex ipso antiquo exemplari factum esse iudico. Nam Taciti qui sit usus in verbo *diffidere* clarum ex XV 35 *defensioni merito diffisum*, item 55 *quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret:* nam in his nomen *testamento* tertium esse casum, non sextum, ceteri ablativi docent; idem dicendum de verbis XV 4 *qua fluvio diffidebatur.* Omnino certa exempla iuncti cum verbo *diffidere* ablativi de-

tum, hic praefectus alae, in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

23 Spurinna comperto itinere hostium, defensam Placentiam quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducebat, diffisus paucitati cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent. Ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coërcitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque.

Isdem diebus a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. Namque promptus animi Marcius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et ceteris Cremo-

6. *paucitate* ab eadem manu correcto *paucitati* M[a]: G et Oxonienses *paucitate*. 7. *pulsu* M[a]. 10. *beronam* M[a]. 11. *infastusque* M[a]: G *infaustus que*. 12. *Marcio* M[a]: *M.* supra ab altera manu ascripto *cio* G, qui mox *martius*. utrum *haut* an *haud* in M[a] non liquet. 13. *nanque promptius* M[a]: *nãque promptus* G.

sidero, et quod affertur ex Suetonii Iulio Caesare (c. 3 *cum ingenio eius diffisus, tum occasione quam minorem opinione offenderat*), in eo *occasione* pro *occasioni* assimilandi vitio natum videtur. Nec vero ablativus ex *confidere* et *fidere* aptus eo adhiberi iure potest, ut idem etiam in *diffidere* concessum esse probetur: nam in illis ablativus instrumenti loco fungitur, quod in *diffidere* non cadit.

Bedriaci: haec est scriptura M[a], quocum consentit et Sambuci liber et Vaticanus et Budensis: *Bebriaci* ACGR et Oxonienses. Ad formam *Bedriacum* proxime accedit *Betriacum* apud Suetonium Othone c. 9, *de Betriacensi victoria* apud eundem Vitellio c. 10, *Βητριακὸν* apud Plutarchum Oth. c. 8 et 13. Calami vitium videtur esse *Bebriacum* in Iuven. Sat. II 106, item *Bebriacensibus bellis* in Plin. N. H. X 69 (49), *Bebriacum* apud Hieronymum ed. Vallarsianae p. 676. Scholiasta Iuven. II 99: *hunc* (Othonem) *incomparabilis vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniae* (lege auctore Lipsio *apud Bedriaci campum*). *Horum bellum scripsit Cornelius*; *scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide.* Pompeius Planta h. l. memoratus aequalis erat Taciti, Traiano principe praefectus Aegypti, de quo Plinius Epist. X 7 (5): *rogo ergo, indulgentissime imperator, ut mihi ad Pompeium Plantam, praefectum Aegypti, amicum tuum, — epistolam mittas.* Apud Iosephum B. Iud. IV 9 §. 9 olim *Φρηγδιακὸν* legebatur, nunc auctore Spanhemio *Βηδριακόν*.

duabus iam Romanis cladibus: altera clade Othoniani a Vitellianis, altera Vitellii exercitus a Vespasiani copiis victus est; vid. infra II 41—44, III 15—25.

nam fugientibus caesi qui restiterant. Sed repressus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam proelii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, omnia ducum facta prave aestimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum [nam eos quoque Otho praefecerat] variis criminibus incessebant. Acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae. Scelere et metu vecordes miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris; qui humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat, rebus prosperis incertus et inter adversa melior. Igitur Titianum fratrem accitum bello praeposuit.

Interea Paulini et Celsi ductu res egregiae gestae. Angebant Caecinam nequidquam omnia coepta et senescens 24

1. *cesi* M^a^. *resisterant* M^a^: G *restiterant*. *reprehensis* M^a^: G *repressus*. 3. *omnia quocum* M^a^, *omnia quecunque* (in margine ab alia manu *ducum* pro *quecunque*) G, *omnia que ducum* A, in quo *ducum* a secunda manu in rasura. 4. *aestimantibus* M^a^, *extimantibus* G. 5. *Paulinum* M^a^, non *Paullinum*. 6. *quoque Otho* GM^a^: *Otho quoque* Rhenanus. 7. *incessebant* A: *incesserant* GM^a^. 13. *csilii* cum lin. super litt. *c* (*consilii*) M^a^: G *celsi*. 14. *caepta* M^a^.

nam eos quoque Otho praefecerat: quid hoc? Num Annius Gallus et Suetonius Paulinus et Marius Celsus *cum Marcio Macro* duces militum electi sunt, ut hoc loco scribi a Tacito posset *nam eos quoque Otho praefecerat*? Immo illi tres peditum equitumque copiis rectores destinati sunt, ita ut praeter eos unus Licinius Proculus praetorio praefectus malis artibus et gratia apud Othonem praevaleret. Lege II. 1 87. Iam si ab hoc Proculo haud procul Cremona prospere pugnatum esset, scribi poterat *nam eos quoque Otho praefecerat*: ut nunc est, verba illa prorsus otiosa sunt et sensu carent. Nam Marcius Macer (is manus gladiatoriae praefectus iussa ducum exequebatur) cum particulam exercitus navibus transvectam in adversam Padi ripam effudisset ac parta victoria ab ducibus totius exercitus revocatus esset, victores ceterique Othoniani suspicione tacti non Marcium Macrum aliorum iussis obnoxium, sed duces qui iusserant criminibus incessiverunt. Itaque qui haec ascripsit (sua sumpsit ex infida recordatione verborum II. 1 87), eadem dignitate qua Gallum et Paulinum et Celsum etiam Marcium Macrum praeditum fuisse falso credidit, de eo securus cur in illos crimina iecerint milites, ab hoc abstinuerint. Porro si *praefecerat* non de toto exercitu intelligimus, sed ita ut Otho gladiatoribus in adversam Padi ripam tramissis praeter Marcium etiam illos tres praeposuerit, id primum cum narratione Taciti, qui Marcium totius incepti auctorem producit, pugnat, tum per se non est verisimile, denique ita non liquet, cur criminantes a Macro abstinuerint. Haec olim a me

exercitus sui fama. Pulsus Placentia, caesis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu proelia, inferior, propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam avidius quam consultius properabat. Ad duodecimum a Cremona (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit. Equites procedere longius iussi, et inritato proelio sponte refugi festinationem sequentium elicere, donec insidiae coorerentur. Proditum id Othonianis ducibus, et curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere. Tertiae decimae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxi-

4. *recip.* M[a]: G *recup.* 6. *castrorum* M[a] et ceteri: emendavit Alciatus. *auxiliarios* superscr. ab eadem manu *ũ* M[a], ut sit *auxiliarium*: G *auxiliarios.* 8. *iussit* M[a] et ceteri: correxit Rhenanus. *irr.* Or. *festinatione* M[a]. 9. *coercerentur* GM[a]: tacite correxit Rhenanus (*coorirentur*). 14. *ingessit* M[a]: *incessit* G. *uexillaribus* GM[a] et alii: emendavit Mercerus.

scripta recte se habere etiam adversarii Orellius et Doederlinius fidem fecerint: nam prior verba illa per se sanissima, sed ceteris non convenientia, corrupta esse opinatur de remedio desperans, alter turpe vitium ipsi Tacito delegare voluit.

variis criminibus incessebant: vitium *incesserant*, a Walthero et Orellio mire defensum, ex antiqua scriptura ab eo qui confecit Mediceum ductum est, cum INCESSEBANT falso legeret INCESSERANT, ut in Annalibus XVI 22 *tenebo* pro *te, Nero.*

Cap. 24. *caesis nuper auxiliis:* cf. c. 14 et 15.

locus Castorum vocatur: aedes Castori et Polluci fratribus posita brevitatis causa *Castoris* vel *Castorum* vocabatur. Suetonius igitur de hoc ipso loco locutus Othone c. 9 *ad Castoris* scripsit, Orosius VII 8: *circa locum quem Castores vocant.* Idem usu venit in templo urbis Romae geminis fratribus sacrato, cui *aedes Castorum* nomen apud Plin. N. H. X 60 (43), XXXIV 11 (6). Cf. Regionariorum descriptio Reg. VIII: *templum Castorum ad lacum Iuturnae.* Sueton. Caes. 10: *evenisse sibi* (Bibulus dixit), *quod Polluci: ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam Caesarisque munificentiam unius Caesaris dici.*

aggerem viae: viam aggere congesto alte eductam intelligit, cui nomen Postumiae (H III 21), a Cremona Bedriacum, Mantuam, Veronam ducentem. Aedes Castorum inter Cremonam et Bedriacum sita, Vitellianis in sinistra, Othonianis in dextra viae parte. In eo aggere cum per aciem praetoriae cohortes consistere vel incedere non possent, eum altis ordinibus (*in Colonnen*) obtinuere.

dextra fronte prima — quin-

liaribus cohortibus et quingentis equitibus. Super hos e praetorio auxiliisque mille equites, cumulus prosperis aut subsidium laborantibus, ducebantur. Antequam miscerentur 25 acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus doli prudens repressit suos. Vitelliani temere exurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti ultro in insidias praecipitantur. Nam a lateribus cohortes, legionis adversa frons, et subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnae non statim a Suetonio Paulino pediti datum. Cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret ne vincerentur. Ea cunctatione spatium Vitellianis datum in vineas nexu traducum impeditas refugiendi. Et modica silva adhaerebat; unde rursus ausi promptissimos praetorianorum equitum interfecere. Vulneratur rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens. Tum Othonianus pedes erupit. Protrita hostium 26 acie, versi in fugam etiam qui subveniebant. Nam Caecina non simul cohortes sed singulas acciverat; quae res in proe-

1. e G: M^a *et*. 5. *exs*. Or. *cedunt* e M^a: G *cedente*. 6. *precip*. M^a. 7. *legionis* editor: libri *legionum*. *frons* M^a, *fronte* B et corr G. 8. *cinxerat* M^a. 16. *voln*. Or. *Othonē* M^a.

gentis equitibus: hac parte robur exercitus Othoniani, quia eadem Vitelliani imminentibus viae lucis ex adverso in insidiis locati erant.

Cap. 25. *a lateribus cohortes:* cohortes intellige tres praetorias in ipsa via et quattuor auxiliorum in sinistro positas. Eae dextrum Vitellianorum cornu petiverunt. Apud Othonianos in eodem loco vexillum tertiaedecimae legionis positum h. l. brevitatis causa Tacitus praeteriit, *cohortes* meminisse contentus.

legionis adversa frons: sententia clara est. Frons primae legionis adversa stetit hostibus Celsum et equites Othonianos persequentibus. Codices autem non *legionis* praebent, sed *legionum*, quod si est a Tacito, is admodum negligenter et praeter morem, ne dicam vitiose, locutus est. Nam ex descriptione c 24 posita liquet primam tantummodo legionem huic proelio affuisse. Ceterae copiae fuere vexillarii tertiaedecimae legionis, cohortes auxiliares, praetoriani, equites. Dicat aliquis vexillum illud tertiaedecimae legionis et primam legionem nomine *legionum* comprehensa esse. Audio: verum vexillares tertiaedecimae legionis in *sinistro* locati erant, ubi cohortes auxiliorum, non in *dextra fronte*, ubi prima legio, ut satis appareat ex illis vexillariis neminem in hac parte cum legione prima obviam ire Vitellianis potuisse. Forma *legio-*

lio trepidationem auxit, cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur. Vinctus praefectus castrorum Iulius Gratus, tamquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem eius, Iulium Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes occursantes, in acie pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Caecinam potuisse, ni Suetonius Paulinus receptui cecinisset, utrisque in partibus percrebruerit. Timuisse se Paulinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur et perculsis nullum retro subsidium foret. Apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus adverso rumore fuit.

27 Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit quam ad modestiam composuit; nec solum apud Caecinam, qui culpam in militem conferebat seditioni magis quam proelio paratum: Fabii quoque Valentis copiae (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu et recuperandi decoris

9. *percrebruerit* Beroaldus: *percrebruit* M[a], *percrebuit* G, in quo *r* ascriptum supra *b*. 11. *atque* GM[a]: *ac* B. 12. *periculosis* M[a]: G *perculsis*. 13. *volg.* Or. *adversorum ore* M[a]. 15. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M[a]: G *perinde*. *id* GM[a], om B. 19. *contētu* M[a].

nis pro *legionu* et haec pro *legionū* accepta est.

rex Epiphanes: est filius Antiochi regis Commagenorum, de quo in annot. ad XII 55, Romam missus a patre causa nobis incognita. Rex stirps regia etiam H. V 9 *Pacorus*, Orodis Parthorum regis filius. Epiphanes et frater Callinicus exhibentur in nummo Commagenorum (v. Eckhel D. N. III p. 258, Visconti Iconogr. Gr. III p. 16) cum inscriptione *ΒΑΣΙΛΕΩΣΙ ΥΙΟΙ*, in aversa parte *ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ*.

Cap. 26. *tamquam fratri — proditionem ageret:* interpretatur Orellius 'cum fratre de proditione *ageret*'. Immo locutio sumpta est de scena, ubi primarum partium actori alter secundas agit, alius tertias, atque ipsa proditio in gratiam fratris suscepta a Vitellianis Grato obiicitur.

apud fugientes occursantes, in acie pro vallo: de binis membris *ἀσυνδέτως* compositis vid. annot. ad XI 6.

tantum insuper laboris atque itineris: dicit laborem delendi ceteros in exercitu Vitelliano nondum in proelium eductos et iter usque ad castra Caecinae emetiendum.

Cap. 27. *haud perinde* sqq.: apto transitu redit ad alterum exercitum a Valente in Italiam ductum, narrationis contextum primo

cupidine reverentius et aequalius duci parebant. Gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum a Caecina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quarta decima legione digressas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbe agebant, ut cuiusque legionis tentoria accessissent, coërcitos a se quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum duci; corrupta iurgiis aut rixis disciplina; ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat. Igitur nuntio adlato pulsam Trevirorum 28
alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas ac, si una forent, praevalidas dispergendi, partem Batavorum ire in subsidium iubet. Quod ubi auditum vulgatumque, maerere socii, fremere legiones. Orbari se fortissimorum virorum auxilio; veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci.

1. *aequaljs* superscr. *v* Mª. 3. *interrumpit* Mª : *interrumpi* eraso *que* G. 5. *brittanniam* Mª. 7. *cuius* Mª: *quoiusque* G. 12. *ireuirorum* (non *ire virorum*) Mª, *treuerorum* G. 15. *preual.* Mª. 16. *volg.* Or. 17. *merere* Mª. 19. *uelud* Mª.

libro (c. 66 extr.) relictum excipiens.

rettulimus: lege libri proxime superioris c. 59 et 64.

cuiusque legionis tentoria: in exercitu Valentis duae legiones integrae vel paene integrae, quinta (H. I 61) et prima Italica ex Lugdunensibus abducta (H. I 64), ex aliis vexilla.

Cap. 28. *sin victoriae sanitas, sustentaculum columen:* non bene olim de nomine *sanitas* tamquam subditicio cogitavi: iam recta explicatione dubitationem praecidam. Quippe duo membra assunt, unum *victoriae sanitas*, alterum *sustentaculum columen*, non iungendum cum nomine *victoriae*, sed iuxta positum et de victore exercitu accipiendum, cuius sustentaculum et columen in Italia verteretur. Theodisce converto: 'wenn die Siegesfrische, der Stützpunkt und Giebel auf Italien beruhe'. Sustentaculum id est quo innituntur de victoria et imperio decertaturi, columen illud quod tamquam summum et excelsum consequi student, et sic in Annalibus (VI 37) Abdagaeses *columen partium* vocatur. Utrumque proprie dicitur de aedificio et hinc varie transfertur. Non vere Orellius *columen* interpretatur pilam firmando operi vel muro positam (*Strebepfeiler*), significatum ex Vitruvio et architecturae auctoribus sumptum. Sed

Si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriae sanitas, sustentaculum columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos
29 artus. Haec ferociter iactando, postquam immissis lictoribus Valens coërcere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. Spolia Galliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultare clamitantes, direptis sarcinis, tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur. Nam Valens servili veste apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alfenus Varus praefectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti et id ipsum, quod nemo regeret, paventes. Silentio patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. Ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium miseratio favor: versi in laetitiam, ut est vulgus utroque immodicum. Laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt.

2. *victoriae* Mª, *victoria* G. 4. *inm.* Mª. 5. *cohercere* Mª. *caept.* Mª: 7. *p̄tia* Mª. 10. *Alfenius* Mª: *alphenius* G. 12. *obire*] *circuire* mg. Mª, sed non 'ab eadem manu', ut narratur apud Bekkerum. 15. *p̄cibus* Mª. 16. *quer.* Mª. 17. *fabor* Mª. 18. *volg.* Or. *inm.* Mª.

nunc loquuntur homines architecturae imperiti, quorum voces ex usu vulgari explicandae sunt.

Cap. 29. *spolia Galliarum et Viennensium aurum:* cf. H. I 66.

Alfenus Varus: in Mª nunc forma *Alfenius*, sed posthac et saepe et constanter *Alfenus*. Nomen ipsum et gens ex Cremona, Galliae transpadanae colonia, orta (vid. Schol. ad Horat. Serm. I 3 130), ideoque non mirum deesse solitam nominum gentilium terminationem *ius*, perinde ut in *Vipstanus*, *Suffenus*. *Alfenus* est apud Horatium Serm. I 3 130, ubi numerus (*e* producta est vocalis) *Alfenium* excludit; *Alfenus Anteros* est in Gruteri titulis p. 866 2, item *Alfenus Rusticus* et *Alfena* liberta. Apud Muratorium *Alfeni* quattuor. Sed quia Romani nomina gentium in fine per *ius* efferre solebant, factum est ut etiam *Alfenius* parum accurate scriberetur. Ea forma est in titulo a Marinio in Actis Arvalium (I p. 24) vel Orellio Inscript. Lat. n. 644 edito, ubi *L. Alfenius*, in alio apud Gruterum p. 208, ubi *Alfenius Senecio*, in uno Muratorii (p. 936 7), in quo *Alfenius* et *Alfenia*.

silentio patientia, postremo precibus ac lacrimis: vid. annot. ad XI 6. *ut est vulgus utroque immodicum*: cf. H. I 69.

aquilis signisque: aquilas intellige legionis quintae et primae

Ille utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit; ac
ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit, gnarus
civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere. Munien- 30
tibus castra apud Ticinum de adversa Caecinae pugna adla-
tum, et prope renovata seditio, tamquam fraude et cunctatio-
nibus Valentis proelio defuissent. Nolle requiem, non expe-
ctare ducem, anteire signa, urguere signiferos. Rapido
agmine Caecinae iunguntur. Inprospera Valentis fama apud
exercitum Caecinae erat: expositos se tanto pauciores integris
hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem, et
adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi
et ignavi despectarentur. Et quamquam plus virium, prope
duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti,
studia tamen militum in Caecinam inclinabant, super benigni-
tatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis,
proceritate corporis et quodam inani favore. Hinc aemulatio
ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum
ac vanum inridebant. Sed condito odio eandem utilitatem
fovere, crebris epistulis, sine respectu veniae, probra Othoni
obiectantes, cum duces partium Othonis quamvis uberrima
conviciorum in Vitellium materia abstinerent. Sane ante 31
utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagi-

7. *urguere* Mª : *urgere* G. 15. *habebantur* Mª : G *habebatur*. 16. *fabore* Mª. 17. *faedum* Mª. *ac maculosum* Mª : G *et mac.* *tumidum ac vanum* Mª : *vanum ac tumidum* G. 19. *eplis* cum lin. Mª.

Italicae (H. I 61 et 64); *signa* sunt *vexilla* centuriarum e legionibus. Cf. annot. ad II 17.

Cap. 30. *non expectare ducem:* sua brevitate dicit Tacitus pro *non expectare ducis iussa* ex castris proficisci praescribentis.

rapido agmine Caecinae iunguntur: spatium inter Ticinum et Cremonam ad Caecinae castra raptim emetiuntur.

se tanto pauciores: h. e. se tanto pauciores quam qui cum Valente advenerant. Haec non respiciunt *integras hostium vires* sed exercitum a Valente adductum. Nam haec ipsa erant, quibus se simul excusarent et adventantium robur attollerent. Et sane Valens quadraginta milia et insuper legionem Italicam, Caecina triginta ducebat; cf. H. I 61 et 64.

foedum ac maculosum: cf. ad H. I 7 et de moribus Valentis H. I 66 fin.

Cap. 31. *sibi inhonestus: sibi inhostus* Mª omissa media syllaba (*ne*), quemadmodum idem liber

tiosissimam meruere, minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae: contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre et gula sibi inhonestus, Otho luxu saevitia audacia rei publicae exitiosior ducebatur.

Coniunctis Caecinae ac Valentis copiis nulla ultra penes Vitellianos mora quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret. Tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere,
32 festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit. Exercitum Vitellii universum advenisse, nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant, et deserere Rheni ripam inrupturis tam infestis nationibus non conducat. Britannicum militem hoste et mari distineri; Hispanias armis non ita redundare; provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse; clausam Alpibus et nullo maris subsidio transpadanam Italiam, atque ipso transitu exercitus vastam; non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. Iam Germanos, quod genus militum apud hostis atrocissimum sit, tracto in aestatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli caelique haud toleraturos. Multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse. Contra ipsis

1. *ignaue* M^a. *uoluptatis* superscr. *e* M^a. 2. *fraglantissime* M^a, *flagrantissime* G. 3. *cedes* M^a. 4. *inp.* M^a. *gyla* M^a. *sibi inhonestus* Pichena itemque Victorius: *sibi inhostus* M^a, *sibi ipsi hostis* G et Oxonienses. 5. *seuitia* M^a. *R. P.* M^a. 6. *paenes* M^a. 8. *trai* M^a. *tunc* M^a: *tum* G. 14. *brittannicum* M^a. 15. *destineri* M^a. 20. *hostis* M^a: G *hostes*.

persaepe cum alibi peccat tum eadem in voce XV 25, ubi *inhosta* pro *inhonesta;* cf. H. IV 62, ubi M^a *inhora* pro *inhonora* Vitellius ventre et gula infamiam sibi contraxit, non perniciem: immo sagina hominis cutem bene curabat. Falsum est igitur quod pronuntiat Ernestius, manifestum esse Tacitum uti voluisse antithetis: *Vitellius sibi, Otho rei publicae perniciosus.*

qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur: hanc ille famam rebus adversus Mauros bene gestis colligere coepit Claudio principe, cum a. 794 Atlantem transgressus est legatus praetorius (Dio LX 9. Plin. N. H. V 1), immensum auxit legatus consularis debellatis rebellibus Britannis Nerone imperatore. Vid. Tacit. XIV 29—39. Agr. 5 et 14. H. II 37.

omnia opulenta et fida, Pannoniam Moesiam Dalmatiam Orientem cum integris exercitibus, Italiam et caput rerum urbem, senatumque et populum nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et immensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiae sueta aut aestibus. Obiacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes; e quibus nullam hosti cessuram Placentiae defensione exploratum. Proinde duceret bellum. Paucis diebus quartam decimam legionem, magna ipsam fama, cum Moesicis copiis adfore: tum rursus deliberaturum, et si proelium placuisset, auctis viribus certaturos. Accedebat sententiae Paulini Marius Celsus; idem placere 33 Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi adflicto, missi qui consilium eius sciscitarentur rettulerant. Otho pronus ad decertandum; frater eius Titianus et praefectus praetorii Proculus, imperitia properantes, fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus testabantur. Neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem conces-

1. *Delmatiam* M^a: G *dalmatiam.* 2. *capud* M^a. 3. *etsi* BG et Harl.: *etiam* M^a et CR, *etiam si* corr Harl. 4. *inm.* M^a. 5. *paec.* M^a. 6. *suaeta* M^a. 7. *censuram* M^a, *caesuram* G. 8. *defensionē* M^a. 9. *magnā ipsam famā* M^a. 10. *cum* in G et edd. antiquis omissum restituit Lipsius. *moesaicis* M^a: G *moesicis; Moesiacis* Lipsius. 13. *labsu* M^a. 15. *pref.* M^a. 18. *audiret* M^a: G *auderet.*

Cap. 32. *Dalmatiam:* M^a alter nunc *Delmatiam* praebet et H. II 86 *Delmaticum*, sed H. I 76 *Dalmatiae* legitur, H. II 86 *Dalmatiam*, H. III 12 et 50 *Dalmatae* et *Dalmatarum.* Quapropter constantiae causa h. l. auctorem veterem non secutus sum, quamquam in Annalibus *Delmatas* et *Delmatiam* sponsore Mediceo priore scripsi (cf. annot. ad XII 52): nam in talibus variare in variis operibus et temporibus ipse Tacitus potuit.

obiacere flumen Padum: haec dixit respiciens Vitellianos in Italiam urbemque irrupturos, non suas ipsius partes Bedriaci in regione Transpadana consultantes. Non vere Savilius ad h. l. 'non ad Bedriacum, ubi in consilium itum, sed hoc vult, si retrocederent (quod optabat) in Cispadanam regionem, et defensionis suae curam capesserent'.

magna ipsam fama: in M^a *magnā ipsam famā*, unde licet observare varium usum notae: nam haec plerumque illic est pro *m*, aliquando pro *s*, non raro ablativi casus nota, id quod nunc usu venit.

Moesicis: vera nominis forma a me reposita in codice M^a paulum in deterius deflexit (*Moesaicis*), librario fortasse de Moyse

serant. Postquam pugnari placitum, interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret dubitavere. Paulino et Celso iam non adversantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere ut Brixellum concederet, ac dubiis proeliorum exemptus summae rerum et imperii se ipsum reservaret. Is primus dies Othonianas partes adflixit. Namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus, quando suspecti duces, et Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse nonnisi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat.

34 Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis: et exploratores, cura diversa sciscitandi, sua non occultabant. Quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis inprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac

4. *idem* GM^a. 5. *summã* M^a: G *summe*. 6. *imperiis* M^a: G *imperii*. 9. *suspectu* M^a: G *suspecti*. 10. *et ut Otho* M^a: *ut* om GR. ortum id est *διττογραφίας* errore prave correcto. 11. *in* om M^a: adest in G. 12. *nichil* M^a. *ut in* M^a: *in* G. 14. *ocult.* M^a. *quiet* M^a: G *quieti*. 15. *inpr.* M^a: *impr.* G. 16. *aliena stultitiam* M^a: *alienam stulticiam* G. 17. *obp.* M^a.

sive Mose non opportune cogitante; cf. H. II 44 *Moesicas legiones*. ibid. c. 85 *tres Moesicae legiones*, c. 86 *Moesici exercitus*. *Moesicae alae* et *Moesici exercitus* H. III 2, *Moesico exercitu* H. III 9, *Moesicae legiones* H. III 11. Quae omnia cum in eodem opere et eodem fere temporis spatio conscripta sint, cur ab hoc more semel defecerit Tacitus, iusta causa proferri nequit.

Cap. 33. *idem placere — adflicto:* cf. Plutarch. Othone c. 8.

fortunam et deos et numen Othonis — testabantur: perite imitatur foedae adulationis eloquentiam et inanium verborum copiam.

ne principem obiectare periculis viderentur: v. ad II 5.

ut Brixellum concederet: eo ut perveniret, Otho paulum retrocedere et ex sinistra Padi ripa in dextram transgredi debebat.

et remanentium fractus animus, quando — reliquerat: ne verba *remanentium fractus animus* de fortitudine imminuta prave acciperentur, additis ceteris prospexit, ut militum et ipsius imperatoris adversus duces diffidentiam causam fuisse cur animus frangeretur, lectores admonerentur. Otho imperia ducum in incerto reliquerat, quod fratri proelium suadenti accesserat eumque bello praeposuerat, sed ceteros duces ideo non dimiserat neque imperia illis ademerat.

Cap. 34. *transitum Padi simu-*

ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves pari inter se spatio, validis utrimque trabibus connexae, adversum in flumen dirigebantur, iactis super ancoris, quae firmitatem pontis continerent. Sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine inoffensus ordo navium attolleretur. Claudebat pontem imposita turris et in extremam navem educta, unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxaque et faces iaculabantur. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus mo- 35
lientes, Germani nando praelabebantur. Ac forte plures transgressos, completis Liburnicis, per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur. Sed neque ea constantia gladiatoribus ad proelia quae militibus; nec perinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa vulnera dirigebant. Et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros, aut comminus mergere. Quae cuncta

2. *conexae* M^a^. 3. *anchoris* GM^a^. *firmitate* M^a^: G *firmitatē*. 4. *achorarum* M^a^: *anchorarum* G. *fluuitabant* M^a^: G *fluitabant*. 6. *inp.* M^a^. *turbis* M^a^: G *turris*. 10. *prel.* M^a^. 13. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M^a^: G *perinde* (non per comp.). 14. *voln.* Or. *derigebant* M^a^: G *dirigebant*. *cum* G: M^a^ *tum*. 15. *mixti* M^a^: *īmixti* G et Oxonienses.

lantes: transire se velle Padum ad confluentes Aduae fluminis non procul a Cremona simulabant; v. cap. 40 et 41.

naves — adversum in flumen dirigebantur: ita dirigebantur, ut prorae navium adversi fluminis vim exciperent. De re conf. Plutarch. Oth. 10.

iactis super ancoris: Ernestio ad h. l. scribenti, 'naves fundantur ancoris, ut Virgilius loquitur Aen VI 4; ergo etiam super iactis ancoris dirigebantur contra impetum fluminis', non assentiendum: immo *super* h. l. adverbium est (*insuper*), non praepositio, et hoc dicit narrator, naves non modo trabibus connexas sed insuper ancoris solo firmiter adiunctas esse. Perinde *super* adverbium est III 46: *incensa super villa omnes cremavit.*

claudebat pontem imposita turris et in extremam navem educta: extremam navem intellige pontis in flumen promoti postremam, quo propius tela in hostes iacerentur. *Educta* est promota. Sic II. V 18: *simul e mole, quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit.*

Cap. 35. *in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando praelabebantur:* ex verbo *praelabebantur* ad participium *molientes* ἀπὸ κοινοῦ sumenda notio *tendebant* vel *festinabant.*

vulnera dirigebant: nove hoc dictum; proprie *ictus* et *tela* diriguntur. Illi ictus ac tela ita direxere ut vulnera gladiatoribus infligerentur. Minus audacter de sagittariis dicitur, ut apud Virgilium Aen. X 139: *te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes vul-*

in oculis utriusque exercitus quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctoremque cladis detestabantur.

36 Et proelium quidem, abruptis quae supererant navibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur. Iamque vulneratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum intercursu tribunorum centurionumque protegitur. Nec multo post Vestricius Spurinna iussu Othonis, relicto Placentiae modico praesidio, cum cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit quibus Macer praefuerat, laeto milite ad mutationem ducum, et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.

37 Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem. Atque eo duces Othonianos spatium

3. *abruptis* BR et in mg. G qui om in contextu: M[a] *arruptis*, I. Fr. Gronovius *abreptis*. *supererant* M[a]: *superfuerant* G et Oxonienses. 4. *macer* (in versus fine) *exitium* M[a]: *Macer ad exitium* G. *volneratum* M[a]. 10. *praefuerit* M[a], superscr. *a* ab eadem manu: *praefuerant* G. *milite et* GM[a]: R *milite*. 11. *infesta militiam* M[a].

nera dirigere et calamos armare veneno.

remiges propugnatoresque: Graece sunt ἐρέται et ἐπιβάται, illi ad remigandum, hi ad pugnandum destinati et locis discreti. Fori mox memorati sunt loca in superficie et tabulatis navium (*Gänge am Bord*).

Cap. 36. *abruptis quae supererant navibus:* naves quae supererant ab iis quae in potestatem et manus Germanorum devenerant trepide et raptim disiunctae eoque hostibus ereptae sunt. Gronovii coniectura *abreptis*, h. e. raptim abductis, propter additum *fuga diremptum* minus commendationis videtur habere. Forma *arruptis* pro *abruptis* ex permutatione B et R litterarum nata est. *cum cohortibus:* erant tres cohortes praetoriae; v. cap. 18.

Flavium Sabinum consulem designatum: addidit *consulem designatum*, ut hunc Flavium Sabinum a fratre Vespasiani, qui praefectus urbi, discerneret. Alium esse ac fratrem Vespasiani non solum hinc certum, quod praefectus urbi simul consulatu fungi non potuit, sed etiam clare intelligitur ex H. II 51 comparato cum 55. In indicibus duo in unum perperam commiscentur.

Cap. 37. *invenio apud quosdam auctores* — c. 38 *ad rerum ordinem venio:* scite apteque, antequam eventus rerum et casum periculosae plenum aleae memoraret, paulisper digreditur ad causas civilium armorum in universum describendas. Hae sunt potentiae cupido et magnitudo imperii, h. e. impotentes dominandi cupiditates, ac simul magna incitamenta,

ac moras suasisse, praecipua spe Paulini, quod vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, sperasse corruptissimo seculo tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent; neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere, aut legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros. Vetus ac iam pri- 38
dem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis aequalitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum, mox e plebe infima Gaius Marius et nobilium saevissimus Lucius Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Gnaeus Pom-

1. *praecipuas paulini* M^a, *praecipue paulinum* G et alii: correxere Bipontini. 2. *consiliarium* GM^a: tacite correxit Rhenanus. cf. 15 7. *brittannicis* M^a. 3. *concesserit* M^a: *concesserĩ* G. 6. *corruptissimos* M^a: G *corruptissimo*. *saeculo* M^a. 12. *meritis* M^a: *moribus* G et Oxonienses. 13. *insitã* M^a. 15. *emulis* M^a. 16. *regibusve* GM^a: *regibusque* operae Iac. Gronovii. 17. *partes* M^a: G *patres*. 19. *G.* M^a. 20. *seuiss.* M^a. 21. *quo* M^a: G *quos*. *Gn.* M^a.

magna praemia cupientibus proposita.

pollutum obstrictumque meritis suis: qui scelesta hominum facinorosorum opera utitur, is eorum meritis et polluitur et obstringitur. G offert *moribus*, idque placuit I. Fr. Gronovio Ernestioque, non mihi: perditis enim aliorum moribus *pollui* aliquis potest, *obstringi* non potest. Ut ipse sit male moratus, inde tamen nihil consequitur, nisi benigno in socios animo eundem futurum esse.

Cap. 38. *vacuum fuit:* cf. XIII 3: *quibus otiosum est.* Mentes ab externis curis vacuae securas opes in urbe concupiscere coeperunt. Sallustius Fragm. 2: *postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt.*

prima inter patres plebemque certamina exarsere: certamina dicit inter nobilitatem et factionem popularem: quae prius agitata sunt ab ordinibus patriciorum plebisque,

peius occultior, non melior. Et nunquam postea nisi de principatu quaesitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint. Eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

39 Profecto Brixellum Othone honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum praefectum. Celsus et Paulinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum alienae culpae praetendebantur. Tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant. Miles alacer; qui tamen iussa ducum interpretari quam exequi mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit, adeo imperite ut quamquam verno tempore anni et tot circum amnibus penuria aquae fatigarentur. Ibi de proelio dubitatum, Othone per litteras flagitante ut maturarent, militibus ut imperator pugnae adesset poscentibus. Plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde diiudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse

2. *principatū* Mª. 3. *ac Vitellii* GMª: *aut V.* A. 5. *caedem* Mª. 6. *uelut* Mª. 8. *venio* e corr. Mª: fuit, ut videtur, *veniat;* G *uenio*, editio princeps *veniam.* 10. *vis* Mª, *ius* G et alii. 14. *interp̄tari* Mª. *exeqūi* Mª cum lin. transversa in litt. *q*. 16. *circum manibus paenuria* Mª: correctum inest G. 20. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) Mª: G *perinde* compendio scriptum. 21. *quid*] *quod* Mª et per comp. G: tacite correxit Rhenanus, non Beroaldus, ut narrant Waltherus et Orellius. *factum* Mª: *factu* G.

in iis ad seditiones et pugnas non fere res progressa est. *turbulenti tribuni: Gracchi* fratres, *Saturninus*, ceteri.

civium legiones: cum vi additum est *civium*, quibus opponuntur *Othonis ac Vitellii exercitus* (*die Heerschaaren eines Otho und Vitellius*): quippe exercitus ex alienis magnam partem collecti sub Vitellio et Othone militabant.

Cap. 39. *adeo imperite:* perinde Plutarchus Oth. c. 11, non tamen ex Tacito, ut videtur: nam in auctoribus a se adhibitis (vid. Oth. c. 3 et 9 et 14) hunc non memoravit.

copias trans Padum agentes: dicit eas quibus Vestricius Spurinna et post Marcium Macrum Flavius Sabinus praeerant (c. 36), item quae cum Othone profectae erant.

40 quod factum est. Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti, confluentes Padi et Aduae fluminum, sedecim inde milium spatio distantes, petebant. Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obicere hosti, non omissuro quo minus expeditus et vix quattuor milia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes adgrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat, aeger mora et spei impatiens.

41 Eodem die ad Caecinam operi pontis intentum duo praetoriarum cohortium tribuni, colloquium eius postulantes, venerunt. Audire conditiones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere. Interruptus tribunorum sermo; eoque incertum fuit, insidias an proditio-

1. *uellandum* M^a^. 2. *aduae* GM^a^: *Adduae* Puteolanus et vulgo. 5. *omissuro* margo ed. Micylli a. 1557: M^a^ *ămissuro*, unde *amissuro* G aliique, *admissuro* B. 11. *inp.* M^a^. 12. *eodem* GM^a^: *eadem* Lipsius. *intentus* pr M^a^. 13. *conl.* M^a^. 14. *vener* cum lin. super litt. *r* M^a^, h. e. *venerunt*, ut in G. *conditiones* G: *condic.* Or. 15. *explora* (in versus fine) *adesse* M^a^: correctum inest G.

Cap. 40. *non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti:* ad pugnam proficiscuntur cum armis, sarcinas in castris relinquentes, ad bellum gerendum vario praeter arma apparatu, veluti copiis cibi potusque, vallis ad castra facienda. G. 30: *alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum.* H. II 45: *expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria.*

confluentes Padi et Aduae fluminum: apud Strabonem est Ἀδούας IV 3 §. 3 et V 1 §. 6, quocum consentit M^a^. Forma *Addua* ad hodiernum nomen *Adda* completa est, sed *Adda* ex *Adva* videtur descendisse. In Plinii Nat. Hist. II 106, III 20 et 23 codices inter utramque scribendi rationem fluctuant.

non omissuro quo minus — adgrederetur: plerique editores cum libro Budensi et Rhenano exhibent *non admissuro*, quo fit ut obscure et soloece Tacitus loquatur. Scilicet *non admittere* vel *non committere* subsequente particula *ut* dicimus, ubi rem quae admoveri vel fieri potest, procul habemus: cum dicendum est, fore ut res nullo modo non fiat, *non omittere* ponitur, subsequente particula *quin* vel *quo minus.* Sic III 27: *ac ne bello quidem Italico — omissum quin multa et diversa sciscerentur.* Perinde *remittere* dedit A. 27: *Britanni — nihil ex adrogantia remittere quo minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent.*

Cap. 41. *operi pontis:* eundem pontem dicit prope Cremonam,

nem vel aliquod honestum consilium coeptaverint. Caecina dimissis tribunis revectus in castra, datum iussu Fabii Valentis pugnae signum et militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere; et mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum impingerentur, Italicae legionis virtute deterriti sunt. Ea strictis mucronibus redire pulsos et pugnam resumere coëgit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quamquam vicino hoste, aspectus armorum densis arbustis prohibebatur. Apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae, et praeruptis utrimque fossis via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alii signa sua, quaerere alii; incertus undique clamor accurrentium, palantium; ut cuique audacia vel formido, in primam postre-
42 mamve aciem prorumpebant aut relabebantur. Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur. Is rumor

1. *cept.* Mª. 5. *dictū* Mª. *inp.* Mª. 6. *et astrictis* Mª: correxit Rhenanus. *quae astr.* G. 8. *acies*] *arte* Mª, non *arae*, ut narrat Furia, *acie* BG: tacite correxit Lipsius. 11. *behicula* Mª. *utrīque* Mª. 13. *quer.* Mª. *adc.* Mª. 14. *palantium* editor: *uo clamantium* Mª, sed *uo* est ab alia manu, non ab eadem, ut traditur apud Bekkerum: *clamitantiumque* G, *volitantiumque* A, *vocitantium* Pichena. *ut* Mª et alii: *et ut* G. 15. *relebebantur* Mª, *reuehebantur* G. *relabebantur* recte commendavit Victorius.

cuius ante (c. 34 et 35) mentio facta est. *in vallum impingerentur:* Ernestius comparavit Virgilii Aen. V 805: *cum Troïa Achilles exanimata sequens impingeret agmina muris.*

mixta vehicula et lixae: immixta vehicula militum agmini. *Via* statim nominata est via Postumia; v. cap. 24 et 42.

incertus undique clamor accurrentium, palantium: inepte dici *clamor accurrentium clamantium*, ut in Mª, in aperto est, neque minus offendit Pichenae *clamor — vocitantium*, quae scriptura ne a libris quidem ullum praesidium nanciscitur. Ad vestigia libri Mª propius accedit *volantium*, quod qui cum libro A in *volitantium* mutaverunt, loci corruptelam minime sustulerunt: *volitantes* enim neque apte vindicantur locis I 59, II 21, XII 34, XIII 37, H. II 88, neque post *accurrentes* bene succedunt, cum in eiusmodi verborum contextu non synonymum sed nomen contrarium iuste adhiberi possit. Cuius generis est *palari*, verbum a Tacito saepe ac libenter positum, scribis minus cognitum eoque facilius mutatum, h. e. extra agmen et aciem *vagari*. Cf. I 30 et 51, III 39, IV 48. H. I 68, III 17, IV 18 et 60 et 70 et 77.

aut relabebantur: relabi quod proprie dicitur de flumine aut aestu maris (cf. I 76, II 24. Vir-

ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere; sed hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quae causa salutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero praestantior: Othoniani, quamquam dispersi pauciores fessi, proelium tamen acriter sumpsere. Et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies: comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant. In aggere viae collato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius belli certabant. Forte inter Padum viam- 43
que, patenti campo, duae legiones congressae sunt, pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis; e parte Othonis prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. Primani stratis unetvicesimanorum principiis aquilam abstulere; quo dolore accensa legio et impulit rursus primanos, interfecto Orfidio

2. *omisse* M^a^. 3. *sed* editor: codices *et*. 6. *prest.* M^a^. 8. *inp.* M^a^. 9. *eminus* GM^a^, *eminusque* ABCR. 10. *conl.* M^a^. 11. *gladibus* M^a^: G *gladiis*. 12. *perrūpere* M^a^ ex correctione, ut videtur. 15. *unactuicensima* M^a^, *una et uicesima* G. 17. *nui* cum lin. super litt. *n* M^a^: G *noui*. 18. *unaeetvicensimanorum* M^a^: *unae et uicesimanorum* G. 19. *inp.* M^a^. *Orfidio* GM^a^, non *Orphidio*.

gilii Aen. X 307), nunc ad recessus turbae fluctuantis apte translatum est.

Cap. 42. *sed — metum proditionis fecere:* hoc vult dicere, salutationem ab Othonianis usurpatam ab hostibus non solum non redditam esse, sed auctoribus etiam in contrarium et damnum vertisse, cum metum proditionis suis facerent. Itaque gravior est oppositio quam ut particula *et* adiungi possit: immo haec ex *set* nata et sibilans post vocem eadem littera incipientem (salutavere) omissa est.

comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant: sic interpungendum erat. Vulgo: *cominus eminus catervis;* cf. ad XI 6.

in aggere viae: est via Postumia; cf. ad cap. 24. *in eventum totius belli:* ut totius belli eventus per ipsos pararetur.

Cap. 43. *cui cognomen Rapaci:* quippe rapido cursu et impetu hostem prosternere credebatur, imagine sumpta a tempestate aut torrente obstantia raptim secum ferente.

non ante in aciem deducta: ante non in aciem deducta sed in insidiis locata hostem fugaverat (c. 24—26). De Adiutrice conf. annot. ad II. 1 6.

signa vexillaque: signa rapuit ex cohortibus sociorum et praeto-

Benigno legato, et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia propulsa quintanorum impetu tertia decima legio; circumventi plurium accursu quartadecimani. Et ducibus Othonis iam pridem profugis, Caecina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium, Varus Alfenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam oppositae cohortes in ipso flumine trucidaverant. Ita victores latus hostium invecti. Et media acie perrupta fugere

44 passim Othoniani, Bedriacum petentes. Immensum id spatium, obstructae strage corporum viae. Quo plus caedis fuit: neque enim civilibus bellis capti in praedam vertuntur. Suetonius Paulinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam tertiae decimae legionis legatum irae militum inconsultus pavor obtulit. Multo adhuc die vallum ingressus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur; non probris, non manibus abstinent; desertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine eius, sed more vulgi suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum et

3. *adc.* M[a]. 5. *uarenus Alfenus* M[a]: *varenus alphenus* G. cf. ad c. 29. 7. *obpisitae* M[a]: *oppositae* G. 9. *baedr.* M[a]. *inm.* M[a]. 10. *cedis* M[a]. 13. *laegionis* M[a]. 15. *fugacium cir* (in columnae fine) *circumstrepitur* M[a]. 18. *volgi* Or.

rianorum, *vexilla* ex centuriis legionum; cf. ad Annales II 17. Additum *ex hostibus* quo moneretur, unetvicesimanorum impetum in primanis non substitisse. *Principia* quae paulo ante nominantur, sunt ordines ubi legatus legionis cum aquilifero et tribunis militum. Plutarchus Oth. 12: τὸν ἀετὸν ἀφείλοντο πάντας ὁμοῦ τι τοὺς προμάχους ἀποκτείναντες

quartadecimani: non tota legio, sed vexillarii eius legionis; vid. c. 66.

quam navibus transvectam oppositae cohortes in ipso flumine trucidaverant: eadem gladiatorum manus est quae infeliciter cum Germanis, h. e. cum cohortibus Batavorum, pugnam conseruerat fuga diremptam; cf. c. 35.

Cap. 44. *immensum id spatium:* immensum erat fugatis et vulneratis et pugna defatigatis, alioqui non maius quam sedecim milia passuum (c. 40). *neque enim — vertuntur:* nova causa cur plus caedis fuerit, per haec affertur. Peregrinis bellis avaritia vincentium parcit victis, non item in civilibus, quia capti cives post victoriam pro servis venire non solent. Conf. Plutarchus Oth. 14, Dio LXIV 10.

inconsultus pavor: pavor impulit ut perfugeret usque in castra Bedriacensia, consilii inopia fecit ut tempus nocturnum haud expectaret.

et fugacium: acerbe hoc additur quo appareat, suae culpae auctorem milites studiose quaesi-

Celsum nox iuvit, dispositis iam excubiis compressisque militibus, quos Annius Gallus consilio precibus auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent: sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum. Ceteris fractus animus: praetorianus miles non virtute se sed proditione victum fremebat. Ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit; venire Moesicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos, et si ita ferret, honestius in acie perituros. His cogitationibus truces aut pavidi extrema desperatione ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur.

At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem 45
consedit, non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum; simul voluntaria deditio sperabatur. Sed expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, et qui ferociores fuerant, ad paenitentiam inclinantibus, missa legatio; nec apud duces Vitellianos dubitatum quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti. Ea

1. *conpr.* M^{a}. 2. *consilio, p̄cibus* M^{a}: *precibus: consilio* G. 3. *cedibus* M^{a}. 4. *seuirent* M^{a}. 5. *caet.* M^{a}. 7. *incruenta* M^{a}. 15. *eadem* M^{a}: G *eodem*. *obp.* M^{a}. 18. *exercitu* M^{a}. 19. *penit.* M^{a}. 20. *legatione capud* M^{a}: emendavit Pichena.

visse. *quos Annius Gallus — flexerat*: ipse lapsu equi prohibitus (c. 33) proelio non adfuerat: quapropter milites ei non irati fuere.

si ita ferret: idem valet ac *si fors ita ferret*, loquendi genus ex vita quotidiana, ut videtur, sumptum ideoque a Tacito non nisi in verbis aliorum positum; conf. III 15, ubi de Plancina Pisonis uxore: *sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat.*

truces aut pavidi: non bene Waltherus ad h. l.: '*truces* praetoriani, *pavidi* ceteri, quis fractus animus'. Immo omnia haec de praetoriano milite dicuntur, ut patet ex his *ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur*. Modo truces erant praetoriani et recogitabant quae sibi superessent opes ad resistendum, modo cum pavore honestius in acie se perituros animo volvebant. Nam etiam truces de morte agitantes pavescere solent.

Cap. 45. *munimentum fuere arma et victoria:* sine castris pernoctavere, quorum supellex ipsis deerat expeditis et ad proelium egressis. Conf. annot. ad c. 40.

res haesitationem attulit ignaris adhuc an impetrassent. Mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera laetitia detestantes. Isdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. Spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus, nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem maereret. Requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur; paucos necessarii ipsorum sepelivere; ceterum vulgus super humum relictum.

46 Opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepidus et consilii certus. Maesta primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt. Non expectavit militum ardor vocem imperatoris. Bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque. Neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant. Qui procul adstiterant, tendere manus, et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. Is praetorii praefectus identidem orabat ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos

5. *voln.* Or. 7. *Orfidii* M[a]: *orfodii* G. 9. *volg.* Or. 11. *mesta* M[a]. 13. *haberet* M[a]: G *habere.* 16. *fraglabant* M[a]: correctum inest G. 17. *astit.* M[a]: *adstit.* G. *prensare* M[a], *prehensare* G et Oxonienses. 21. *insistre* M[a].

Vallum quod *mox patuisse* legimus, est castrorum militis Othoniani ab hoc ad Bedriacum munitorum; v. cap. 23.

misera laetitia: laeti ob finem belli, sed cladem eius miserantes.

spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus: pergit narrator etiam vincentis exercitus miseram conditionem describere: nam haec de Vitellianis accipienda sunt. Mire Doederlinius de transpositione cogitat.

Cap. 46. *furore quodam et instinctu* (*mit einer Art von Raserei und mit Drängen*): *furor* ad ipsos pertinebat, *instinctus* est vehemens adhortatio qua ceteros, imprimis imperatorem, ad bellum impellere studebant. Sic H. I 70 *instinctu decurionum*, ibidem c. 23 *sceleris instinctor*, H. IV 68 *instinctor belli.*

praetorii praefectus: cf. H. I 46.

maiore animo tolerari adversa quam relinqui: Lipsius comparat, praeter Lucanum VII 105, Caesarem B. G. VII 77, Curtium V 9, Aristot. Eth. Nicom. III 11 (7) sub initium: *τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα ἤ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ.*

et ignavos ad desperationem formidine properare. Quas inter voces ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. Nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant; ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox lugubre, incertum victis et victoribus. Ipse aversus a consiliis belli 'hunc' inquit 47
'animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti in vicem sumus, ego ac Fortuna. Nec tempus computaveritis: difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum a Vitellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Othonem posteritas aestimet. Fruetur Vitellius fratre coniuge liberis: mihi non ultione neque solatiis opus est. Alii diutius imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis. Sed este superstites. Nec diu moremur, ego

2. *volt.* Or. 9. *p̄tium* Mª. 10. *tanto pulchrior* Mª: *tanto* om BG et Oxonienses. 11. *conp.* Mª. 12. *temparere* Mª: correctum inest G. 13. *ciuili* Mª: *ciuile* G. *caepit* Mª. 15. *paenes* Mª. 17. *solaciis* Mª. 19. *streni* Mª.

proprius Othonis miles: is qui principatum Othoni detulerat eoque plane eidem addictus et deditus. *atrox lugubre, incertum victis et victoribus*: cf. annot. ad XI 6. De re cf. Plutarch. Oth. 15.

Cap. 47. *ego ac Fortuna*: 'fortunam Otho expertus erat, cum imperium tam brevi duraturum accepisset'. Pichena. Noli credere, aliud postulat contrariorum ratio. Otho Fortunam iam a se aversam proelio Bedriacensi expertus est: ipsa, dum favebat et ad summa Othonem provexerat, moderatum et prudentem eum invenit. Orellius sequitur Dübneri explicationem: 'ego fortunam expertus sum imperator factus'.

a Vitellio coepit: vid. annot. ad XV 54.

hinc Othonem posteritas aestimet: posteris de Othone iudicaturis haec norma erit sententiae ab ipsis pronuntiandae.

fruetur Vitellius cet.: primam sui commendationem petit ex brevitate belli civilis, alteram ex mansueto lenique in adversarium animo. *non ultione neque solatiis*: ulciscendi cupidis adversariorum mala pro solatio sunt.

incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui pars ignaviae est. Praecipuum destinationis meae documentum habete quod de nemine queror. Nam
48 incusare deos vel homines eius est qui vivere velit.' Talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram victoris asperarent, iuvenes auctoritate, senes precibus movebat, placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coërcens. Dari naves ac vehicula abeuntibus iubet; libellos epistulasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet; pecunias distribuit, parce, nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum fratris filium, prima iuventa, trepidum et maerentem ultro solatus est, laudando pietatem eius, castigando formidinem: an Vitellium tam immitis animi fore ut pro incolumi tota domo ne hanc quidem sibi gratiam redderet? Mereri se festinato exitu clementiam victoris. Non enim ultima desperatione, sed poscente proelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. Post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse. Proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Otho-

4. *uellit* Mª. 7. *p̄cibus* Mª. 9. *eplasque* cum lin. Mª. 11. *nec ut* G: Mª *ne cui*. 13. *pietate* Mª. 14. *inm.* Mª. 17. *exercitũ* Mª. 18. *rei.p.* Mª.

nemo tam fortiter reliquerit cet.: his verbis Otho respondet ad illa: *maiore animo tolerari adversa quam relinqui* cet.

Cap. 48. *irent propere neu — asperarent:* haec pendent a praegresso *comiter appellatos*, non a subsequente *movebat*. Id qui non intellexit in codice A *monebat* substituit.

placidus ore: Virg. cum dicit Aen. VII 194 *placido prior edidit ore*, et XI 251 *placido sic reddidit ore*, vocis ostium et locum designat, Tacitus contra vultus habitum denotavit (*beruhigt im Antlitz*).

naves ac vehicula abeuntibus: navibus Padum transibant, vehiculis ad castra Vitelliana in sinistra Padi ripa posita contendebant.

Cocceianum: 'melius ita quam *Cocceium*, quod Plutarchus praefert O. 16. Nam et Tranquillus ita appellat in Dom. 10. At Suetonius non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem praesentem facere videtur, contra Taciti et Plutarchi narrationem aperte. Nam ille in castra evaserat e pugna, seque cum aliis dedidit. Suetonii tamen verba Oth. 10: *fratrem igitur fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus*'. Lipsius.

neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset: dissuadendo ob-

nem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset. Post quae dimotis omnibus paulum requievit. Atque illum 49 supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum. Namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. Increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. Tum adlatis pugionibus, cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. Et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. Luce prima in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus praetorii praefectus unum vulnus invenere. Funus maturatum. Ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. Tulere corpus praetoriae cohortes, cum lau-

1. *umquam* M^a^. 3. *supmas* M^a^. *voluntatem* M^a^: *uolutantem* corr G. 4. *nanque* M^a^. 9. *pugionibus* M^a^: *pugionibus duobus* G. *utrimque* superscr. *v* litterae *i* M^a^. 13. *gemitu* M^a^. 14. *volnus* Or. 15. *p̄cibus* M^a^.

livionem eam vitam commendat quae digna sit viro e domo principali orto, *nimiam memoriam* deprecando superbiam et fastum procul haberet rogavit. Non bene Kiesslingius postrema verba de nimio luctu accepit.

Cap. 49. *avertit*, h. e. a supremis curis quas volutabat. Si *advertit* scripsisset, quod Heinsius voluit, animum Othonis ad tumultum adiunctum eo verbo significasset. *utque adfirmatur:* breviter pro *atque*, ut *adfirmatur;* conf. annot. ad O. 34.

ambitiosis precibus, h. e. precibus intentis et intimis (*mit nachdrücklichen Bitten*); cf. Ernestius ad h. l.

vulnus manusque eius exosculantes : cf. Plutarchus Oth. 17.

celebratum, h. e. saepius usurpatum. *et mansurum:* modicum monumentum neque Vitellii neque aliorum iras excitavit. Vidit Plutarchus c. 18: *εἶδον δ' ἐν Βριξίλλῳ γενόμενος καὶ μνῆμα μέτριον καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, Δηλώσει* (h. e. *memoriae*) *Μάρκου Ὄθωνος*. Cf. Sueton. Vitell. 10.

septimo et tricesimo aetatis anno : consentit Dio ap. Xiphil. LXIV 15. Contra Suetonius 11: *exanimatus est — tricesimo et octavo aetatis anno et nonagesimo et quinto imperii die*, sed haec ipsa non accurate conveniunt eis quae idem c. 2 tradidit, *IV kalendas Maias natus est Camillo Arruntio Domitio Aënobarbo consulibus* (a. u. 785): ratio enim hinc subducenda ostendit, decem (Xiphilinus *undecim* ponit) dies Othoni defuisse, quominus triginta septem annos expleret.

Cap. 50. *e municipio Ferentino:* quod in M^a^ legitur *Ferentio,*

dibus et lacrimis, vulnus manusque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. Ac postea promisce Bedriaci Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum extructum est modicum et mansurum. Hunc vitae finem habuit septimo et
50 tricesimo aetatis anno. Origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius; maternum genus impar, nec tamen indecorum. Pueritia ac iuventa, qualem monstravimus. Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae. Ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. Die quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri luco

4. *promisce* Ma, non *promiscue*. *celebrarum* Ma. 7. *tricensimo etatis* Ma. *ferentino* G in margine (in contextu deest) ab eadem, ut videtur, manu: Ma *Ferentio*. 8. *inpar* Ma. 13. *gravitaté caepti* Ma. *volg.* Or. 15. *inuisitata* Ma: *inusitata* G et alii. *loco* Colerus.

hoc assimilandi aberratione (municipio Ferentio) natum est. *Ferentinum* enim Etruriae oppidum fuit, non *Ferentium*, quo nomine nullum in Italia municipium, atque Etruria patria Othoni, ut tradit Suetonius Oth. 1: *maiores Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere et honorata atque ex principibus Etruriae.* De Ferentino Etruriae Strabo V 2 §. 9, Plinius III 8, Tacitus XV 53, ubi ad *frentano* et *ferentano* codices aberrant, qui apud Ptolemaeum III 1 §. 50 *Φερεντίαν* offerunt pro *Φερέντινον*, nominis formam nemini cognitam. Eodem nomine in Hernicis oppidum fuit, cuius apud Strabonem in Latii urbibus nulla mentio, unde hoc Taciti temporibus non extitisse dixi in annotatione ad XV 53: sed Plinius saltem *Ferentinates* in Latio memoravit III 9, Ptolemaeus etiam *Φερέντινον* III 1 §. 63, sed is ex veteribus auctoribus id nominis videtur recepisse. Horatius Epist. I 17 8 scribens *Ferentinum ire iubebo* et locum infrequentem significans, Hernicorum an Tuscorum oppidum dixerit, incertum est.

maternum genus impar, nec tamen indecorum: 'quomodo, si splendidissima ea femina fuit, Suetonio testante? scribit enim de patre Othonis: *ex Albia Terentia splendidissima femina duos tulit filios.* Sed melior ibi scriptura *splendida femina*, quam ex optimo libro Torrentius adnotavit. Idque non aliud quam ordinem equestrem proprie notat'. LIPSIUS. Cf. Suet. Tit. 4 *splendidi generis.*

Regium Lepidum: cis Padum situm erat non procul a Brixello (conf. Strab. V 1 §. 11), non in litore maris Adriatici, ut refert Kiesslingius.

consedisse incolae memorant, nec deinde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret; tum ablatam ex oculis; et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

In funere eius novata luctu ac dolore militum seditio. 51
Nec erat qui coërceret. Ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant. Verginius per aversam domus partem furtim digressus inrumpentes frustratus est. Earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit; et venia statim impetrata concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis quibus praefuerat.

Posito ubique bello magna pars senatus extremum dis- 52
crimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinae relicta. Illuc adverso de proelio adlatum. Sed milites ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius; conviciis postremo ac probris causam et initium caedis quaerebant, cum alius insuper metus senatoribus instaret, ne praevalidis iam Vitellii partibus cunctanter exce-

1. *caetũ* M^a^. 3. *tum ablata* M^a^, *tũ ablatã* G. 7. *uergenium* M^a^. 9. *uergenius* M^a^. *aduersam* GM^a^: correctum in Bodl. et a Puteolano. 10. *partem* GM^a^, *portam* B et Bodl. *degressus* M^a^, *digressus* G. *inrumpente* M^a^: G *irrumpentes*. 11. *p̄ces* M^a^. 12. *ueniā* M^a^. 18. *voltum* Or. 19. *postremo* M^a^, *postremum* G et Oxonienses. 20. *quer.* M^a^. *instraret* M^a^.

nec deinde coetu hominum: addito *deinde* significatur avem illam insolitam initio a paucis, mox a plurimis spectatam esse; *neque inde* commendavit Petersen. Paulo ante *celeber lucus* est qui ab eius regionis hominibus multum frequentatur.

tempora reputantibus — competisse: reputantibus dativus est pendens ex verbo *competisse*; cf. H. III 8, IV 17, V 11. Agr. 11. Germ. 6.

Cap. 51. *et venia statim impetrata: et* idem quod *etiam*; *concedentibus . . . iis copiis* dativus est, suspensus ab *impetrata*. Illae copiae e regione Placentiae ad Vitellianos se contulere. Cf. c. 36.

Cap. 52. *posito ubique bello — extremum discrimen adiit:* componuntur contraria, hinc bellum ubique compositum, illinc ultimum senatus periculum. *profecta cum Othone ab urbe:* cf. H. I 88.

utrimque anxii: ab utrisque partibus timore perculsi. *nemo privatim expedito consilio* (*keiner für sich mit einem entschiedenen Vorschlage*): cf. H. IV 42 *homi-*

pisse victoriam crederentur. Ita trepidi et utrimque anxii coëunt, nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior. Onerabat paventium curas ordo Mutinensis arma et pecuniam offerendo, appellabatque patres conscriptos
53 intempestivo honore. Notabile iurgium fuit, quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit. Nec ceteri sententias aperiebant: sed invisum memoria delationum expositumque ad invidiam Marcelli nomen irritaverat Caecinam, ut novus adhuc et in senatum nuper adscitus magnis inimicitiis clarescceret. Moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi; simul medio temporis plures nuntii sperabantur. Bononiae, divisis per itinera qui recentissimum quemque percontarentur, interrogatus Othonis libertus causam digressus, habere se suprema eius mandata respondit: ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis. Hinc admiratio et plura interrogandi pudor; atque omnium animi
54 in Vitellium inclinavere. Intererat consiliis frater eius Lucius Vitellius, seque iam adulantibus offerebat, cum repente Coenus libertus Neronis atroci mendacio universos perculit, adfirmans superventu quartae decimae legionis, iunctis a Bri-

5. *intempesti* Mª, *in tempestiuo* G. *uirgenium* Mª: *inde* (per comp. *iñ*) *iurgium* G et alii. 6. *ianuasit* Mª: G *in uasit*. 7. *celeris* Mª. *inuisu* Mª. 9. *adscitū* Mª. 13. *quenquē* Mª. *percunct*. Or. 14. *Imbertus* Mª. *sup̄ma* Mª. 18 *L.* Mª. 21. *superuentū* Mª.

nem tam expediti consilii; ex voce *nemine* intelligendum ad *sequens tutior* subiectum *unusquisque*.

ordo Mutinensis: est ordo curialium sive decurionum qui in municipiis coloniisque idem qui Romae senatus.

Cap. 53. *notabile iurgium fuit:* hoc eodem consessu Mutinae accidit. *Inde* igitur post *notabile* non bene in vulgo librorum accedit, ortum ex Mª levi vitio *uirgenium:* hoc ipsum ex *uirgium* (id ambiguum inter *virgium* et *iurgium*) male correctum est. Licinius Caecina senator nunc tantum memoratur.

nec ceteri: idem valet quod *ne ceteri quidem.* Conf. annot. ad II 82. *memoria delationum:* lege XVI 22 et 28 et 33.

sola posteritatis cura: dictum *posteritas* de eo quod post ipsum Othonem futurum esset (*aber nur mit dem Gedanken an das Jenseits*).

Cap. 54. *atroci mendacio universos perculit:* *percellere* hic ut alibi ponitur, ubi inopinatum quoddam et non expectatum profertur (*betroffen machen, überraschen*); cf. H. III 36. I 12 et 28, VI 44. *Mendacio percussi* a perculsis eo differunt, quod plagae vel vulne-

xello viribus, caesos victorés, versam partium fortunam. Causa fingendi fuit ut diplomata Othonis, quae neglegebantur, laetiore nuntio revalescerent. Et Coenus quidem rapide in urbem vectus paucos post. dies iussu Vitellii poenas luit. Senatorum periculum auctum credentibus Othonianis militibus vera esse quae adferebantur. Intendebat formidinem quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent. Nec ultra in commune congressi sibi quisque consuluere, donec missae a Fabio Valente epistulae demerent metum. Et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita.

At Romae nihil trepidationis; Cereales ludi ex more 55
spectabantur. Ut concessisse Othonem, et a Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum, certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere; populus cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis iuxta

1. *cesos* M^{a}. 2. *negleg.* M^{a}: G *neglig.* 3. *rapidũ urbem* M^{a}: correctum inest G et Oxoniensibus. 4. *paenas* M^{a}. 7. *deserteque* M^{a}. 8. *commu* (in versus fine) *mune* M^{a}. *consuluere* GM^{a}: *consulere* Harl. Bodl. 9. *eplae* cum lin. M^{a}. 11. *Romae me nichil* M^{a}. *Ceriales* M^{a}: *Cereales* G. 12. *concessisse* editor: M^{a} *cessisse*, G et alii *cessisse uita*. 13. *in sacramento* GM^{a}: *in* expunxit Rhenanus. 14. *adt.* M^{a}.

ris, sive corpori sive animo illati, ratio habetur.

diplomata Othonis: non bene Lipsius haec diplomata nonnisi ad cursum publicum pertinuisse pronuntiat. Sane ob cursum quoque diplomata concedebantur, sed idem nomen etiam de quovis rescripto principis usurpatum est. Coenum libertum ob cursus publici commoda sibi concedenda hoc ausum esse credi vix potest, immo maius aliquid spectavit, ut rata essent quae sibi aliisque ab Othone diplomatis concessa erant.

Cap. 55. *Cereales ludi:* initium eis pridie idus Apriles, ut monitum ad XV 53. In kalendario anni 325 a Chr. *ludi Cerealici* vocantur. Ceterum a *Cerere* fit *Cerealis*, non *Cerialis*, ut est in M^{a}, vitium ex intempestiva recordatione ducis saepius in his libris nominati (*Petilii Cerialis*) natum.

ut concessisse Othonem — certi auctores — attulerunt: ad scripturam libri Medicei quam proxime accedens *concessisse* reposui, unde per compendium *cõcessisse* vel *ↄcessisse* natum *cessisse*, quod de morte non dicitur: *concedere* et addito nomine *vita* et sine eo ita usurpatur. Conf. I 3: *ut Agrippa vita concessit.* XII 39: *Ostorius concessit vita.* Rursus IV 38: *quandoque concessero.* XIII 30: *Lucius Volusius egregia fama concessit.*

longis aliorum principatibus composita: senatus iura principis decernere eique imperium deferre

lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur. Additae erga Germanicum exercitum laudes gratesque, et missa legatio quae gaudio fungeretur. Recitatae Fabii Valentis epistulae ad consules scriptae haud immoderate: gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset.

56 Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello adflictabatur. Dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare rapere, vi et stupris polluere. In omne fas nefasque avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant. Et fuere qui inimicos suos specie militum interficerent. Ipsique milites regionum gnari refertos agros, dites dominos in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant, obnoxiis ducibus et prohibere non ausis. Minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis: Valens ob lucra et quaestus infamis, eoque

1. *curti* M[a]. 2. *conpositā* M[a]. 3. *Germanicum exercitum* editor: *Germanicū exercitus* M[a], *germanios* (c ascriptum ab altera manu) *exercitus* G, *Germanicos exercitus* editiones ante priorem meam. 5. *eplae* cum lin. M[a]. *immoderatae* M[a]: G *immoderate*. 8. *uitellianis* M[a]: G *uitelliani*. 9. *omnelas nefasque* M[a]. 11. *militu* M[a].

solebat; vid. I 11—13, XII 69. H. I 47, IV 3. Decrevere autem nomen Caesaris et Augusti, tribuniciam potestatem, omnes principum honores. Cf. H. I 47, II 62, IV 3.

erga Germanicum exercitum: is unus iam erat et iunctis viribus victoriam reportaverat. Medicei *Germanicū exercitus* ex ἀρχετύπου *Germanicū exercitū* devenit, dum scriba recentior priorem notam retinet, alteram prave resolvit. Cf. c. 57 *Germanici exercitus vires;* 58 *Germanici exercitus fama;* 75 *Germanici exercitus robur.*

immoderate: si quis maiorem libri Medicei auctoritatem secutus *immoderatae* reponere velit, cogitet id vocabulum propter verborum collocationem referri ad *scriptae* non posse, sed tum membra illa per se constare sic interpungenda *ad consules scriptae*, *haud immoderatae:* sed id mihi quidem admodum molestum videtur.

Cap. 56. *in omne fas nefasque,* h. e. in omne sacrum et profanum: nam ut *nefas* respondet sequenti *sacro*, ita *fas* convenit *profano.* Nefas autem plerumque dicitur quod attrectare illicitum lege divina, fas quo abrepto deorum ira et vindicta praesens non excitatur. Sententia est *avidi ut omne fas nefasque cuperent.* Cf. H. III 51 *adversus fas nefasque inreverentiam.* Simile est quod in XV 37 *per licita atque inlicita foedatus.*

specie militum: assumptis armis et veste militari. His falsis militibus statim opponuntur *ipsique milites.* *obnoxiis ducibus: obnoxius* est cuius potestas quocumque modo minuta est et obstricta; id quomodo usu venerit in Caecina et Valente, statim exponitur. Cf. annot. ad H. I 1.

alienae etiam culpae dissimulator. Iam pridem attritis Italiae rebus tantum peditum equitumque, vis damnaque et iniuriae aegre tolerabantur.

Interim Vitellius victoriae suae nescius, ut ad integrum 57
bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripae Hordeonio Flacco permissa; ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit. Et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit. Vocata contione virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum anulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.

Isdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam, 58
interfecto procuratore Albino, nuntii venere. Lucceius Albinus a Nerone Mauretaniae Caesariensi praepositus, addita

1. *adtr.* M^a: *attr.* G. 5. *reliquas — vires trahebat* M^a: *reliquias — tr.* BG (hic *reliquas*). 6. *dilectibus* M^a, *militibus* G et in marg. *delectibus* ab alia manu. 8. *britt.* M^a. *delecta* GM^a: *delectu* Puteolanus. 9. *adiuncxit* M^a. 13. *inhonesta adulationem* M^a. *conp.* M^a. 15. *conuii* M^a. *oneravitque* M^a, *ornavitque* G: *honorauitque* Puteolanus. *faedum* M^a. 18. *aluino* M^a. *Lucceius* M^a: *Luceius* G.

iam pridem attritis Italiae rebus: Italiae res afflictae sunt paratu Neronis adversus Vindicem et Galbam, mox adventu Galbae et militum comitantium. Vix putaverim nunc cogitasse scriptorem de illo quod Italia externae opis indiga erat ad cives alendos, de quo in Annalibus III 54.

Cap. 57. *reliquas Germanici exercitus vires trahebat*: advertas verbum *trahebat* scite a scriptore lectum: nam et multitudinem et inconditam turbam a Vitellio longo spatio ductam designat. In his copiis aquilam duoetvicesimae legionis fuisse ex locis II. II 89 et 100, III 22 iuste comparatis consequitur.

e Britannico delectu: ex iis qui e legionibus Britannicis delecti et ad Vitellium missi erant, qui II. III 22 nominantur *vexilla nonae secundaeque et vicesimae legionum.*

Cap. 58. *procuratore Albino*: de procuratoribus minores provincias administrantibus cf. annotat. ad I 80.

Hispaniae — imminebat: Hispaniae Vitellii partes secutae imminebat, ut eam provinciam Othoni conciliaret. *Cluvio Rufo*: conf. II. I 76.

per latrocinia et raptus apta bello manus: hoc de uno Maurorum numero accipiendum est, non etiam de cohortibus et alis, militia quidem sociali, sed iusta di-

per Galbam Tingitanae provinciae administratione, haud spernendis viribus agebat. Decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. Caeso Galba in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniae angusto freto diremptae imminebat. Inde Cluvio Rufo metus; et decimam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit. Praemissi centuriones qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. Neque arduum fuit, magna per provincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper, spreto procuratoris vocabulo, Albinum

59 insigne regis et Iubae nomen usurpare. Ita mutatis animis Asinius Pollio alae praefectus, e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio cohortium praefecti opprimuntur. Ipse Albinus dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, adpulsus litori trucidatus, uxor eius cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est, nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente. Brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus.

1. *tangitanae* M^a, *tingitane* G. 2. *decem novem* M^a : *XIIII.* G, Oxonienses *XVIIII.* 4. *ceso* M^a. *othone* GM^a : correxit Rhenanus. 5. *hispanie* M^a. 14. *mauretianam* M^a. *petiti* M^a. *adpulsu* M^a: *apulsus* G, *appulsus* Oxonienses. 15. *litoris* M^a : *littori* G. *trucidatus* M^a : *trucidatur* G et Oxonienses. 16. *nichil* M^a. 17. *anquirente* M^a : *inquirente* BG. *breue* M^a : G *breui*. *auditu ui quamuis* M^a : *ui* om G et Oxonienses. *transibant* M^a cum plerisque : *transibat* A et Puteolanus. *inpar* M^a.

sciplina ad bellum gerendum assuefacta.

Cap. 59. *adpulsus litori trucidatus:* in Mediceo codice (ibi *adpulsu litoris*) aut littera sibilans prave aberravit aut *adpulsu* ex antiquiore scriptura *adpulsū* (pro *adpulsus*) restitit et *litoris* assimilandi inclinatione provenit. Nam *adpulsu litoris* tum demum scribere Tacito licuisset, si *adpellere litus* usus Latinus admitteret pro *adpellere ad litus*, quod cum secus sit, *adpulsus litoris* soloece dicitur. Ad verbum *trucidatus* simul refertur *est* post *interfecta* positum; hinc comma posui post *trucidatus*, ubi vulgo comma cum puncto.

brevi auditu quamvis magna transibat : additum *ui* in M^a ex fine antecedentis *brevi* resedit. Alterum vitium, *transibant*, inde ortum est, quod librarius *magna* pro nominativo accepit et verbum ex eo pendere putavit. Res magnas Vitellius, homo socors et tardi ingenii, brevi auditu transmisit: ceteros eadem socordia laborasse Tacitus tradere non potuit, sed tradidisset, si scripsisset *transibant*. De eodem Vitellio H. III 36: *praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat.* De locutione *quamvis magna* conf. annot. ad XV 24.

Exercitum itinere terrestri pergere iubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus, donec Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector, genere inlustri, largus animo et par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Praesto fuere Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem et Caecinam pro contione laudatos curuli suae circumposuit. Mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit, cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus. Nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit. Tum interfecti centuriones promptissimi Othonianorum; unde 60 praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. Simul ceterae legiones contactu, et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum ac Licinium Proculum tristi mora squalidos tenuit, donec auditi necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. Proditionem ultro imputabant, spatium longi ante proelium

3. *blesus lugudunensis* M[a], *blesus Lugdunensis* G. 4. *illustri* Or. 5. *principi* M[a], *principis* G et Oxonienses. 6. *vernilibus* M[a]: *humilibus* AR, *iuuenilibus* G et Oxonienses. 7. *luguduni* M[a]: G *lugduni*. 8. *curulis* M[a], *curruli* G. 12. *honus* M[a]. *solacium* M[a]. 13. *iterfectis* M[a]: G *interfecti*. 14. *illycos* M[a]: G *illyricos*. 15. *caetere* M[a]. *et et adv.* M[a]. 19. *inp.* M[a].

vetere egestate conspicuus: mira et ab inimicis aucta de hac egestate narravit Suetonius Vitell. c. 7.

rebus adversis in solatium cessit: cf. XIV 63: *laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione levabant.* H. III 85: *una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit.* Ille filius Vitellii interfectus est a Muciano: H. IV 80. Nummum honori liberorum Vitellii cusum exhibet Akerman I p. 177: LIBERI. IMP. GERM. AVG. Ibi capita duo puerilia e regione posita.

Cap. 60. *tum interfecti centuriones promptissimi Othonianorum:* partim ex cohortibus praetoriis, partim ex militibus Illyricis; de quorum ardore in Othonem conf. cap. 46.

Et Vitellius credidit de perfidia, et fidem absolvit: virtutis amans acerba irrisione vitiorum praemia, honesti poenas exposuit.

restitit Vitellius: Simplici pro consulatu pecuniam offerenti et simul Celsum diffamanti neque obsecutus est neque credidit. Illud *obiectum mox in senatu* de tempore imperii Vespasiani accipiendum videtur. *Trachalum* —

itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae adsignantes. Et Vitellius credidit de perfidia, et fidem absolvit. Salvius Titianus Othonis frater nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso consulatus servatur. Sed creditum fama, obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset. Restitit Vitellius, deditque postea consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit.

61 Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe Boiorum, inserere sese fortunae et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. Iamque adsertor Galliarum et deus (nam id sibi indiderat) concitis octo milibus hominum proximos Aeduorum pagos trahebat, cum gravissima civitas electa iuventute, adiectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo proelio Mariccus ac mox feris obiectus quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est.

1. *permixtu* M[a]. 6. *honore paecunia* M[a]. 12. *Mariccus* M[a]: *Maricus* G ab altera manu. 14. *nam* M[a] et celeri : *nomen* Beroaldus. 15. *haeduorum* M[a]. 17. *multitudine* M[a].

protexit: cf. H. I 90. Galeria Galerii Trachali aut soror fuit aut alioqui cognata et gentilis.

Cap. 61. *pudendum dictu:* pudorem facit Romano et senatori quod homo obscurus et de plebe Boiorum reverentiam Romani nominis et imperii adeo abiecit, ut arma Romana provocare assertor Galliarum auderet.

simulatione numinum: numina h. l. sunt instinctus divini dicti a *nuendo* vel *annuendo* (*durch Erheuchelung göttlicher Eingebungen*).

iamque adsertor Galliarum et deus (*nam id sibi indiderat*): qui ante non nisi numina ipsum concitantia simulavit; mox ultra processit et deum se Gallico nomine vocavit; id ut Tacitus manifestum faceret legentibus, addidit *nam id sibi indiderat*, verba a me olim non recte in suspicionem vocata.

proximos Aeduorum pagos trahebat: trahebat ut invitos et alienos ab eiusmodi coeptis, ideoque *gravissima civitas* Aedui statim nominantur. Alia ratione *trahebat* adhibitum inveniebamus c. 57, aliter rursus c. 86: *Pannonici exercitus Dalmaticum militem traxere;* H. III 44: (prima Adiutrix legio) *decimam quoque ac sextam traxit.* Utrobique metaphora sumpta est a ruina.

62 Nec ultra in defectores aut bona cuiusquam saevitum: rata fuere eorum qui acie Othoniana ceciderant testamenta, aut lex intestatis. Prorsus si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres. Epularum foeda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia inritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum; vastabantur ipsae civitates; degenerabat a labore ac virtute miles adsuetudine voluptatum et contemptu ducis. Praemisit in urbem edictum quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. Cautum severe ne equites Romani ludo et arena polluerentur. Priores id principes pecunia et saepius vi perpulerant; ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur corruptissimum quemque adulescentium pretio inlicere.

63 Sed Vitellius adventu fratris et inrepentibus dominationis magistris superbior et atrocior occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone rettulimus. Do-

1. *scv.* Mª. 3. *luxuriae* Mª : *luxuriam* BG et Oxonienses. 4. *aep.* Mª. 5. *gulaae* Mª. 11. *nichil* Mª. 12. *harena* Mª. 14. *emul.* Mª. *quenquẽ* Mª. *adulescentium* Mª, *adoloscentium* G.

Cap. 62: *in defectores:* defectores (*Abtrünnige*) breviter et fortasse ad mentem Vitellii nominavit Othonianos, non quod a Galba defecerant, id quod fecerat ipse Vitellius, sed quod huius partes oppugnaverant. Alii de satellitibus Maricci haec dicta accipiunt, repugnante nexu narrationis.

testamenta aut lex intestatis: si testamenta Othoniani qui ceciderant reliquissent, rata fuere, si minus sed sui heredes adessent, lex intestatis valuit.

ab utroque mari itineribus: a mari Tusco et Hadriatico: nam Italiae *utrumque mare* dicitur. De luxuria Vitellii in itinere Suet. c. 10.

vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet: utrumque a senatu decretum erat. Cf. H. I 62, II 55.

Cap. 63. *rettulimus:* v. H. I 88.

Plancius Varus: sub Vespasiano Bithyniam pro consule rexit, cuius rei memoriam servavit nummus Nicaeensium apud Pellerin *Mél. de Med.* II p. 39.

apud — praefectum urbis obiecit: praefecti urbis cum esset *coërcere servitia et quod civium audacia turbidum* (VI 11), huius tribunal in causa seditionis adiit accusator.

cohortem quae Ostiae ageret: egit ibi septimadecima; vid. H. I 80 et annot. ad Annales IV 27.

seram veniam post scelus quaerebat: non sibi veniam quaerebat, ut accepit Orellius, sed accusato, confitendo deesse probationes et delationem imprudenter susceptam esse: sed tunc scelus, id est caedes Dolabellae, patratum iam erat.

labella audita morte Othonis urbem introierat. Id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum praefectum urbis obiecit, tamquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset. Addidit temptatam cohortem quae Ostiae ageret; nec ullis tantorum criminum probationibus, in paenitentiam versus seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria Lucii Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae adfectaret. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu, et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse
64 videretur, impulit ruentem. Igitur Vitellius, metu et odio, quod Petroniam uxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistulas, vitata Flaminiae viae celebritate, devertere Interamnam atque ibi interfici iussit. Longum interfectori visum: in itinere ac taberna proiectum humi iugulavit, magna cum invidia novi principatus, cuius hoc primum specimen noscebatur. Et Triariae licentiam mo-

4. *temptata* Mª. 5. *hostiae* Mª. 6. *pen.* Mª. *seram* Mª, *secundam* G et alii. 7. *quer.* Mª. *cunctante supertentare fl.* Mª: correctum inest G. 8. *L.* Mª. 9. *ne*] *e* GMª: correctum in R. *adfectaret* Mª: *affectare* G et alii. 10. *sauinus* Mª. 12. *inp.* Mª. 14. *eplas* cum lin. Mª. 15. *Interamnium* Mª cum plerisque: *Interamnam* Puteolanus.

terruit, ne — adfectaret: cf. H. III 42: *ne Galliam temere ingrederetur, monendo terruit.* Sabinus accepit delationem, quaestionem criminis instruxit eoque *impulit ruentem*, h. e. perniciem eius maturavit.

Cap. 64. *Petroniam uxorem eius:* v. Sueton. Vitell. 6.

vitata Flaminiae viae celebritate: via Flaminia per campum Martium urbis non procul ab Interamna per Umbriae oppida Narniam (hinc alia et minus celebris via Interamnam ad dextram flexit), Mevaniam usque ad Fanum Fortunae et mare duxit.

devertere Interamnam: formam *Interamnam* pro *Interamnio*, a Iac. Gronovio demum relegatam, restitui, quamvis plerisque codicibus refragantibus: hanc enim Tacito probatam fuisse non solum ex H. III 61 et 63 manifestum est, sed idem gravior auctor, codex Mediceus prior, comprobat, qui in Annalibus I 79, eius civitatis incolas *Interamnates* appellat. Sic etiam Varro L. L. V §. 28, Strabo V 2 §. 10, Plinius III 17 et 19, XVIII 67 §. 5, tituli apud Orellium Inscr. Lat. n. 689 et 3773. *Interamnium* Latii civitas fuit, ad Liris et alii amnis confluentes sita, de qua Strabo V 3 §. 9.

cuius hoc primum specimen noscebatur: cf. annot. ad I 6.

destum e proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris uxor, non immixta tristibus; et pari probitate mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam ad primas filii sui epistulas ferebatur non Germanicum a se sed Vitellium genitum. Nec ullis postea fortunae inlecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta, domus suae tantum adversa sensit.

65 Digressum a Lugduno Vitellium Cluvius Rufus adsequitur omissa Hispania, laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius Caesaris libertus detulerat, tamquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum temptasset, eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset. Interpretabatur quaedam ex orationibus eius, contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo Lucii Arruntii. Arruntium Tiberius Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla for-

2. *in* (in versus fine) *mix* (omissa syll. *ta*) *tristibus* M^a: correxit I. Fr. Gronovius, ante quem *minax tristibus*, ut in G et Oxoniensibus. *probitatē* M^a. 4. *eplas* cum lin. M^a. 6. *evicta* GM^a, *evecta* A corr G et alii. 8. *ligunduno* M^a: *lugduno* G. *Cluvius Rufus* editor: *M. Cluuius Rufus* M^a et vulgo. 9. *voltu* Or. 13. *prescr.* M^a. 14. *interp̄tabatur* M^a. *quaedam exortationibus* M^a, *quedam exhortat.* G: emendavit Rhenanus. 15. *ipsū* M^a: G *ipso*. 16. *preualuit* M^a. *iuueret* M^a. 17. *comitatui* M^a: *comitatu* G. 18. *Lucii Arruntii. Arruntium Tiberius* editor: Mª *L. arruntiū Ti.*, Pichena *L. Arruntii. Eum Tiberius*, G et Oxonienses *L.* (*L.* erasum in G et margini additum) *arruntii: quem.* in G deest *Tiberius*, in Oxoniensibus adesse dicit Broterius. 19. *cluuiūs* M^a.

Galeria: Suet. 6: *duxit mox Galeriam Fundanam praetorio patre.* De *Sextilia* modesta femina, quae ante filium vita concessit, Suetonius 3 et 14, Tacitus H. III 67.

ad primas filii sui epistulas: idem in Dionis fragmento edito a Maio (apud Sturzium v. IX p. 112) memoratur. Conf. Sueton. 3.

Cap. 65. *Cluvius Rufus:* codices et editores omnes etiam praenominis notam (*M.* sive *Marcus*) addunt, sed *Cluvius* neque primum nunc nominatur et tot aliis locis pro Taciti consuetudine (vid. ad XIII 30) duobus tantum nominibus (*Cluvius Rufus*) constanter vocatur, H. I 8 et 76, II 58, IV 39 et 43. Cuius constantiae relinquendae causa cum nulla cogitari possit, notam *M* sive *m* ex postrema prae-

midine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. Profugerat Britannia ob iracundiam militum: missus est in locum eius Vettius Bolanus e praesentibus.

66 Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse. Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit, atque interim Batavorum cohortes una tendere ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. Nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Augustae Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati a conviciis ad caedem transiere. Et proelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecimanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent. Quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos, legionem Graïs Alpibus traductam eo flexu

1. *nondidem* M^a^. 2. *britt.* M^a^. 3. *bettius* M^a^, *bectius* G. 5. *permixte* M^a^. 9. *britt.* M^a^. 12. *augusta* M^a^: G *Augustae.* 15. *exarsisset* A. 18. *grat salpibus* M^a^, *Graïs Alp.* G: *Graiis Alp.* vulgo.

cedentis nominis (*Vitellium*) littera natam esse affirmo.

diplomatibus: casus est barbarus vocabuli Graeci, et auribus politis magis convenit *diplomatis,* ut est apud Graecos *διπλώμασι,* sed terminatio fortior his temporibus invalescere coepit, quemadmodum *diplomatibus* admisit Suetonius Aug. 50, Oth. 7. Conf. Conr. Schneider in Gramm. Lat. II 1 p. 269.

Arruntium Tiberius Caesar ob metum: a nomine *Arruntium* in M^a^ plene asservato prior genitivus *Arruntii* oblitteratus est, sive scriba libri Medicei oculorum aberratione genitivum neglexit, sive duplice nomine turbatus alterum tamquam vitiose repetitum omisit. Quod Pichena intulit *eum*, hoc in principio novi enuntiati et friget et concinnitatem membrorum infringit. Nam subsequenti *Vitellius Cluvium* iuste respondet aut *Tiberius Arruntium* aut per chiasmum *Arruntium Tiberius.* Rem hoc loco strictim commemoratam narravit in Annalibus VI 27.

Trebellio Maximo: cf. H. I 60. Agr. 16.

Cap. 66. *vexillariis tantum pulsis:* cf. cap. 43. *ob veterem — discordiam:* de hac relatum H. I 59 et 64, II 27.

Graïs Alpibus: in M^a^ vestigia *grat salpibus* vere restituta (nam *grat* pro *grai* ex antiqua scriptura et T pro I, quae litterae ibi facile mutantur, posita provenit) formam *Graïs* suggerunt et haec inest libro Guelferbytano. Hanc eodem iure praefero alteri *Graïis,* quo *Gai* pro *Gaïi, Antei* pro *An-*

itineris ire iubet quo Viennam vitarent: namque et Viennenses timebantur. Nocte qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus, pars Taurinae coloniae ambusta; quod damnum, ut pleraque belli mala, maioribus aliarum urbium cladibus oblitteratum. Quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant. Consensu meliorum compressi et legio in Britanniam transvecta. 67 Proximus Vitellio e praetoriis cohortibus metus erat. Separati primum, deinde addito honestae missionis lenimento, arma ad tribunos suos deferebant, donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret; undecima ac septima suis hibernis redditae; tertiadecimani struere amphitheatra iussi. Nam Caecina Cremonae, Valens Bononiae spectaculum gladiato-

1. *nanque* Mª. *uiennaenses* Mª. 2. *proficiscebantur* Mª: G *proficiscebatur*. 3. *colonibus* litt. *i* superscr. *ae* Mª. 5. *obliter*. Mª. 6. *consensũ* Mª. 7. *conpr*. Mª. *britt*. Mª. 8. *separati* Mª et celeri (G *seperati*), *separatae* editio princeps usque ad Rhenanum. 11. *crebresceret* G: Or. *crebesceret*. 14. *iussit* GMª: correxit Rhenanus. 15. *cecina* Mª. *ualen* Mª.

teĩi cet. auctoritate librorum veterum scripsi. Cf. Prooemii cap. 32 extr. De Graïs Alpibus Plinius III 21: *Salassorum Augusta Praetoria iuxta geminas Alpium fores, Graias atque Poeninas. His Poenos, Graïs Herculem transisse memorant.*

eo flexu itineris ire iubet quo Viennam vitarent: solita via per Alpes Graias a Mediolano Viennam ferebat. *et Viennenses timebantur:* cf. H. I 65—66.

Cap. 67. *separati primum:* molestum erat eodem genere pergere (*separatae*) neque veritati satis conveniens: non enim totae cohortes dimissae sunt, ut videtur, sed lecti ex cohortibus.

undecima ac septima suis hibernis: septima Galbiana in Pannoniam (c. 86), undecima in Dalmatiam (H. III 50) remissa est.

Cap. 68. *partes modeste distraxerat:* partes dicit eos milites qui partium studio a victoribus dissidebant proxime (c. 66 et 67) enumeratos.

*ludicro initio, * * * numerus caesorum invidiam bello auxisset:* vulgo scribunt, Rhenanum qui *nisi* post *initio* interposuit secuti, *ludicro initio, ni numerus — auxisset*, turbato sententiae nexu. Nam *numerus caesorum*, etiamsi longe maior fuisset, impedire nihil potuit quo minus ludicrum esset initium. Medicinam adhibere conati sunt Rivius et Beroaldus exhibentes *ludicro initio: numerus caesorum invidiam bello auxit.* Sed *auxit* in *auxisset* quomodo corruptum sit nemo iuste explicaverit. Neque meliore successu transpónenda haec suasit Lipsius, ut esset *et quidem partes modeste dis-*

rum edere parabant, nunquam ita ad curas intento Vitellio ut voluptatum oblivisceretur.

68 Et quidem partes modeste distraxerat: apud victores orta seditio, ludicro initio, * * * * numerus caesorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent; perinde miles intentus aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indisposita temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintae, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae. Remedium

4. hiatus notae sunt ab editore. *ces.* Mª. 5. *auxisset* Mª et alii : *auxit* G (per comp.) et Oxonienses. 7. *severitate* Mª : *severitatē* G. *coniis* Mª, *conniuiis* G. 8. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) Mª : G *perinde*. 9. *bachan* Mª : *bacch.* G. 13. *spectaculum uenerant*, sed ab eadem m. correctum *spectandu conuenerant* Mª. 14. *deductis* GMª : correctum in Spir. *pernicie* Mª : *perniciē* G.

traxerat, *nisi numerus caesorum invidiam bello auxisset*, in quibus iuncta sunt quae rite iungi nequeunt. Audiamus recentiores. Doederlinius cogitatione supplenda dicit *et ludicra tantum res fuisset*, addito 'sed verba *invidiam bello*' obscuriora sunt; mox pro *bello* tentat *Vitellio*, quo nihil lucramur. Orellius Gallicum interpretem *Louandre* sectatus scripsit in annotatione: 'sententiae ita cohaerent: "ludicrum quidem fuit seditionis initium, sed caedes MCC fere hominum auxit invidiam totius belli civilis, quod semel transactum iam videbatur, praesertim cum reputarent, quam ex levi causa illa orta esset". Ex his nihil Tacitus, ac si perinde ut interpretantur illi, scripsisset, omnis brevitatis ac dilucidi sermonis virtus pessumdata esset. Neque vere ipse olim suspicionem movi adversus *ni numerus — bello auxisset*: nam prorsus deerat causa addendi nova. Immo excidit membrum sermonis in hunc modum fere concinnatum: *apud victores orta seditio, ludicro initio, neque digna memoratu, nisi numerus caesorum invidiam bello auxisset*. Nimirum homo gravis, narraturus rem per se futilem et a dignitate historiae alienam, excusationis causa praemittit quid ipsum impulerit, ut epulantis Vitellii exercitusque lasciviam et turbas operi suo insereret. Nomine *bello* significavit bellum civile a Vitellio motum. Scriba Medicei libri vel antiquior aliquis a *neque* ad proximum *numerus* aberravit.

indisposita temulenta: conf. ad XI 6. *remedium tumultus fuit alius tumultus*: in caedendis auxiliariis legionarii amplius progressi

tumultus fuit alius tumultus. Pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire. Sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur. Et ruebat ad convivium miles, mortem Verginii exposcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia eius dubitavit. Aegre tamen cohibiti qui exitium consularis et quondam ducis sui flagitabant. Nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit. Manebat admiratio viri et fama: sed oderant ut fastiditi. Postero die Vitellius, 69
senatus legatione quam ibi opperiri iusserat audita, transgressus in castra ultro pietatem militum collaudavit, frementibus auxiliis tantum impunitatis atque adrogantiae legionariis accessisse. Batavorum cohortes ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum

7. *omne* Mª: G *omnes*. 8. *consularis* Mª: *viri consularis* G. 9. *quenquam* Mª. 10. *ămiratio* Mª. 11. *et famas et od.* Mª. *postero* Mª: *postera* G. 13. *conl.* Mª. 14. *inp.* Mª. *arrog.* Mª. 15. *audirent* Mª: G *auderent*. 17. *pa* (in versus fine) *parantibus* Mª.

essent, nisi alio terrore et tumultu territi abstinuissent.

agminis coactores: qui disiectos coërcerent, ut agmen completum esset et iuste procederet. *nec quemquam saepius — infestavit*: v. H. II 49 et 51. *ut fastiditi*: H. I 8.

Cap. 69. *ultro pietatem militum collaudavit*: de caede auxiliarium videtur tacuisse et seditionem adversus Verginium profectam esse a nimio Caesaris amore commemorasse. Cf. H. I 83.

principium interno simul externoque bello parantibus fatis: internum bellum dixit quod Flaviani adversus Vitellium mox gesserunt, externum quod a Germanis Gallisque adversus copias Romanorum in ripa Rheni exarsit; cf. H. IV 13—15. Quomodo *interno* bello paratum sit principium, ante (c. 60 et 67) expositum est, sed eo respiciens et belli externi principium nunc enarrans utrumque complexus est verbis *interno simul externoque bello*, quae idem valent ac *praeter internum etiam externo bello*. Non vere Doederlinius internum et externum bellum interpretatur 'quod post exarsit adversus Civilem Batavum et simul a Batavis descisscentibus, simul a Germanis adhuc indomitis gerebatur'.

inter inania belli adsumptus: Galli *dites et imbelles* erant, ut est in Annalibus XI 18; adde III 46.

et vires luxu corrumpebantur: *et* est pro etiam. Vitellii miles primum frangebatur quod pericula ac labor crebrius redibant, tum eo quod vires eius luxu corrumpebantur: nam *vires* haud dubie

auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum ut largitionibus adfectae iam imperii opes sufficerent, amputari legionum auxiliorumque numeros iubet, vetitis supplementis; et promiscae missiones offerebantur. Exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebrius redibant. Et vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit.

70. Inde Vitellius Cremonam flexit, et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit. Foedum atque atrox spectaculum. Intra quadragesimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant, extructis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in praesens mox per-

2. *iam* A: *tam* M[a], *tñ* (*tamen*) G et alii. 4. *promiscae* M[a], *promiscuae* G. 8. *virtutē* M[a]. 13. *quadragensimum* M[a]. 17. *lauru* GM[a]: *lauro* B. *rosasque* M[a], *rosis que* G, *rosaque* Orellius. *ces.* M[a]. 18. *pernitiem* M[a].

de robore militum hoc loco accipiendum, non de ipso exercitu, ut fecit Doederlinius.

Cap. 70. *inde Vitellius Cremonam flexit*: a Ticino (c. 68) Bononiam (c. 71) recta via proficiscens Cremonam non attigisset, sed per Placentiam eo contendisset. Sed cum proelii locum praeterire nollet, a via instituta ad sinistram partem *flexit*.

intra quadragesimum diem lacera corpora: inter quadraginta dies corpora eorum, quae supra humum relicta sunt (vid. cap. 45 extr.), a canibus, avibus aliisque bestiis dilacerata et adesa.

nec minus inhumana pars viae: *inhumana* est aliena ab humano sensu, superbiae Vitellianae supra humanum modum inserviens. Intelligitur pars viae ab urbe Cremona ad proelii campum ducentis. Falsa ad h. l. comminiscitur Waltherus.

lauru rosisque constraverant: Medicei *rosasque* pro *rosisque* hinc natum, quod *rosas consternere* (*Rosen streuen*) scriba prave cogitavit. Doederlinius commendavit *rosaque* et idem Orellius in contextu posuit: non sequar, primum quod variationis amantem esse Tacitum cognovi, tum quod collectiva vis numeri singularis se continet in certis locutionibus, ut *potare in rosa*, *vivere in rosa*, *esse in rosa*, aut adiuvatur addito epitheto, veluti in Horatii Carm. I 5 1: *multa in rosa*.

mox perniciem ipsis fecere: v. H. III 32 et 33.

niciem ipsis fecere. Aderant Valens et Caecina, monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. Iam tribuni praefectique, sua quisque facta extollentes, falsa vera aut maiora vero miscebant. Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri mirari. Et erant quos varia fors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. At non Vitellius flexit oculos, nec tot milia insepultorum civium exhorruit. Laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

Exin Bononiae a Fabio Valente gladiatorum spectaculum 71
editur, advecto ex urbe cultu. Quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio. Namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrarat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginae mancipatus emptusque. Ut Valenti et

1. *aderat* Mª et corr G: pr G *adderät*. 3. *cohortos* Mª. 4. *pref.* Mª. 5. *volgus* Or. 8. *fors* GMª et alii, *sors* AC. *lacrimeque* Mª. 10. *letus* Mª. *propinque* Mª. 11. *dis* Mª, *diis* G. 14. *inm.* Mª. 15. *nanque* Mª. 16. *admiratione͂* Mª. *celebrarat* editor: codices *celebrabat*.

tribuni praefectique: tribuni militum legionariorum, praefecti cohortium socialium et alarum.

aggerem armorum: arma caesorum hostium in aggerem congesta.

at non Vitellius flexit oculos: Virgilii verba Aen. IV 369 comparavit Ernestius: *num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?*

laetus ultro: Suetonius Vit. 10: *utque campos in quibus pugnatum est adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem detestabili voce confirmare ausus est: 'optime olere occisum hostem, et melius civem'.* Talia rumore adversariorum dispersa esse crediderim: sane Suetonius atrox in memoriam Vitellii, multo aequior Tacitus.

Cap. 71. *propinquabat*: refer ad *urbem* Romam proxime ante memoratam, non ad *inhumanum iter* ab Ernestio temere confictum.

namque et Neronem — emptusque: haec omnia id tempus respiciunt, quo Nero in vivis fuit, non praesentem Vitellii vitam. Suetonius Vit. 4: *sed aliquanto Neroni acceptior cum propter eadem haec, tum peculiari merito, quod praesidens certamini Neroneo cupientem inter citharoedos contendere nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem ideoque egressum theatro revocaverat, quasi perseverantis populi legatione accepta, exorandumque praebuerat.* Conf. Tacit. XVI 4. Itaque in verbis de quibus nunc loquimur vulgata *cele-*

Caecinae vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Marcii Macri tamquam Othonianarum partium ducis; et Valerium Marinum destinatum a Galba consulem distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem ausus et Verginii extimulator: sed alias protulit causas. Actaeque insuper Vitellio gratiae, consuetudine servitii.

72 Non ultra paucos dies, quamquam acribus initiis coeptum, mendacium valuit. Extiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Histria occultatum, quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat. Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulae adsumpto, vulgus credulum et quidam militum, errore veri seu turbarum studio, certatim adgregabantur, cum pertractus ad Vitellium interrogatusque quisnam mortalium esset, postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur, conditione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum.

1. *cec.* Mª. 2. *ma marci matri* Mª, *M. macri* G. 9. *caeptum* Mª. 11. *Histria* GMª, non *Istria.* 14. *ass.* Or. *volgus* Or. 18. *condicione* Or. 19. *in servile modum* Mª, *in servilem mod.* G: *servilem in m.* A.

brabat vitium est ex *celebrarat* detortum, ac scriba recentior in ἀρχετύπῳ B legit, cum esset R, de quo viliorum genere dictum in extrema annotatione c. 23. Nunc demum bene se habent *sectari cantantem solitus — emptusque. Neronem ipsum* opponit *Neronianae aulae ingenio.*

mancipatus emptusque: h. e. ita deditus et obnoxius luxui (dativus est *luxu*) et saginae, ut qui in mancipium datus et domino traditus est. *coartati aliorum consulatus:* cf. H. I 77. *actaeque insuper Vitellio gratiae:* conf. Agr. 42.

Cap. 72. *Scribonianum se Camerinum ferens:* Dio ap. Xiphil. LXIII 18 in actis anni a Chr. 67: ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ὁ Ἥλιος ἄλλα τε πολλὰ καὶ δεινὰ εἰργάσατο, καὶ Σουλπίκιον Καμερῖνον, ἄνδρα τῶν πρώτων, μετὰ τοῦ υἱέος ἀπέκτεινεν. Camerinum Sulpicium, reum ex proconsulatu Africae, Tacitus memorat XIII 52. Mortem eius et fratris in deperditis Annalium libris narravit.

in argumentum fabulae: argumentum proprie de fabula scenica dici notum est. *In argumentum* idem est atque *ut argumentum fabulae fieret.* Nos dicimus *für die Komoedie.* *in servilem modum:* cruci affixus est.

73 Vix credibile memoratu est quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere. Nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus, ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur. Tum ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saevitia libidine raptu in externos mores proruperant.

74 At Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. Miles ipsi adeo paratus ut praeeuntem sacramentum et fausta Vitellio omnia precantem per silentium audierint. Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior. Praefectus Aegypti Tiberius Alexander consilia sociaverat. Tertiam legionem, quod e Syria in Moesiam transisset, suam numerabat. Ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur; namque omnis exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi sermone ceteros ut impares inridebant. Sed in tanta mole

1. *socordieque* Mª. 2. *Syria* Mª, non *Suria*. 6. *aemulos scuit.* Mª. 10. *omia* cum lin. Mª. *p̄cantem* Mª. 12. *egyp* (in versus fine) *ti alexander* Mª: praenomen inseruit Muretus. 13. *de siria* Mª: *e Syria* tacite Lipsius. 14. *sua* Mª: G *suã*. *illir.* Mª. 15. *nanque* Mª. *omnis* Mª: G *omnes*. 17. *inp.* Mª. *sed iniant a mole* Mª: correctum in AC et in G a sec. manu.

Cap. 73. *speculatores:* ex speculatoribus legebantur qui mandata Caesarum ad legiones ferrent. Sueton. Calig. 44: *magnificas Romam litteras misit* (e Germania) *monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent, nec nisi in aede Martis ac frequente senatu consulibus traderent.* *ad nomen eius Vitellius excitabatur:* praeclare hoc dictum de homine plerumque quasi per somnum agente.

Cap. 74. *praefectus Aegypti Tiberius Alexander consilia sociaverat:* Muretus suo ingenio dedit *Tiberius Alexander*, atque sic Tacitus haud dubie scripsit, si ipse hominis nomen posuit. Accepi supplementum Mureti, quia praenominis nota (*Ti.* sive *ti.*) post *Aegypti* negligi facile poterat. Sed cum Tiberius Alexander Aegypti praefectus ex H. I 11 legentibus cognitus sit et mox denuo (c. 79) duobus suis nominibus designetur, nostro loco dignitatis memoratio sola sufficiebat (*der Praefect Aegyptens hatte sich an dem Plane betheiligt*). Itaque nudum nomen *Alexander* non concinne interiectum fortasse ex H. I 11 et II 79 huc ab aliena manu ascriptum est. Utra ratio probabilior sit ego non decerno.

e Syria in Moesiam: cf. H. I 79, II 85. Sueton. Vesp. 6: *quidam e legione tertia, quae sub exitu Neronis translata in Moesiam fuerat.* In codicum scriptura *de*

belli plerumque cunctatio; et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat. Quis ille dies foret quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello permitteret? Esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus
75 nihil medium inter summa aut praecipitia. Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices, et apud victos plus querimoniarum quam virium. Fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis: quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinore paratum ex diverso praemium petat? Sic Scribonianum sub Claudio interfectum; sic percussorem eius Volaginium e gregario ad summa militiae provectum. Facilius universos impelli quam
76 singulos vitari. His pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant et Mucianus, post multos secretosque sermones iam et coram ita locutus. 'Omnes qui magnarum rerum

6. *nichil* M^a^. *suma* M^a^. *aut* GM^a^, *et* R, *ac* B. *prec.* M^a^. 10. *fidēs* M^a^. 11. *praesenti facinora* M^a^, *praesenti facinore* B, *praesenti facinori* G et Oxonienses et Regius. 12. *scribonianu* M^a^. 14. *inp.* M^a^. 17. *coronam* M^a^: *coram* G.

Syria ex praegresso *quod* littera *d* repetita est.

truces corpore: nimirum plerique ex Germanis delecti erant; alii in mores eorum degeneraverant. *Truces oculos* Germanis assignat Germ. 4. *sexaginta aetatis annos:* natus est a. u. 762: Suet. Vesp. 4. Iam describitur annus 822.

esse privatis cogitationibus progressum: privatae cogitationes sunt quae concipiuntur de rebus privatis: hae progredi possunt quantum libet: imperii cupido semel palam suscepta nullos gradus habet, sed ad summa aut praecipitia compellitur.

Cap. 75. *praesenti facinore:* ablativus *praesenti facinore* referendus est ad verbum *petat* ut casus instrumentalis. Pro *facinore* in M^a^ *facinora* devenit, aberrante scriba et sonis *a* subsequentis vocis *paratum* decepto. *Paratum* est *propositum* vel *promptum; praesens facinus* quod extemplo potest accidere ac provideri nequit, ut II I 38 *praesens supplicium* quod statim sumitur, et *praesens pecunia* quae statim numeratur, et *praesens periculum* quod statim corripit. Sprevi autem *facinori*, quod ex diverso non tam *praesenti facinori* quam *facinori* simpliciter praemium paratum est, et *praesenti facinore* tolli posse novum principem sententiae nexus requirit.

Scribonianum sub Claudio interfectum: Tacit. XII 52 cum annot. Sueton. Claud. 13 et 35. Dio LX 15.

Cap. 76. *iam et coram:* quid sit *coram* ex oppositis patet; est

consilia suscipiunt, aestimare debent an quod inchoaturi sunt rei publicae utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Ego te, Vespasiane, ad imperium voco tam salutare rei publicae quam tibi magnificum. Iuxta deos in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris. A contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi. Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Gai quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exurgimus. Cessisti etiam Galbae imaginibus. Torpere ultra, et polluendam perdendamque rem publicam relinquere, sopor et ignavia videretur, etiam si tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? Splendidior origine quam nos sumus, fateor: sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri sibi ipse Vitellius documento, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio

1. *inchoaturi sunt* editor: M^a *inchoaturi*, G et alii *incoatur*. 2. *effectũ* M^a. *aut non certe non* M^a: emendatum in G et ceteris. 4. *caeptis* M^a. 5. *adq.* M^a: *acq.* G. 6. *tam* in rasura G: M^a *tanquam*. 10. *tyberii* M^a. 12. *exs.* Or. 13. *torpore* M^a: G *torpere*. *perdendanque* M^a. *RP.* M^a. 14. *sopore* M^a: G *sopor*. 17. *splendiorj* M^a: G *splendidior*. 21. *nulli* M^a.

ad Vespasianum coram amicis legatisque. Cf. IV 54, VI 8.

omnes qui — non arduum sit: principium orationis simile est Sallustianae in Catil. c. 51: *omnes homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant*, cet. Conf. eiusdem epistola Mithridatis in fragm. Histor.: *omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent*, cet.

quod inchoaturi sunt: a scriba libri Medicei, dum *inchoaturi* bene ex archetypo repraesentavit, neglectum est compendium *s.*, h. e. *sunt*. Id restituere facilius et aptius visum quam cum vulgo librorum repetere *inchoatur*. *Inchoaturi* autem sine *sunt*, ut voluit Waltherus, in enuntiato pendente et secundario admitti nequit.

quo posses videri concupisse: vis sententiae in verbo *videri*; dicit tu iam non videris concupiscere, sed hoc te facere certo scitur. *trucidatus Corbulo:* Dio LXIII 17. Ut dux celeberrimus et

provectus. Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat. Si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comissationibus et principis imitatione deteritur. Tibi e Iudaea et Syria et Aegypto novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae, sed firmatus usu miles et belli domitor externi; classium alarum cohortium robora, et fidissimi
77 reges, et tua ante omnis experientia. Nobis nihil ultra adrogabo, quam ne post Valentem et Caecinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia aemulum non experiris. Me Vitellio antepono, te mihi. Tuae domui triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii alter, et primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen ac pericula ex aequo patiemur. Immo, ut melius est, tuos exercitus rege, mihi bellum et proeliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. Hos ira odium,

1. *exercitu sui* M^{a} et ceteri: correxit Rhenanus. 5. *cōmiss.* M^{a}. 6. *tibiae iudea* M^{a}. *Syria* M^{a}, non *Sur.* 10. *omnis* M^{a}: G *oīs.* *nichil* M^{a}. 11. *ne postulantem* M^{a}: G *post ualentem.* *et* GM^{a}: *ac* Lipsius. *cecin.* M^{a}. 19. *pericula* M^{a}, *periculum* BG. 20. *patiemur* M^{a}, *paciemur* G: *partiemur* Beroaldus, non Puteolanus, ut referunt Waltherus et Orellius. *tuos* GM^{a}: *tu hos* Puteolanus.

qui obiter memoratur, uno nomine vocatur.

et principis imitatione: dum miles perinde ac princeps desidiae et voluptatibus se dedit. Mire Orellius interpretatur 'dum quasi principis partes agit'.

novem legiones: Syriae quattuor, tres Iudeae, duae Aegyptiacae: cf IV 5, II. I 10. *Integras* (*vollzählige*) dixit respiciens Vitellianas, quorum numeri sive amputati sive sparsi; v. cap. 69.

Cap. 77. *triumphale nomen:* ornamenta triumphalia in Britannia tulerat Claudio principe. Sueton. Vespas. c. 4.

primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus: Sueton. Tit. c. 4: *tribunus militum et in Germania et in Britannia meruit, summa industriae nec minore modestiae fama.*

ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. Nec mihi maior in tua vigilantia parsimonia sapientia fiducia est quam in Vitellii torpore inscitia saevitia. Sed meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt.' Post Muciani orationem ceteri audentius cir- 78
cumsistere hortari, responsa vatum et siderum motus referre. Nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit. Recursabant animo vetera omina. Cupressus arbor in agris eius, conspicua altitudine, repente prociderat, ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat. Grande id prosperumque consensu haruspicum et summa claritudo iuveni admodum Vespasiano promissa. Sed primo triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus inplesse fidem ominis videbatur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat. Est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. Nec simulacrum deo

2. *contumacia habescunt* M^a: correctum inest G. 3. *voln.* Or. 5. *seuit.* M^a. 7. *desciver* cum lin. M^a. *audientius* M^a: G *audentius.* 10. *presc.* M^a. 11. *omia* cum lin. M^a. 16. *iudaeicae* M^a. 17. *inpl.* M^a: *impl.* G. *hominis* M^a. *uidebatur* M^a: *uidebantur* G et Harl. 18. *credebat. est* G: *credebat. et* M^a. *iudeam* M^a. 19. *dmque* cum lin. M^a.

nam qui deliberant desciverunt: imitatus est Plutarchus Galb. 4, ubi Vinius: *ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύῃ; τὸ γὰρ ζητεῖν, Νέρωνι εἰ πιστοὶ μενοῦμεν, ἤδη μὴ μενόντων ἐστίν.*

Cap. 78. *cupressus arbor:* Sueton. c. 5: *arbor quoque cupressus in agro avito, sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit.* Multa ibidem Suetonius futurae fortunae praesagia collegit in huiusmodi rebus diligentissimus. Conf. Tacit. II. I 10, II 4. Dio ap. Xiphil. LXVI 1.

consulatus: hunc gessit Claudio principe anno 804. Sueton. 4: *praeterea consulatum* (accepit), *quem gessit per duos novissimos anni menses*; cf. Domit. 1.

videbatur: eo quod nomini *decus* adiungitur genitivus *Iudaicae victoriae*, hoc prae ceteris effertur ideoque verbum *videbatur* huic accommodatur, ut est in libro M^a.

Iudaeam inter Syriamque Carmelus: est mons Antilibano continuus ibidemque vicus eodem nomine in tribu Asser: alius Iudaeae mons Carmelus et civitas in tribu Iuda non procul a lacu Asphaltite. De illo etiam Suetonius 5: *apud Iudaeam Carmeli dei oraculum con-*

aut templum: sic tradidere maiores, aram tantum et reveren-
tiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas ver-
saret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis
'quidquid est' inquit, 'Vespasiane, quod paras, seu domum
extruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur
tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum'. Has
ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat. Nec
quidquam magis in ore vulgi. Crebriores apud ipsum ser-
79 mones, quanto sperantibus plura dicuntur. Haud dubia de-
stinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cae-
saream: illa Syriae, haec Iudaeae caput est.

Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae
coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui kalendis Iuliis
sacramento eius legiones adegit. Isque primus principatus
dies in posterum celebratus, quamvis Iudaicus exercitus quin-
tum nonas Iulias apud ipsum iurasset, eo ardore ut ne Titus
quidem filius expectaretur, Syria remeans et consiliorum in-
ter Mucianum ac patrem nuntius. Cuncta impetu militum
80 acta, non parata contione, non coniunctis legionibus. Dum

4. *quicquit* M[a]. 8. *quicq*. Or. idem *volgi*. 11. *Suriae* nunc M[a]. *hoc iudeae* M[a]. *capud* M[a]. 12. *ad* G: M[a] *a*. 13. *caeptum* M[a]. *Tib.* cum lin M[a]. *kl.* cum lin. M[a]. 14. *sacramento* M[a], ut ceteri, non *in sacramento*, ut narrat Ernestius. 15. *quintum* editor: M[a] cum plerisque V., Ryckius *quinto* et sic vulgo. Cf. annot. ad 6 50. 16. *non* cum lin. M[a]. *iulii* M[a]. 19. *cognitione* M[a]: *contione* A et Pichena.

sulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Conf. Hitzig, *Urgeschichte und Mythologie der Philistäer* p. 285 sqq.

aram tantum et reverentiam: haec planius exponunt quod nimis nude positum *sic tradidere maiores.* Cf. II. V 5. Germ. 9.

Cap. 79. *haec Iudaeae caput est:* Caesaream caput Iudaeae appellavit, quod illic sedes eius, qui genti procurator praepositus erat. Iudaeis ipsis Hierosolyma caput fuit: v. II. V 8. Medicei *hoc* ex *hec* (pro *hec* sive *haec*) corruptum videtur: tolerari posset, si esset *hoc caput Iudaeae est. haec* G et Puteolanus.

quintum nonas Iulias: Sueton. 6: *quinto idus Iulias*, sed illic *idus* ex corruptela resedit pro *nonas*, orta ex scripturae compendio et adiuta subsequenti voce *Iulias.* Suetonius enim Tacitum illic imitatur ac paene excripsit: *Tiberius Alexander praefectus Aegypti primus in verba Vespasiani legiones adegit kalendis Iuliis, qui principatus dies in posterum observatus est. Iudaicus deinde exercitus quinto idus* (lege cum Torrentio *nonas*) *Iulias apud ipsum iuravit.* Conf. annot. ad I 5.

impetu militum: de hoc nimia

quaeritur tempus locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes timor, ratio casus obversantur, egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine ut legatum salutaturi, imperatorem salutavere. Tum ceteri accurrere, Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare. Mens a metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, adrogans aut in rebus novis novum fuit. Ut primum tantae mutationis offusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et adfluentia excepit. Namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia, omniumque quae diceret atque ageret arte quadam ostentator. Nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque

1. *quer.* Mª. 3. *adsistent* Mª, *adsistunt* G: correxit Pichena. 5. *caet.* Mª. *adc.* Mª. 7. *nichil* Mª. 8. *tante* Mª. *multitudinis* Mª et ceteri: correxit I. Fr. Gronovius. *obf.* Mª. 9. *omia* cum lin. Mª. 10. *nanque* Mª. 12. *illi* Mª: G *illis.* 13. *greca* Mª. 16. *quan quod* Mª.

neque credibilia narrat Iosephus Bello Iud. IV 10 §. 4.

Cap. 80. *spes timor, ratio casus:* cf. annot. ad XI 6. *mens — transierat:* intellige *mentem* salutantium et ceterorum qui accurrebant. Hinc ad ipsum Vespasianum pervenit.

tantae mutationis offusam oculis caliginem: dicit eum stuporem mentis quo oculi ita afficiuntur, ut caligine circumsessi videantur. Genitivus *mutationis* fontem causamque denotat, *caliginem* quae profecta erat a tanta mutatione. Ceterum de veritate emendationis Gronovianae dubitari iuste nequit.

arte quadam ostentator: ablativus voci *ostentator* definiendae servit, quod quo facilius fiat pronomen *quaedam* efficit (*in Allem was er sprach und that mit einer gewissen Kunst sich zeigend*).

Syriacis legionibus Germanica hiberna — mutarentur: mutarentur hoc loco de re per mutationem accipienda positum est (*dass — eingetauscht würden*). Suet. Vespas. 6: *rumor dissipatus destinasse victorem Vitellium permutare hiberna legionum et Germanicas transferre in Orientem ad securiorem melioremque militiam.* Castra stativa ad observandos populorum subditorum animos et coërcendos hostium finitimorum impetus in variis imperii partibus posita primo nonnisi *hiberna* fuere, mox eadem militum multitudo cum perpetuo apud provinciales permaneret atque modo in aestivis modo in hibernis ageret, eiusmodi castra saepe ἁπλῶς

transferret, contra Syriacis legionibus Germanica hiberna caelo ac laboribus dura mutarentur. Quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti; et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum penatium dilige-
81 bantur. Ante idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum regno Sohaemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus. Mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat. Nec minore animo regina Berenice partes iuvabat, florens aetate formaque, et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid provinciarum adluitur mari Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, iuravere. Sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociae legionibus. Consilium de summa rerum Beryti habitum. Illuc Mucianus cum legatis tribunisque

1. *hiberno* M^a^: *hyberna* Rhenanus. 2. *mutarentur* M^a^, *mutaretur* G. 6. *id. iulj* cum lin. in litt. *l* M^a^. 9. *exercitus* M^a^: G *excitus*. 10. *celerina uagatione* M^a^. 13. *quidquid* M^a^; G *quicq.* *asya* M^a^. 17. *beriti* GM^a^.

hiberna appellantur. Sed nunc prudenter *hiberna* memorantur, ut maior invidiae vis confletur: etenim in Germania nihil esse nisi *hiberna* animis militum ingeritur. Itaque *Germanica hiberna* tamquam ipsa Muciani verba referri cogites.

Cap. 81. *vetustis opibus ingens: ingens* positum est a scriptore antegressa *haud spernendis viribus* respiciente: quippe alter regum militibus, alter pecunia valebat. De *Antiocho* dictum ad XII 55, de *Sohaemo* et *Agrippa* ad XII 23.

excitus ab urbe Agrippa: eo missus erat a Vespasiano, ut novi principis (Galbae) de bello Iudaeorum sententiam sciscitaretur, ut tradit Hegesippus IV 21.

et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata: his additis scite ac facete lectoribus in mentem revocat Tacitus, quibus rebus iuveni Tito Berenice grata fuerit; cf. H. II 2.

Asia atque Achaia tenus: Asiam Tacitus dicit provinciam Romanam, h. e. Asiam minorem et finitimas insulas: nam totius terrae partem quotiens designare voluit, *Orientis* vocabulo usus est.

sed inermes legati regebant, nondum — legionibus: paucis iam nunc rem tangit ab ipso Vespasiano posthac institutam, a Tacito in sexto Historiarum libro nobis deperdito narratam. Suet. Vesp. 8: *Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.*

Beryti: Berytus Syriae urbs opportuna simul ac finitima Iudaeae

et splendidissimo quoque centurionum ac militum venit, et e Iudaico exercitu lecta decora. Tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem fortunae principalis effecerant. Prima belli cura, agere delectus, 82
revocare veteranos. Destinantur validae civitates exercendis armorum officinis; apud Antiochenses aurum argentumque signatur; eaque cuncta per idoneos ministros, suis quaeque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare saepius quam coërcere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans. Multos praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Donativum militi neque Mucianus prima contione, nisi modice, ostenderat; ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace, egregie firmus adversus militarem largitionem, eoque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniumque legati, provisumque ne versis

3. *emul.* M[a]. 4. *dil.* M[a]. 6. *antyoch.* M[a]. 7. *quoque* M[a]: *quaeque* in mg. M[a] et pr G. 10. *pref.* M[a]. 13. *donativom* M[a]. 14. *ne* M[a]: *nec* G. 15. *civile* corr. *civili* M[a].

sita erat, ideoque hoc loco de summa rerum deliberatum est.

e Iudaico exercitu lecta decora: iidem sunt qui ex Syriacis militibus modo singulatim enumerati, *legati tribunique et splendidissimus quisque centurionum ac militum.* Splendidissimi centurionum ac militum sunt qui facinoribus egregiis ornamenta meruerant, iisque decoribus splendebant. *Lecta decora* similiter dictum ac *lecta corpora* H. II 11; *e Iudaico exercitu* idem valet quod *Iudaici exercitus.*

Cap. 82. *revocare veteranos:* veterani qui ad militiam revocantur, suis sub vexillis agentes, ingenti agmine et numero Mucianum expedita manu in Italiam contendentem sequi dicuntur c. 83; ibi *vexillarii* appellantur. Cf. annot. ad I 38.

adire hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare saepius quam coërcere: addidi commatis notam post *exemplo*, quo effectum ut et concinnitas orationis et dicendi diligentia accurato verborum exactori restituantur. Iam enim *bonos laude, segnes exemplo* pertinent ad praegressum *hortari*, iisque hortandi ratio explicatur; dehinc narrare pergit adversus segnes acrem fuisse Vespasianum, sed qui nimia ausi sint, ab eodem non coërcitos esse.

praefecturis: intelligas praefecturas *cohortium*, *alarum*, *castrorum* cet.; *procurationes* sunt procuratorum officia. Quae *summa* dicit, sunt consulatus honores et provinciarum administrationes.

ne Vespasianus quidem: liberiore structura verborum usus post *neque Mucianus ostenderat* non perrexit eodem tramite *nec Vespa-*

ad civile bellum legionibus terga nudarentur. Titum instare Iudaeae, Vespasianum obtinere claustra Aegypti placuit. Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatosque scriptae epistulae, praeceptumque ut praetorianos Vitellio infensos reciperandae militiae praemio
83 invitarent. Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires sibi, et maiora credi de absentibus. Sed legio sexta et tredecim vexillariorum milia ingenti agmine sequebantur. Classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii num omissa Moesia Dyrrhachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque, quas inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur; atque ipsum Vitellium in incerto fore quam partem Italiae protege-

1. *civile* Ma. 2. *iudeae* Ma. 4. *nichil* Ma. 5. *eplae* cum lin. Ma. 6. *reciperandae* Ma: G *recup.* 10. *sibi* Ma: *sibi esse* G et Oxonienses. *assentibus* primae *s* superscr. *b* Ma. 13. *dirrachium* Ma. 14. *equite* Ma: *equite peteret* G et Oxonienses. 15. *asyaque* Ma. 16. *quasi* (in versus fine) *inermes* Ma.

sianus — *obtulit*, sed illato *ne* — *quidem* hanc sermonis partem prae altera intendit, ut rem novam fuisse significaret. Quae in annotatione ad Annales IV 35 extrema de *nec* — *quidem* bis apud Tacitum tolerando dixi, nunc tollenda censeo, postquam fido Baiteri testimonio didici, in Ma h. l. legi *ne*, non *nec*. Conf. ad H. IV 38.

provisumque ne — *nudarentur*: his verbis significatur non solum paciscendo et missis legatis sed militibus in Syria et ad ripam Euphratis, quantum satis erat, relictis dispositisque prospectum esse, ne Parthi Armeniique vacuam provinciam occuparent. Haec de Syria: in proximis ad Iudaeam scriptor pervenit exponens quomodo ei terrae provisum sit.

ac nihil arduum fatis: haec quasi in supplementum accedunt ad *Vespasiani nomen; nihil arduum fatis* pro uno nomine substantivo valet. De re cf. H. I 10, II 78.

Cap. 83. *legio sexta*: haec inde a Tiberii Caesaris tempore in Syria fuit; v. II 79 et 81, XIII 40, XV 6 et 26. H. III 46. Praeterea sexta Hispanica commemoratur H. III 44, IV 68. Tredecim vexillariorum milia non sunt veterani, quae Walchii opinio fuit, sed *delecti* sive vexilla ex ceteris Palaestinae et Syriae legionibus. Vid. annot. ad I 38. Iidem significantur H. IV 46 *lectus in eandem spem e legionibus miles. Classem e Ponto* idem est atque *classem in mari Pontico stantem.*

quas inermes exponi Vitellio:

ret, si ibi Brundisium Tarentumque et Calabriae Lucaniaeque litora infestis classibus peterentur. Igitur navium militum 84 armorum paratu strepere provinciae. Sed nihil aeque fatigabat quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans Mucianus, non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. Passim delationes, et locupletissimus quisque in praedam correpti. Quae gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit ausus que est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum iuvit, largus privatim, quod avidius de re publica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

1. *ibi* editor: codices *sibi*. *brudisium* M^a^, *brundusium* G. *Calabriae Lucaniaeque* M^a^: *Lucaniae chalabriae que* G. 2. *in litora* M^a^: *littora* G. 3. *nichil* M^a^. 7. *predam* M^a^. 10. *opt.* M^a^. *perin* (in versus fine) *obstinante* M^a^. 11. *dicit* M^a^: G *didicit*. 13. *RP.* M^a^. 14. *pecuniã* M^a^: G *pecuniarum*. *rarissimus* M^a^: *carissimus* G et Oxonienses. 15. *recip.* M^a^: *recup.* G.

verbum unde pendet *exponi* ex *ambiguus consilii* petendum, veluti *cogitans.*

si ibi: quod codices offerunt *si sibi*, damno affectum esse liquet. Nam ut nunc est verborum ordo, *sibi* ad neminem nisi ad Vitellium pertinere potest, atque sic adeo vi omni caret, ut Tacito in pronominibus parcissimo tribui non possit. Ad Mucianum *sibi* (= *a se*) referri nequit, quod Dyrrhachium pedite atque equite clausurus erat; neque sic dici potuit *infestis classibus.* Peccatum est assimilandi aberratione, ac restituendum *si ibi*, h. e. in Italiae solo. Conf. c. 97: *nullo tum ibi* (in Hispania) *consulari;* c. 16: *trierarchum Liburnicarum ibi* (in Sardinia) *navium.*

Cap. 84. *sed nihil aeque fatigabat:* intellige *fatigabat provinciales*, obiecto ex praegresso nomine *provinciae* suppleto. Non bene accepit Rupertius pro 'vexabat', angebat animos Muciani et Vespasiani'.

ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante: iniquitates h. l. sunt quae inique postulantur (*unbillige Anforderungen*). *Obstinante* intransitive dictum accipe, perinde atque apud Livium XXIII 29 *obstinaverant animis aut vincere aut mori*, quem locum suggessit Forcellinius. Sed non aptum est exemplum ab Gronovio ex Plauti Aulul. II 2 89 ascriptum: *id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.*

indulgentia fortunae: fortuna Vespasiano indulsit eo, quod neque inique factum eius unquam gravior poena consecuta est, neque aliis in rebus ipsum conflicta-

85 Accelerata interim Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio, transgressi in partes. Tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit. Octava erat ac septima Claudiana imbutae favore Othonis, quamvis proelio non interfuissent. Aquileiam progressae, proturbatis qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. Unde metus, et ex metu consilium: posse imputari Vespasiano quae apud Vitellium excusanda erant. Ita tres Moesicae legiones per epistulas adliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus Moesiae rector pessimum facinus audet, misso centurione ad interficiendum Tettium Iulianum septimae legionis legatum, ob simultates, quibus causam partium praetendebat. Iulianus, comperto discrimine et gnaris locorum adscitis, per avia

1. *adc.* M^a. *caepta* M^a. 2. *tertia* GM^a: *tertia decima* B. 4. *inb·* M^a. 6. *pref.* M^a. 10. *eplas* cum lin. M^a. *allictebant* M^a. 11. *motu* GM^a, *metu* ed. Veneta Puteolani. 13. *Tettium* M^a: *tectum* G. 14 *causās* M^a.

vit; quo attentior fieri omisit avaritiaeque frenos adhibere neglexit.

didicit ausus que est: breviter perstringit quae in libris perditis diligentius executus est. Conf. Sueton. Vesp. 16 et 23. Xiphil. LXVI 14.

largus privatim, quod avidius de re publica sumeret: posteriora a Tacito ad mentem cogitationemque Muciani dicta sunt. *Avidius* dixit, non *auctum* vel *amplificatum*, ut Muciani in recuperando licentiam et cupidinem notaret.

Cap. 85. *Illyrici exercitus studio:* Illyricus exercitus vel Illyrici exercitus (c. 86 extr. Ann. III 7) vel Illyrici legiones (c. 74) sunt milites per Pannoniam, Dalmatiam (Illyricum sensu strictiore) et Moesiam dispositi. Cf. H. I 9 et 76, IV 3. Eadem loquendi ratio in Annalibus I 5 et 46 et 52, II 44 et 53, III 7. Illyrici exercitus sex erant legiones, tres Moesicae, tertia, septima Claudiana, octava, duae Pannonicae, septima Galbiana, tertiadecima (c. 86). una Dalmatiae, undecima (H. III 50, collatis H. II 11 et 67).

tertia legio: haec favore Vespasiani imbuta; v. c. 74 et annot.

septima Claudiana: Claudianae cognominatae sunt septima legio et undecima, quod in seditione Camilli fidem servavere Claudio Caesari. Lege Dionis LV 23.

Aquileiam progressae — hostiliter egerant: conf. c. 46 et Sueton. Vesp. c. 6.

in eo motu — praetendebat: si Moesicae legiones Aquileiam ingressae erant, quomodo Tettius Iulianus legatus septimae legionis ex Moesia profugere potuit? Scilicet post turbam Aquileiensem legiones in Moesiam et solita sibi hiberna regressae erant.

Tettium Iulianum: nomen *Tettii* hoc loco, item H. IV 40 recte

Moesiae ultra montem Haemum profugit. Nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens, et ex nuntiis cunctabundus aut properans. At 86
in Pannonia tertia decima legio ac septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi praecipua Primi Antonii. Is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia bellorum mala, senatorium ordinem reciperaverat. Praepositus a Galba septimae legioni scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens; a quo neglectus in nullo Othoniani belli usu fuit. Labantibus Vitellii rebus, Vespasianum secutus grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendae in alios invidiae artifex, discordiis et seditionibus

1. *hemum* M[a]. 2. *ad* G: M[a] *a*. 7. *bellorum* editor: M[a] *bellum*, G *belli*, et sic vulgo. 8. *recip*. M[a]: *recup*. G.

expressum est in M[a]. Apud Ciceronem in Verrem lib I 28 est *P. Tettius*, ad Att. IV 5 *Tettius Damio*, et *Tettii* in lapidibus; vide Reinesii Inscript. I 10. Sed H. I 79 id nomen scribis minus notum deformatum est in *Titium*, et ibi ab editoribus adhuc toleratur, H. IV 39 in *Titum* aut *Tertium*.

Cap. 86. *at in Pannonia tertia decima legio ac septima Galbiana — haud cunctanter Vespasiano accessere:* tertiadecimanos, quos paulo ante (c. 67) Cremonae et Bononiae struere amphitheatra iussos esse rettulit, eos ex his locis, postquam ea opera perfecerunt, Poetovionem in Pannoniam remissos esse, hoc supplendum legentibus rerum scriptor reliquit.

is legibus nocens: v. XIV 40; nocens est noxa sive culpa oneratus. *Legibus* sextus casus est, non tertius. Enuntiatum *is legibus nocens* certius definitur sequente *et tempore Neronis falsi damnatus.*

inter alia bellorum mala: forma libri Medicei *bellum* aut ex antiquiore *bellōū* emersit, aut scriba mediam syllabam, ut saepe alias, festinatione omisit.

praepositus a Galba septimae legioni: eius legionis *legatus* nunc fuit Antonius. Sed artibus statim memoratis totius exercitus regimen mox adeptus est.

labantibus Vitellii rebus, Vespasianum: commatis signum addidi post *rebus*, ut dilucidior fiat oratio. Nam *momentum* addidit Antonius Vespasiano, non Vitellii rebus. Cf. H. I 59: *octo Batavorum cohortes — prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae.*

raptor largitor: cf. annot. ad XI 6. De Antonio Suetonius in Vitellio c. 18: *ab Antonio Primo, adversarum partium duce, oppressus est, cui Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat. Id valet gallinacei rostrum.*

Tamphilus Flavianus: et Taciti consuetudinem observando et vestigia libri M[a] premendo tribus locis verum nomen legato consulari Pannoniaeque rectori exhibuisse mihi videor. Nimirum in M[a] h. l. *Titus amplius fabianus*, infra H. III 4 *tampius flavianus*, ibid. c. 10 *T. Ampium Flavianum.* Iam primum *tria* nomina ob constantem

potens, raptor largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Iuncti inde Moesici ac Pannonici exercitus Dalmaticum militem traxere, quamquam consularibus legatis nihil turbantibus. Tamphilus Flavianus Pannoniam, Pompeius Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes. Sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. Prima iuventa quaestus cupidine senatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba dux coloniae suae, eaque operà procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit: non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus, pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia malebat. Igitur movere et quatere, quidquid usquam aegrum foret, adgrediuntur. Scriptae in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispàniam ad primanos epistulae, quod utraque legio pro

2. *Delmaticum* M[a], statim *dalmatiam.* 4. *Tamphilus Flavianus* editor: M[a] *Titus amplius fabianus,* G .*T. fabianus.* *Pompeius Silvanus* M[a]: *Pompeius Syllanus* G et alii. 6. *quaestus* Grotius: codices *quietis.* 7. *idem* M[a]: *idem que* G. 12. *quidquid* M[a]: G *quicq.* 13. *brittaniam* M[a]. 14. *eplae* cum lin. M[a].

Taciti morem (v. ad XIII 30) tolerari nequeunt, ac si primo loco tot nomina vel praeter consuetudinem narratoris posita ferre animum induxeris, altero et tertio eadem certe non ferenda sunt, atque id ipsum quod ibi recurrunt, certissimum corruptionis signum est. Num igitur *Ampium Flavianum* vocatum fuisse et a Tacito his duobus nominibus ex more suo appellatum censebimus? Non refragarer equidem, nisi tribus locis *t* in nominis initio codicum notis satis confirmatum esset. Quod cum ita sit, *Tamphilum* (id medium quasi inter *Titum amplium* et *tampium* et *T. Ampium*, ut M[a]) *Flavianum* reposui consuetudini illi probe convenientem. *Tamphilus* est cognomentum Romanum satis notum; v. Liv. XXXI 49 extr., XXXII 7, XXXIV 45, XXXV 10, XXXIX 23 et 56, XL 18. Ne quis forte offendat in nomine *Tamphilus* cum *Flaviano* iuncto, in memoriam revoco Taciti *Pisonem Licinianum* et *Scribonianum Crassum* H. I 14, IV 39.

divites senes: suspice brevitatis virtutem et specimen. Legati consulares tum quia divites tum ob senectutem a turbis alieni.

quaestus cupidine: senatorium ordinem exuerat ut prima occasione ad suscipiendam procurationem Caesaris vacuus esset: talem praebuit defectio adversus Neronem et hanc Fuscus cupide arripuit, maxime alienus a *quiete.* Conf. XVI 17: *adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis* (Mela qui petitione honorum abstinuerat). Vitium *quietis* ex antiquiore scriptura *q̄estq* ortum videtur.

dux coloniae suae: haec colonia quae fuerit haud constat: Italicam fuisse suspicor.

ad quartadecimanos — ad primanos: v. H. II 66 et 67.

Othone adversa Vitellio fuerat. Sparguntur per Gallias litte-
rae; momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis
exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.
Dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque par- 87
tium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad
omnis municipiorum villarumque amoenitates resistens, gravi
urbem agmine petebat. Sexaginta milia armatorum seque-
bantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, proca-
cissimis etiam inter servos lixarum ingeniis; tot legatorum
amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam si summa
modestia regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex urbe
senatores equitesque, quidam metu, multi per adulationem,
ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscentibus ipsi re-
manerent. Adgregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia
Vitellio cogniti, scurrae histriones aurigae, quibus ille ami-
citiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniae modo
aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque,
maturis iam frugibus, ut hostile solum vastabantur. Multae 88

6. *oms* cum lin. M^a^. 11. *regetur* M^a^: G *regeretur*. 15. *scurre* M^a^. 16. *mirae* M^a^.

Illyricis exercitibus: cf. annot. ad H. II 85.

Cap. 87. *dum haec per provincias — geruntur:* a Flavianis et ex provinciis redit narrator in Italiam et ad Vitellium, quem iter ad urbem facientem Bononiae reliquerat c. 71.

sexaginta milia armatorum: nomine *armatorum* usus est, ut una voce pedites atque equites, legionarios ac milites sociorum complecti posset.

procacissimis — ingeniis: calones (Trossknechte) sunt servi militum ad ferenda ligna inque alios usus militares destinati, qui cum mutatione ementium huc atque illuc venire possent, in praeda castrorum H. IV 60 recensentur. *Lixae* (Marketender) cibos potumque militibus praesenti pecunia vendunt; qui cum sordidi quaestus causa exercitus sectarentur (conf. II 62), aliquando ipsos servos (calones) morum pravitate antecellebant, id quod in hac turba accidisse verbis huc transcriptis indicatur. Falso ex hoc aliisque Taciti locis (H. I 49, III 20 et 33) Waltherus collegit calones lixasque non diversos fuisse.

Vitellio cogniti: cogniti erant ex sodalitio Vitellii et Neronis; v. H. II 71.

Cap. 88. *seditionem Ticini coeptam:* v. c. 68.

vernacula utebantur urbanitate: haec verba ceteris interposita et a me olim interpolatori non bene assignata lectorem monent, qui spoliavere, hos non furtum facere, sed licenter et urbane iocari voluisse. *Vernacula urbanitas* est iocus qualis in urbe a vernis solet proferri. Sic O. 28 *vernacula*

et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat; et effusa plebes totis se castris miscuerat. Incuriosos milites (vernacula utebantur urbanitate) quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, an accincti forent rogitantes. Non tulit ludibrium insolens contumeliae animus: inermem populum gladiis invasere. Caesus inter alios pater militis, cum filium comitaretur; deinde agnitus, et vulgata caede temperatum ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus. Forum maxime petebant, cupidine visendi locum in quo Galba iacuisset. Nec minus saevum spectaculum erant ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. Quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.
89 Ipse Vitellius a

2. *caeptam* Mª. 3. *certando* litterae *o* superscr. *ū* Mª. *fore* Mª: G *foret.* 10. *cesus* Mª. 11. *volg.* Or. *cede* Mª. 14. *scaevum* GMª: correctum in A et a Puteolano.

vitia pro vernilibus urbis vitiis, et in Annalibus I 31 *vernacula multitudo*, h. e. urbana libertinorum multitudo. Bezzenberger coniectavit: *incuriosos milites vernacula ludebant urbanitate, quidam.*

pater militis, cum filium comitaretur: haec narrantur ut legentes aestimare possint, quam effusa caedes et inter lascivos illos minime cohibita fuerit. Nam qui honestissimo consilio in castra venerat filium suum visurus, dum hunc comitatur, ab aliis militibus tamquam spoliator et scurra trucidatur.

saevum spectaculum: his militibus locus fori ubi Galba iacuisset spectaculum erat, et spectaculum quidem satis saevum ob facinus ab Othonianis ibi patratum: sed ipsi civibus non minus saevum spectaculum erant, h. e. non solum specie sua sed etiam saevis moribus timendi. *Saevum* est *dirum* et *crudele.*

tergis ferarum: cf. annot. ad IV 72. *Ingentia tela* sunt gladii Gallici et hastae praelongae Germanorum in cohortibus sociorum militantium. Legionarii in exercitu Vitellii solita pila ferebant.

tribuni praefectique: tribuni legionum duces, seni singularum, praefecti qui cohortibus sociorum praeerant.

Cap. 89. *ipse Vitellius a ponte Mulvio — ante se agens:* duorum milium passuum a ponte Mulvio spatium usque ad portam Flumen-

ponte Mulvio, insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. Quattuor legionum aquilae per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa, et post peditum ordines eques; dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent, discretae. Ante aquilas praefecti castrorum tribunique et primi centurionum, candida veste; ceteri iuxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phalerae torquesque splendebant. Decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus,

1. *mului* (in versus fine) *insigni* M^a^. 8. *discrete* M^a^. *aquilas* editor: M^a^ *aquila*, G *aquilam*.

tanam Vitellius paludatus et accinctus incessit, senatum et populum ante se agens: mox sumpta praetexta et composito agmine ipsam urbem ingressus est. Suetonius ad augendum in maius pronus in Vitellio 11 ad alteram viae partem rettulit, quae diligentior hic noster nonnisi de priore valere tradit. Suetonii verba haec sunt: *urbem denique ad classicum introiit, paludatus ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus ac detectis commilitonum armis.*

Mulvio: M^a^ *mului*, idem H. III 82 *mului*, non *Mulvium*, sed nunc *o* haustum est a subsequente *insigni*, altero loco *mului* est pro *muluiū*. XIII 47 forma *pons Mulvius* simili corruptioni non favebat. Waltherus ad utrumque locum se inclinare ut scribat *Mulvii* professus est, sed fallitur, cum id alio Taciti loco (H. I 41), ubi est *lacus Curtii*, defendi putat. Pons *Mulvius* est *die Falkenbrücke.*

sumpta praetexta et composito agmine: ut *praetexta*, pacis amictus, opponitur prioribus *paludatus accinctusque*, sic *composito agmine* (h. e. agmine bene ordinato et lente incedente) contrarium est illorum verborum *senatum et populum ante se agens.* Nummi ad celebrandum Vitellii adventum cusi supersunt; v. Oiselii *Thes. sel. num.* tab. 90. Akermani collectio numm. I p. 176 sqq. In uno nummo Vitellius togatus excipitur a Roma galeata.

quattuor legionum aquilae per frontem: hae legiones fuere prima Italica, quinta, unetvicesima Rapax, duoetvicesima, ut coniicere licet ex H. II 100, etiam ex H. III 22 recte intellecto. Cf. H. I 61 et 64, annotatio ad H. II 57.

totidemque circa e legionibus aliis vexilla: haec vexilla sunt electorum ex *prima*, *quintadecima*, *sextadecima* inferioris exercitus Germanici, *quartanorum* ex superiore Germania: nam eae legiones non cum aquilis suis ad bellum profectae erant, sed non nisi electos sive vexilla dederant. Conf. annot. ad c. 100.

ante aquilas praefecti castrorum — primi centurionum: Medicei formam *aquila* ex antiquiore *aquilã*, quae *aquilas* denotabat, natam esse iudico. Nam praefecti castrorum duo erant ex inferiore

atque ibi matrem complexus Augustae nomine honoravit. 90 Postera die, tamquam apud alterius civitatis senatum populumque, magnificam orationem de semet ipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus attollens, consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia per quam somno et luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus adstrepebat; abnuentique nomen Augusti expressere ut adsumeret, tam frustra quam recusaverat. 91 Apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis quintumdecimum kalendas Augustas edixisset,

4. *adt.* M[a]. 5. fortasse fuit *ipsius*. *italiā* M[a]. 6. *volgus* Or. 8. *astr.* M[a]. 10. *omis* cum lin. M[a]. 11. *cer.* M[a]. 12. *XV. Kl.* cum lin. GM[a]. *ag.* cum lin. M[a].

et superiore exercitu Germanico, alter in Valentis, alter in Caecinae exercitu; tertium haud dubie Vitellius adduxerat; quartus fortasse cum legione Italica ex Lugdunensi provincia abducta accesserat. Hi cum tribunis et primis centurionum ante *aquilas* iere, non ante *aquilam*. Nam illi praefecti non erant singularum legionum, sed singulorum castrorum. Itaque non recte interpretatur Lipsius 'ante suam quisque aquilam', et sic *praefectus*, non *praefecti*, requireretur.

Cap. 90. *tamquam apud alterius civitatis senatum populumque:* pridie *senatum populumque* incuriose et contemptim ante se egerat: c. 89. Senatum Vitellius in curia, populum pro Rostris allocutus est.

consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia: componuntur qui nunc ipsum audiunt Vitellium (*ipsis qui aderant*) et totius Italiae a Vitellio peragratae habitatores non praesentes (*omnique Italia per quam — incesserat*). Sic pronomen *ipsis* vindicari videtur posse. Sed relinquitur aliquid ambigui, quasi qui aderant suorum flagitiorum conscii fuissent: id tollitur, si *ipsius* pro *ipsis* olim fuisse statuamus.

solitas adulationes: adulationes sunt voces adulandi (*Schmeichelreden*). Vulgus est populi pars non integra et privatas curas agitans.

tam frustra quam recusaverat: breviter scriptum pro *idque tam frustra adsumpsit quam recusaverat*, h. e. neque in recusando nomine Augusti certas causas secutus est, neque assumpto aliter atque antea egit.

Cap. 91. *quintumdecimum kalendas Augustas:* Liv. VI 1: *diemque a. d. quintumdecimum kalendas sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendae fecerunt.* Conf. Sueton. Vit. 11. Editores aut numeri notam XV retinent aut *quinto decimo* exhibent. Ego cur *quintumdecimum* posuerim ex annotatione ad VI 50 patebit.

antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. Adeo omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum, amicorum socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans, omnem infimae plebis rumorem, in theatro ut spectator, in circo ut fautor, adfectavit. Quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur. Ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. Ac forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium eius censuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit quod duo senatores in re publica dissentirent; solitum se etiam Thraseae contradicere. Inrisere plerique impudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae

1. *Alliensique* M[a] : *Aliensique* pr G. 2. *amicorum* M[a] : *amicorumque* G. 6. *populari asya uirtutibus* M[a] : correctum inest G. 9. *consularentur* M[a]. 13. *nichil* M[a]. 14. *re.p.* M[a]. 16. *inp.* M[a]. 17. *uere* M[a].

comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans: comitia consulum in senatu tunc peragebantur, quod antequam fieret, cum candidatis patres adibat Vitellius et singulos prensabat. Conf. I 15. Plinius Epist. III 20. Panegyr. c. 69 et 71.

omnem infimae plebis rumorem — adfectavit: hoc delenimentum est ad plebem et a priore toto genere differt, ut vere monuit I. Fr. Gronovius. Sed quid sibi vult *rumorem adfectavit? adfectare* aliis Taciti locis est *anxie quaerere* vel *cupere*, ut *famam adfectare* II. II 63, *studia militum* H. I 23; H. III 13 *secreta castrorum adfectans*; alibi valet *in se trahere*, velut H. IV 66 *civitates adfectare*, et Agr. 7 *imperium adfectare.* Nostro loco *rumorem adfectare* est facere ut rumor fiat de comitate et civili animo principis, id est *studiose cupere.*

duo senatores: se ipsum dicit et Helvidium. Thraseam (v. XVI 21 sqq.) memorat, quod ei Helvidius et moribus similis erat et gener.

Cap. 92. *a praefectura cohortis:* h. e. cum is ante praefectus cohortis (socialis) fuisset. Ablativus discessum a prioris officii gradu significat. Quod statim in Mediceo est *centurio ẽ*, non valet *centurio est*, ut dicit Orellius utque accepere interpolatorum librorum scribae *est* vel *esset* reddendo, sed *ẽ* est *em*, ut littera una suppleta evadat *centurionem.*

inter discordes Vitellio nihil auctoritatis: hoc dicit, si Caecinam inter et Valentem de re aliqua haud conveniret, Vitellio nihil auctoritatis ad decernendum

92 gloriae legisset. Praeposuerat praetorianis Publium Sabinum a praefectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia pollebant. Inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. Munia imperii Caecina ac Valens obibant, olim anxii odiis, quae bello et castris male dissimulata pravitas amicorum et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu comitatu et immensis salutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos hortos, opesque imperii, cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuvarentur. Gratum primoribus civitatis etiam plebs adprobavit, quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset, quamquam id omni modo servilia ingenia corrumpe-

2. *ad praefectura* M^a^, *ad prefecturam* G: correxit Mercerus, ante quem *ac praefecturae*. *dum centurio ē.* M^a^: correxit Lipsius. 3. *cecinae* M^a^. 4. *nichil* M^a^. 7. *inm.* M^a^. 9. *umquam* M^a^. 16. *adpr.* M^a^, non *appr.*

fuisse; *inter discordes* Theodisce converte *wo sie uneins waren,* non *während sie uneins waren.*

male dissimulata: v. H. II 30.

ambitu: h. e. studiis ambientium favorem ipsorum.

subitis offensis aut intempestivis blanditiis: et offensae et blanditiae ipsius Vitellii dicuntur; illas Caecina et Valens metuebant, has contemnebant. Liberius igitur *mutabilis* vox iuncta cum *subitis offensis aut intempestivis blanditiis,* qui sunt ablativi praedicati, non instrumenti, ut grammatici loquuntur. Theodisce: *unter plötzlicher Verstimmung oder unzeitigen Schmeichelein bestandlos schwankend.*

nec eo segnius invaserant: segnius invadendi causae aderant primum ipsorum discordia, tum Vitellii animus mutabilis, sed nihilo minus avaritiae stimulos cohibere non poterant.

quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat: dicit nobiles a Nerone pulsos bonisque exutos; libertatem et patriam eis Galba reddiderat, sed bona restituere omiserat.

quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset: expectamus *iura patronorum,* sed sic pergere non potuit scriptor, *quamquam id omni modo corrumpebant servilia ingenia.* Itaque *iura libertorum* posuit, ut intelligerentur iura a libertis praestanda et praestanda quidem patronis suis (*die Berechtigungen an die Freigelassenen*). Quae quamquam officia potius et onera erant quam iura libertorum, hac tamen praestationes fuerunt quasi supplementum

in the hands of obscure men or men of interest

bant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus, et quidam in domum Caesaris transgressi, atque ipsis dominis potentiores.

93 Sed miles, plenis castris et redundante multitudine, in porticibus aut delubris et urbe tota vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque labore firmari: per inlecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminuebant. Postremo, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit; unde crebrae in vulgus mortes. Et adiacente Tiberi, Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et aestus impatientia labefecit. Insuper confusus pravitate vel ambitu ordo militiae. Sedecim praetoriae, quattuor urbanae cohortes scribebantur, quis singula milia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipsum Caecinam periculo exemisset. Sane adventu eius partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat. Omnisque inferioris

6. *ill.* Or. 10. *volg.* Or. *gauorumque* Mª. 11. *auiditate* GMª : *auiditas* Puteolanus. *inp.* Mª. 14. *dil.* Mª.

eorum quae vera iura liberti manumissione consecuti sunt. Hinc nomen *iura libertorum* explicandum reor. Exiliis patronorum ea iura oblitterata et omissa erant: Vitellius restituit. Quae iuris quaestio nunc primum, ut videtur, agitata est et sequentibus seculis via monstrata. Cf. l. 5 §. 18—26 Dig. *de agnoscendis et alendis* (XXV 3), l. 1 et 21 D. *de iure patronatus* (XXXVII 14). Adde Cod. Iust. *de bonis libertorum et iure patronatus* (VI 4). Martialis X 34 ad Traianum: *qui sua restituis spoliato iura patrono; libertis exul non erit ille suis.*

per occultos aut ambitiosos sinus: sinus artificia sunt et causationes quibus veritas obtegitur, nihil amplius; hi partim *occulti* fuere partim *ambitiosi*, h. e. liberti rem suam aut occultaverunt aut principi et amicis eius se destinasse dixerunt.

Cap. 93. *plenis castris:* castra sunt cohortibus praetorianorum in urbe aedificata; v. IV 2. Eadem mox c. 94 nominantur. *in porticibus aut delubris:* v. H. I 31.

non principia noscere: v. ann. ad H. I 68. Principia in castris sunt ubi tentoria tribunorum militum prope praetorium.

infamibus Vaticani locis: Vaticanus Tiberis inundationi obnoxius male audiebat propter aërem minus salubrem. Ob eandem causam malus ibi ager, vinum pessimum. Cic. de lege Agr. II 35. Martialis I 19, VI 92, X 45. Cf. Beckeri Enchirid. Ant. Rom. t. I p. 659.

adiacente Tiberi: novum est *adiacere* dici de flumine praeterfluente. Scilicet scriptor nunc non ad *undas* Tiberis sed ad *terminum* Tiberis alveo effectum attendit animum. Sic Tiberis tamquam motu

Germaniae miles Valentem adsectabatur; unde primum cre-
94 ditur Caecinae fides fluitasse. Ceterum non ita ducibus indulsit Vitellius ut non plus militi liceret. Sibi quisque militiam sumpsere: quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur; rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum. Nec deerant qui vellent, fessi morbis et intemperiem caeli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta, convulsum castrorum decus, viginti milibus e toto exercitu permixtis magis quam electis.

Contionante Vitellio postulantur ad supplicium Asiaticus et Flavus et Rufinus duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent. Nec coërcebat eiusmodi voces Vitellius: super insitam inerti animo ignaviam, conscius sibi instare donativum et deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti principum conferre pro numero mancipiorum, ut tributum, iussi. Ipse sola perdendi cura stabula aurigis extruere, circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tamquam in

4. *maluerit* Mᵃ, superscr. *a* litt. *i*, ut videtur: G *maluerat*. 6. *aleres* Mᵃ : G *alares*. 8. *convols*. Or. 11. *asyaticus* Mᵃ. 12. *flauus* GMᵃ : vulgo *Flavius*. cf. 2 9. 14. *mortẽ* Mᵃ : *inerti* Pichena. *donativom* Mᵃ.

orbatum et firmum quoddam cogitatur apteque dicitur *adiacere*.

fluminis aviditas: h. e. bibendi ex flumine aut lavandi in eo aviditas; cf. annot. ad G. 4

sedecim praetoriae, *quattuor urbanae cohortes:* ante fuere novem praetoriae, tres urbanae; v. IV 5. *partes* (Vitellianae) *convaluerant:* v. H. II 31. Statim *verterat* est in contrarium mutaverat.

Cap. 94. *urbanae militae:* h. e. cohortibus urbanis vel praetoriis.

intemperiem caeli : intellige *caelum* urbis Romae.

contionante : h. e. contionem militum in castris alloquente, quam verbo vim esse ex adiunctis patet.

inerti animo: in vitio codicis Medicei (*mortẽ* = *mortem*) *m* in principio positum pro *in* admodum simili, in exitu idem adiunctum prava assimilatione ob praegressum verbum *insitam*. Ignavia autem inertis animi propria. Orellius *marcenti* dedit, sed *marcere* dicitur cui vigor et succus vitalis deest (cf. H. III 36): nunc non de vigore sed de animo loquitur.

ut tributum : tributum in usus bellorum erogatur: sed statim enarratur Vitellium in alia omnia pecunia usum esse. Scriptor igitur *ut tributum* adiecit, ut contraria melius perspicerentur. *Liberti principum* sunt liberti a principibus (Claudio, Nerone, Galba, Othone, etiam ab ipso Vitellio) manumissi.

summa abundantia pecuniae inludere. Quin et natalem Vi- 95
tellii diem Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere, ingenti paratu et ante illum diem insolito. Laetum foedissimo cuique, apud bonos invidiae fuit, quod extructis in campo Martio aris inferias Neroni fecisset. Caesae publice victimae cremataeque; facem Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. Nemo in illa aula probitate aut industria certavit; unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus si praesentibus frueretur, nec in longius consultans, novies milies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitellium passa, inter Vinios Fabios, Icelos Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec

1. *abundantiae* M^{a}: G *abundantia*. 4. *faed.* M^{a}. 5. *neronis* M^{a}. *Iecisset* M^{a}: correxit Lipsius. 6. *cesae publicae* M^{a}. *facem* M^{a}: *faces* G et alii. *subdere* M^{a}: facile correxit Rhenanus, ante quem erat *subditae*. 7. *statio* M^{a}, *tacio* G. 8. *gentis* M^{a}: G *genti*. 9. *Polyclitos* GM^{a}: *Polycletos* Rhenanus. 12. *gaIane aque* M^{a}: correxit Palmerius in Spicileg. ap. Gruterum in lamp. t. 4. 13. *pres.* M^{a}. 14. *noviens milliens* M^{a}: G *nouies milies*. 15. *crederetur* M^{a}: G *creditur*. 16. *uitellium* (in versus fine) M^{a}: *Vitelliumque* G et sic vulgo. 17. *asyaticos* M^{a}.

Cap. 95. *natalem Vitellii*: cf. Sueton. 3. *quod extructis — Neroni fecisset*: Sueton. Vitell. 11: *medio Martio campo, adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit.* Dio apud Xiphil. LXV 7, Suidas s. v. *Βιτέλλιος*. Neronis sepulcrum ex campo Martio prospiciebatur. Sueton. Ner. 50: *reliquias Ecloge et Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum.* Verbi modum *fecisset* Tacitus suspensum fecit ex cogitatione illorum qui maererent aut laetarentur.

ut Romulus Tatio regi: cum Annales conscripsit, aliter de origine Titiorum ei persuasum erat; cf. annot. ad I 54. *Polyclitos Patrobios:* vid. XIV 39. H. I 49 coll. c. 37.

et sumptu ganeaque: h. e. sumptuosa ganea (*theuere Schlemmerei*). Ganea eodem modo dicta quo III 52 *ventris et ganeae paratus.*

Othonem Vitellium passa: acerbitas animi Tacito crudam quandam imaginem suggerit: nam civitatem Romanam tamquam mise-

successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.

96 Prima Vitellio tertiae legionis defectio nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistulis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibus falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum, adseverabat, suppresso Vespasiani nomine, et vagis per urbem militibus qui sermones populi coërcerent. Id praeci-
97 puum alimentum famae erat. Auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, segniter et necessitatem dissimulans. Perinde legati provinciaeque cunctabantur, Hordeonius Flaccus suspectis iam Batavis anxius proprio bello, Vettius Bolanus nunquam satis quieta Britannia, et uterque ambigui. Neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi

4. *eplis* cum lin. M^a. 6. *mullius* M^a, *nullius* G et celeri: correxit Rhenanus. *interp̄tabantur* M^a. 9 *exaucto rato* M^a, *exauctaratos* G. 14. *brittaniaque* M^a. 15. *prouincieque* M^a. 17. *britt.* M^a.

ram mulierem, cui nefandi homines illudunt, pingit. Ceterum ἀσύνδετον Medicei commendatur et praegresso *Polyclitos Patrobios* et continuo subsequente; etiam eo quod inter Othonem et Vitellium, quantum ad prodigentiam et libidinem, nihil discriminis fuit.

inter Vinios Fabios, Icelos Asiaticos: duo hominum perditorum et principum intempestivo favore valentium paria componit ita, ut in utrumque unum ex Galbae, alterum ex Vitellii principatu admittat. De Vinio et Fabio cf. H. I 37 et 48; H. I 66, II 56, III 62; de Icelo et Asiatico H. I 13 et 33, et 37 et 46; H. II 57, IV 11. In prius par homines clari et nobiles, in alterum liberti congregati sunt. *Marcellus* qui mox nominatur est Eprius Marcellus. De huius sub Vespasiano potentia conf. O. c. 8.

Cap 96. *tertiae legionis defectio:* cf. H. II 74 et 85. *ceteris exercitibus constare fidem:* nummos tunc, ut videtur, cusos, cum inscriptione *fides exercituum* et *consensus exercituum*, publicavit Akermanus t. I p 178.

Cap. 97. *auxilia tamen — excivit:* subindicat Vitellium quamvis inertem aliud animo clausum, aliud verbis promptum habuisse.

Hordeonius — proprio bello: v. H. I 59, IV 12 et 18. *Vettius Bolanus:* v. H. II 65. Agr. 8 et 16. *uterque ambigui:* an hoc scribere ausus sit Tacitus, ambigi iure potest. Vera videtur scriptura editionis principis *utrique*.

nullo tum ibi consulari: Cluvius Rufus absens et ex urbe Hispa-

consulari: trium legionum legati, pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant. In Africa legio cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae, rursus iussu Vitellii militiam cepere. Simul cetera iuventus dabat impigre nomina. Quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: proinde socii de imperio utriusque coniectabant. Sed experimentum contra fuit. Ac primo Valerius Festus legatus studia provincialium 98
cum fide iuvit; mox nutabat, palam epistulis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens, et haec illave defensurus, prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias militum et centurionum quidam, ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum aut suomet astu occultati. Ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota, primum socordia Vitellii; dein Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. Tandem inru- 99

5. *inp.* Mª. 6. *faborabilem* Mª. 10. *eplis* cum lin. Mª. 12. *dephensi* Mª. 13. *retiam* Mª. 15. *suo mestatu* Mª: *suomet astu* A referente Ryckio et ex coniectura Ferrettus, ceteri *suomet statu*. 17. *dein* GMª, non *deinde*. 18. *etesi flabra aquilonis arum flatu* Mª: glossam interpositam delevit Rhenanus. 19. *inruptionē* Mª.

niam rexit; vid. H. II 65. *in Africa legio:* v. ad H. I 11.

famosum invisumque Vespasianus: Sueton. Vesp. 4 in diversa abit: *Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit.* Taciti Suetoniique conciliandi periculum ab Ernestio factum nihil est. De Vitellii proconsulatu consentit Suetonius in huius vita c. 5.

favorabilem: cf. annot. ad I 136.

Cap. 98. *Valerius Festus:* cf. H. IV 48.

in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat: Caes. B. Civ. III 107: *ipse enim necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi.* Etesiarum flatus incipit a die 20 mensis Iulii et durat quadraginta dies.

Cap. 99. *Caecinam ac Valentem expedire ad bellum iubet:* quod libri praebent *expediri*, hoc verum esset, si Tacitus dicere voluisset, Caecinam ac Valentem *paratos reddi* ad bellum iubet. Sic XV 10: *expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus — iussit.* Verum nunc Vitellius praesentes Caecinam et Valentem ad expeditionem suscipiendam hortatur, h. e. vult ut ipsi *expediant* sive expeditionem suscipiant, non ut expediantur. Nam expediuntur arma, expediuntur etiam milites et le-

ptione hostium, atrocibus undique nuntiis exterritus Caecinam ac Valentem expedire ad bellum iubet. Praemissus Caecina: Valentem e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis; lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi; impatiens solis pulveris tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens nimia fortunae indulgentia soluti in luxum: seu perfidiam meditanti infringere exercitus virtutem inter artes erat. Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis. Simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.

100 Caecina e complexu Vitellii multo cum honore digressus, partem equitum ad occupandam Cremonam praemisit. Mox vexilla quartae, quintae decimae et sextae decimae legionum,

2. *ac* GM[a]: *et* Lipsius. *expediri* GM[a]: correxit Acidalius. 3. *tum* GM[a]: *tunc* C. 7. *inp.* M[a]. *haebes* M[a]. 9. *metus*, sed corr. *v* M[a]. 10. *meditatio* M[a], *meditantis* A: correxit Rhenanus. *meditato* lac. Gronovius. 12. *sauini* M[a]. 15. *inp.* M[a]. 17. *Caecinae* M[a], unde *Caecina e* Orellius: *Cecina* G, *Caecina* editores priores. 19. *vexilla quartae, quintae decimae et sextae decimae* editor: M[a] *vexilla in quattuor decum XIII.*

giones a ducibus, sed expediunt duces et praepositi. Cf annot. ad H. I 10.

perfidiam meditanti: Medicei codicis vitium *meditatio* ex antiquiore scriptura *meditāti* ita nata est, ut scriba lineolam aut negligeret aut tempore evanidam non animadverteret, tum *meditati* non aptum esse ceteris sentiens in *meditatio* prave mutavit.

concussam Caecinae mentem: ut amplius non firma staret fides erga Vitellium. Sic *concussa fides* H. V 25.

simul odiorum — pararet: etiam haec pertinent ad illa clandestina colloquia, sed Tacitus ad orationem directam reversus est ob sermonis facilitatem.

Cap. 100. *vexilla quartae, quintae decimae et sextae decimae legionum:* initium faciam ab ea legione quae primo loco est, a *quarta.* Haec in M[a] *in* signata, quae vocula me iudice ex numeri nota *iv* traxit originem, eaque vexilla *quartae* legionis in hoc ipso exercitu Vitelliano H. III 22 memoratae recensuit. Sequitur in eodem libro *quattuor decum*, h. e. *quartae decime* leviter corruptum: sed legioni quartae decimae in Britanniam transmissae (H. II 66)

dein quinta et duoetvicesima secutae; postremo agmine unaetvicesima Rapax et prima Italica incessere, cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui quem ipse ductaverat, ut in itinere opperiretur: sic sibi cum Caecina convenisse; qui praesens eoque validior immutatum id consilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita accelerare legiones Cremonam; pars Hostiliam petere iussae; ipse Ravennam devertit, praetexto classem adloquendi. Mox Patavii secretum componendae proditionis quaesitum. Namque Lucilius Bassus post praefecturam alae Ravennati simul ac Mise-

1. *duoetvincesima* Ma. *unaetvicensima* Ma. 2. *uexillari Istrium* Ma: correxit Rhenanus. 3. *britt.* Ma. 6. *validior ramutatum* Ma: correctum inest G. *fincxit* Ma. 7. *adc.* Ma. 8. *cremona* Ma: G *cremonā*. 9. *praetexto* Ma: *praetextu* AG et Oxonienses. *palui* Ma: *pataui* G. 10. *nanque* Ma. 11. *blaessus* Ma: tacite emendavit Rhenanus. v. H. 3 12 et 36 et 40.

nullus nunc locus esse potest. Nomen *quartae* pro *quintae* provenit ex nota *q̄ntae*, h. e. *quintae*, perperam soluta per assimilandi aberrationem, cum *quartae* proxime praecessisset. Idem vitium H. III 23. Legio *quinta decima* in exercitu Vitellii H. III 22 refertur, eadem cum sextadecimanis proxime nominatis in isdem hibernis inferioris Germaniae tetendit (H. I 55), inde magnam partem a Valente, mox a Vitellio in Italiam abducta. Iam venimus ad legionem quae in Ma XIII designatur. Sed tertia decima nulla in partibus Vitellii, immo haec Pannoniam praesidebat et partibus Flavianis addicta erat (vid. H. II 86, III 1 et 7 et 21). Quaerenti quae legio suum locum obtinere debeat sese offert *sexta decima*, quae cum in hoc exercitu Vitellii H. III 22 compareat, nunc praeteriri nullo modo potuit. Conveniunt numeri notae: nam pro *xui* (h. e. XVI) scriba Medicei dedit XIII. Orellius monuit Taciti verbis H. III 22 scriptis ad haec emendanda non nimis fidendum esse, quippe qui illic professus sit *ordinem agminis — adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint* cet. Fallitur Orellius: non de legionibus Vitellianis apud Cremonam pugnantibus incertus erat dubiusve, sed de ordine quo proelium illi milites ingressi sint, nihil adseverare ausus est. Explicandum restat cur dixerit *vexilla legionum* quartae, quintae decimae et sextae decimae, non ipsas simplici nomine vocaverit. Quippe integrae legiones nonnisi *quattuor* a Vitellianis Romam perductae sunt (H. II 89), eaeque fuere *quinta* et *duoetvicesima*, *prima Italica* et *unetvicesima Rapax*, quae statim enumerantur. Ex quarta, prima Germanica, sexta decima et quinta decima legionibus magna pars electorum Valentem et Caecinam secuta erat, alios Vitellius secum traxerat: H. I 61, II 57 ibique annot. Qui igitur H. I 61 *inferioris exercitus electi* audiunt, iidem nunc *vexilla sextae decimae et quintae decimae* vocantur: nam ex reliquis *inferioris* exercitus legio-

nensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefectu-
ram praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfi-
dia ulciscebatur. Nec sciri potest traxeritne Caecinam, an (quod
evenit inter malos, ut et similes sint) eadem illos pravitas im-
101 pulerit. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo
monimenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amo-
rem rei publicae, corruptas in adulationem causas, tradidere.
Nobis, super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox
fidem, aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitel-
lium anteiretur, pervertisse ipsum videtur. Caecina legiones

1. *praefectura* M^a^. 4. *inp.* M^a^. 6. *monimenta* M^a^: G *monum.* *composuer* cum lin. M^a^, *composuerunt* G. 7. *rei.p.* M^a^. 8. *insitās* M^a^. 10. *anteirentur* M^a^: *anteiretur* C et corr G. *ipsum uitellium* GM^a^: glossam deleverunt AR. *videntur* GM^a^: *videtur* C.

nibus, *primam* dico et *quintam*, posterior tota in Italiam irruperat, *primae* autem electi urbanam militiam videntur plerique praeoptasse (H. II 94), ut hoc loco silentio praetermitti possent, quamquam H. III 22 et *primani* memorantur iidemque H. III 13 et 21 connumerantur. Hinc patet et quid sint *vexilla legionum* et cur ea h. l. nominentur. Quippe quotiens totius legionis robur et aquila non adest, sed singulae particulae sub vexillis suis congregatae, non aquilam secutae, vexilla legionum et sunt et vocantur; v. ann. ad I 38.

quem ipse ductaverat: aut ignoravit Tacitus aut nihil moratus est calumnias irridentium *exercitum ductare* apud Sall. Cat. 11 et 17 et 19, Iug. 42 et 73, de quibus Quintil. VIII 3 44.

Lucilius Bassus: nominatur in diplomate militari apud Gruterum p. 573 1.

Cap. 101. *scriptores temporum — composuerunt:* hi memorantur Vipstanus Messala, Cluvius, Plinius, Licinius Mucianus, Servilius Nonianus.

anteiretur — videtur: de uno Caecina esse sermonem e verbis *prodito Galba* (conf. H. I 53) ceterisque *aemulatione — anteiretur* (H. II 99 extr.) recte agnovit Ernestius. Bassus enim nihil proditionis adversus Galbam molitus erat aut commiserat, neque ut minoris dignitatis praepositus aemulationem aliorum timere poterat. Addo quo idem comprobatur. Scilicet causa cur Lucilius Bassus defecerit, ante (c. 100 extr.) luculente exposita est, neque ulla de ea dubitatio. Restabat explicandum quid Caecinam ad defectionem impulerit, idque scriptor ita executus est, ut primum corruptas in adulationem causas, tum veras afferret. Quo absoluto pergit narrare quid uterque, Caecina et Bassus, fecerint ad facinus animo conceptum perpetrandum. Non mirum igitur poni nomen *Caecina*, respondens subsequenti *Basso*, quamvis ante de causis cur Caecina defecerit, expositum esset. Sed hoc corrumpendae scripturae in M^a^ ansam dedit. De cuius *cura pacis et amore rei publicae* verba fiant, ut legentes recte acciperent, non tantum eo provisum est quod a capite 100 narratio praecipue de Caecina agit, Bassum quasi praeteriens respicit,

adsecutus centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae.

4. *Corneli taciti liber octavus decimus explicit Incipit nonus decimus* M[a].

sed eandem ob causam verba *prodito Galba* accesserunt.

recentis pro Othone militiae: v. H. I 87, II 14 et 28.

LIBER TERTIVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—35: Illyrici exercitus in Italiam irrumpunt, Vitellianos devincunt. Duces partium Flavianarum Poetovionem Pannoniae conveniunt, bellum decernunt, socios alliciunt, instinctore Antonio Primo (1—5). Cui vexillarios e cohortibus et partem equitum in Italiam rapienti comes Arrius Varus, strenuus bello. Laetis animis in Italia accipiuntur, tres cohortes Vitellianas opprimunt. Vulgata victoria legio septima Galbiana et tertiadecima Gemina Patavium alacres veniunt. Verona sedes belli destinata (6—8). Interim Caecina copiis validior per varias moras prima hostibus tempora prodit (9). Antonio adveniunt praeter septimam Claudianam tertia legio et octava. Seditio militum aegre coërcita ab Antonio, cuius auctoritas increvit, pulsis Pannoniae et Moesiae legatis consularibus (10—11). In partibus Vitellianis discordia exitiosior. Classis deficit, Caecina suas copias traditurus vincitur, ipsae Vitellio fidae Hostiliam, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae et unietvicesimae iungerentur (12—14). Iam Antonius discordes animis, discretos viribus aggredi statuit. Universo cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. Ibi proelium avidius quam cautius coeptum, mox Flavianis iniquum fortitudine et constantia Antonii restituitur; Vitelliani Cremonam repulsi (15—18). Quo successu ferox exercitus Flavianus Cremonam, quamvis instante nocte, expugnare deposcit, sed nuntio cohibetur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum qui Hostiliae egerat, modo advenisse, compertaque suorum clade ad pugnam accingi ac iam affore. Alterum proelium noctu commissum;

Vitelliani in fugam coniecti Cremonam se recipiunt (19—25). Quo cum venit Flavianus exercitus, novum immensumque opus occurrit. Castra et vallum oppido circumdata Othoniano bello a Germanico exercitu invadit Antonius cum milite praedae avido; post cruentam pugnam capiuntur (26—29). Sed nova laborum facies, ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, ingens copia militum, Cremonensis populus partibus Vitellianis obstrictus. Oppugnatione coepta languescere incipiunt Vitellianorum animi, urbs deditur, ab irrumpente milite non sine infamia Antonii incensa et direpta (30—35).

Cap. 36—63: Vitellii res in dies deterior, Vespasiano fortuna ubique secunda. In urbe Vitellius curis luxum obtendit, ad saevitiam inclinat; Publium Sabinum ob amicitiam cum Caecina vinciri iubet, Iunium Blaesum veneno tollit (36—39). Fabius Valens ad bellum profectus classem defecisse accepit, foeda cunctatione terens tempus. Pervadere ad exercitum non ausus in Umbriam flexit et Etruriam; hinc Narbonensem Galliam petiturus et delatus ad Stoechadas Massiliensium insulas capitur a Paulino Vespasiani amico (40—43). Iam cuncta ad victoris opes conversa, Hispania Galliaque, etiam Britannia (44—45). Per eosdem dies in Germania prope afflicta Romana res; mota etiam Dacorum gens et repressa a Muciano cum viribus Orientis illuc lato. Subita per Pontum arma movit Anicetus Polemonis libertus, mox victus et punitus a Virdio Gemino. Vespasianum cunctis super vota fluentibus laetum Cremonensis proelii nuntius in Aegypto assequitur. Alexandriam pergit (46—48). Primi Antonii post victoriam licentia; is cum parte exercitus movet ad Fanum Fortunae in Umbria, Apennini iugo a Vitellianis discretus (49—50). Rara ac nefaria audacia militis gregarii. Acrior apud maiores flagitiorum paenitentia. Inter duces obtrectatio, Antonius litteris ad Vespasianum missis de Muciano queritur (51—53). Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis stulte dissimulat. Notabilis constantia et fides Iulii Agrestis (54). Tandem e somno excitus Vitellius magnis copiis Iulium Priscum et Alfenum Varum obsidere Apenninum iubet; ceterae cohortes ad tuendam urbem Lucio Vitellio fratri datae. Ipse flagitante exercitu Mevaniam proficiscitur, ignarus belli, trepidus consilii. Taedio castrorum et audita classis Misenensis defectione Romam revertitur, (55—56). Classem ad fidem revocare studet, sed frustra (57). Igitur Lucium Vitellium fratrem ingruenti per Campaniam bello opposuit (58). Flaviani Apenninum transgressi sunt; duces partium Carsulas venere; milites indomiti ab Antonio mitigati (59—60). E cohortibus Vitellianis (ipsae Narniam se receperant) crebra transfugia, ceterae nutantes (61). Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Cuius caede visa in desperationem versi Vitelliani in partes Flavianas Narniae concesserunt (62—63).

Cap. 64—86: Vitellii postrema. Vitellius cum Flavio Sabino fratre Vespasiani de imperio deponendo paciscitur, tum palam de principatu decedens populi studio et furore militis praetoriani in Palatium

redire cogitur. Sabinus trepida suorum re arcem Capitolii insedit. Postero die praetoriani Capitolium irrumpunt. Templum Iovis clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit. Sabinus occiditur, corpus in Gemonias trahitur (64—75). *Isdem diebus Lucius Vitellius frater rem prospere in Campania gessit* (76—77). *Dum haec aguntur, Antonium et militem, qui Narnia digressi festos Saturni dies Ocriculi celebrabant, tristis nuntius de incenso Capitolio, occiso Sabino excivit. Flaviani tribus itineribus urbem ingressi tribus proeliis Vitellianos vincunt, principem pudenda latebra protractum et contumeliis oneratum iugulant* (78—85). *Mores Vitellii. Domitianus ad duces partium progressus Caesar consalutatur* (86).

Meliore fato fideque partium Flavianarum duces consilia 1
belli tractabant. Poetovionem in hiberna tertiae decimae legionis convenerant. Illic agitavere placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire comminus et certare pro Italia constantius foret. Quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum; et quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. Sed insessis interim Alpibus venturum cum copiis Orientis Mucianum. Superesse Vespasiano mare classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita salubri mora novas vires adfore et praesentibus nihil periturum. Ad 2

2. *Poetovionem* GM[a], non *Petov.* 5. *italiă* M[a]. 7. *famanque* M[a]. 8. *britt.* M[a]. 13. *uelud* M[a]. 14. *nichil* M[a].

Cap. 1. *meliore fato fideque — tractabant:* a Vitellianis ad Flavianos transgressus telam narrationis supra (H. II 86) omissam pertexere pergit. *Poetovio* (non *Petovio*) in M[a] oppidi nomen scribitur, etiam in titulis; v. Orellii Inscript. n. 3592; cf. Ind. hist.

obstrui Pannoniae Alpes: eas praesidiis a Pannonico exercitu insessas fuisse paulo ante (H. II 98) legimus. Itaque his verbis non deliberatum est placeretne novum quoddam moliri, sed an eo quod inchoaverant acquiescere interim vellent. Quod Pichena opinatur, adhuc tantum Pannoniae Alpes insessas fuisse, ne nuntii transire possent, non ut impetum facienti exercitui clausae essent, argutius quam verius coniectatum est.

constantius foret: h. e. maiorem constantiam sive in coeptis suis perseverantiam ostenderet. *Certare pro Italia*, h. e. ut Italia certaminis pretium esset.

ea Antonius Primus [is acerrimus belli concitator] festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam disseruit. Plus socordiae quam fiduciae accessisse victoribus. Neque enim in procinctu et castris habitos: per omnia Italiae municipia desides, tantum hospitibus metuendos; quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. Circo quoque ac theatris et amoenitate urbis emollitos, aut valetudinibus fessos. Sed addito spatio rediturum et his robur meditatione belli. Nec procul Germaniam, unde vires; Britanniam freto dirimi; iuxta Gallias Hispaniasque; utrimque viros equos tributa; ipsamque Italiam et opes urbis; ac si inferre arma ultro velint, duas classes vacuumque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? Quid tractum in aestatem aliam bellum? Unde interim pecuniam et commeatus? Quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicae legiones deceptae

1. *conciator* M[a], *concitator* BG et Oxonienses, *concionator* ACR. 9. *britt.* M[a]. 10. *utrimque* M[a] : *utrinque* G. 12. *illyricũnare* M[a]. 14. *inter in pec.* M[a]. 15. *pannonice* M[a]. *legionis* superscr. *e* M[a].

et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: dicunt octo milia militum, quos *e Britannico delectu sibi adiunxit* Vitellius, cum victoriae Bedriacensis nescius (H. II 57) in Italiam perrexit. Nam quibus opperiri placuit, hostium copias in universum et strictim enumerantes Germanicas legiones et Britannici exercitus robora extollebant. De Caecinae ex urbe profecti novo itinere tunc nihil iis compertum erat, neque de novis auxiliis e Britannia a Vitellio excitis (H. II 97) quidquam inaudiverant. Haec ob dubitationem Rupertii dicta sunt.

Cap. 2. *is acerrimus belli concitator:* est admonitio in margine aut supra versum, ut mihi videtur, olim ascripta et petita ex H. II 86: etenim eo additamento parum sollerter praemonetur, quod ex orationis argumento et habitu sponte perspicitur et legentibus ex praegressis (H. II 86) satis cognitum est. Neque Tacitus is erat qui socordiae vel oblivioni lectorum anxie consuleret aut moleste ingereret quod ipsi animadvertere possunt. Idem alias *concitores belli* dicit (IV 28. H. I 68, IV 56) et *acerrimus instinctor belli* H. IV 68, non *belli concitator*, et recte quidem: nam *concire bellum* est movere sive facere ut oriatur bellum: *concitari* bellum dicitur, ubi de festinando bello quod iam geritur loquuntur. In Medicei vitio *conciator* apertius latet *concitator*, quam ut *concitor* tuto reponere liceat: id fecit Orellius.

in procinctu: h. e. ferro accinctos et pugnam ingressuros; cf. Festus s. v. *procincta classis.*

meditatione belli: meditari et meditatio non solum de cogitatione dicitur sed etiam de exercitamentis rem agendam praegredientibus. Theodisce: *durch Einübung des Krieges.*

deceptae magis quam victae:

magis quam victae resurgere in ultionem properent, Moesici exercitus integras vires attulerint. Si numerus militum potius quam legionum putetur, plus hinc roboris, nihil libidinum; et profuisse disciplinae ipsum pudorem. Equites vero ne tum quidem victos, sed quamquam rebus adversis disiectam Vitellii aciem. 'Duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem: nunc sedecim alarum coniuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac superfundent oblitos proeliorum equites equosque. Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi expeditae cohortes sufficient. Iam reseratam Italiam, impulsas Vitellii res audietis. Iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.' Haec ac talia flagrans 3
oculis, truci voce, quo latius audiretur (etenim se centuriones et quidam militum consilio miscuerant), ita effudit ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri unum virum ducemque, spreta aliorum segnitia, laudibus ferrent.

3. *nichil* M[a]. 9. *suăosor* M[a]: G *suasor*. 12. *reserata militiam* M[a], *reserata militia* G: correxit Pichena. *inp.* M[a]. 13. *ac* M[a], *et* G. 16. *volgus* Or. *ceterŭ* M[a], *caeteri* G.

v. H. II 42. *putetur:* h. e. aestimetur, computetur; antique dictum. Suas legiones plenas, hostium accisas esse et ex nonnullis nonnisi electos pro ipsis legionibus adesse; v. annot. ad H. II 89 et 100. Itaque numero legionum Vitellianos, multitudine militum se praevalere.

equites vero ne tum quidem victos: v. H. II 41. *auctor consilii* est qui exequitur, ut A. 13 *auctor operis.* *quibus fortuna in integro est:* oblique meminit diversam suam fortunam olim tentatam et fractam; v. XIV 40, H. II 86.

expeditae cohortes: sunt cohortes sociorum; easdem copias c. 6 *vexillarios e cohortibus* accuratius definivit.

Cap. 3. *vulgus et ceteri: ceteri* sunt qui neque in vulgo neque inter cautos ac providos ante memoratos, v. c. centuriones et tribuni audaces et incauti.

tracturus interpretatione: 'dicta huc illuc trahuntur, non interpretatio. Cicero Acad. II 36: *quae disputationibus huc et illuc trahuntur.* Et ut idem in Bruto 41 dixit *rem obscuram interpretando explanare*, sic alibi *interpretando huc illuc trahere*'. Ernestius.

eoque gravior militibus erat: nunc aliter de his sentio atque olim, cum defendi scripturam *gratior*, immerito ob eam rem a Rupertio laudatus. Quippe *gravior* metaphorice positum ex praegressis *aperte descendisse in causam videbatur* ita pendet, ut inchoata metaphora continuetur et consummetur. Antonius aperte tamquam in *lancem* causae Flavianae *descenderat*, eoque gravior militibus erat, h. e. graviore pondere militibus videbatur (*und darum wog*

Hanc sui famam ea statim contione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistulis non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur, eoque gravior militibus erat,
4 culpae vel gloriae socius. Proxima Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. Is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Tamphilus Flavianus, natura ac senecta cunctantior, suspiciones militum inritabat, tamquam adfinitatis cum Vitellio meminisset; idemque quod coeptante legionum motu profugus dein sponte remeaverat, perfidiae locum quaesisse credebatur. Nam Flavianum omissa Pannonia ingressum Italiam, et discrimini exemptum, rerum novarum cupido legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie praetende-
5 retur. Ceterum ut transmittere in Italiam impune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Moesico ce-

2. *eplis* cum lin Ma. 3. *interptationẽ* Ma: correxit Acidalius. 4. *grauior* Ma: *gratior* BG et Oxonienses. 6. *inclimenter* Ma. 7. *tampius* Ma, *Tum pius* G. cf. ad H. 2 86. 8. *cunctatior* Ma, *contatior* pr G. 9. *idque* Ma: *isdenque* G. 10. *caept.* Ma. 16. *honestas* Ma. 17. *inpunẽ* Ma. 18. *aponio satium* et statim transilit ad c. 7 *revirescere* usque ad c. 9 *ut inimici* ac tum redit ad c. 5 *ninocum exercitũ Moesico celeraret.* ceteri codices in transpositionem conspirant, corruptiones cumulant: verum ordinem restituit Pichena, praeeuntibus aliquatenus Lipsio et Mercero.

er mehr in den Augen der Soldaten). Quae verba nove posita et per translationem expressa referunt maiorem apud animos militum vim et auctoritatem Antonii fuisse. Idem Antonius *paulatim levior viliorque haberi* coepit (H. IV 80 extr.), cum post res praeclare gestas ad Vespasianum profectus nimia arrogantia offensas provocavit. Ibi eadem metaphora, sed contraria sententia.

Cap. 4 *proxima — auctoritas:* v. H. II 86.

natura et senecta cunctantior: Medicei scriptura (*cunctďtior*) ex antiquiore *cunctătior* prodiit, lineola aut evanida aut neglecta a novo scriba. *Cunctatus* participii forma comparationem subire nequit, non magis quam *cunctate* Latine dicere licet pro *cunctanter.* Rursus ut a *cunctans* fit *cunctanter* (H. II 52), ita *cunctantior* vi nominis adiectivi conformari potest. Haec apud Tacitum diligentem scriptorem valebunt: utrum alii, ut Plinius et Suetonius (cf. Forcell. s. v. *cunctatus*), *cunctatior* admiserint, an illuc etiam a scribis invectum sit, non decerno.

Cap. 5. *Aponio Saturnino:* Pi-

(fidei commissa patientior – [illegible] trust) when they were trusted

leraret. Ac ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazugum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti. Plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, aut maiore ex diverso mercede ius fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos, et gens fidei commissa patientior. Posita in latus auxilia, infesta Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptae erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum

2. *principis* Mª. *Iazugum* Mª: *Lazugum* G. *paenes* Mª. 6. *trauutur in parte* Mª: *trahuntur in partis* G. 7. *sueborum* Mª. 8. *commissa* editor: Mª *commissior*, ABG et Oxonienses *commissae*, et sic vulgo. 9. *incorrupte* Mª.

chena vere intellexit *aponio satium*, ut in Mª legitur, esse *Aponio Satur*, cui *nino* in altera pagina ex monstro *ninocum* ita applicandum esset, ut fieret *Saturnino*. Ex *nino cum* in aliis codicibus facillima aberratione *innocū* vel *innocuum*, atque novum inde vitium *exercitum* pro *exercitu* in plerisque (etiam in Mª) natum est.

in commilitium adsciti: cf. I 60: *Chauci — in commilitium adsciti sunt.* Militaris locutio videtur fuisse.

plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant: vis equitum opposita est principibus paucis et singulis quibusdam gentis Iazugum, atque ἐπεξηγητικῶς additur ad *plebem quoque.* Iazuges enim solo equitatu, non pedite, valebant. Romanis principes sufficiebant, nómine commilitones, re ipsa pacis et quietis pignus obsidesque. Iazuges dicuntur qui in Dacia et orientem versus a Pannonia siti nonnisi flumine Danubio a provincia discreti agitabant. Cf. Plinius N. H. IV 25.

remissum id munus (*erlassen ward ihnen das Geschenk*): hoc cum nonnulla irrisione scriptoris dictum est de munere ab iis quibus offertur repudiato, sed benignis verbis non admisso et tamquam in beneficium offerentis non accepto. Cf. XI 3: *remittere beneficium Asiaticus ait;* III 55: *remissa aedilibus talis cura.*

ne inter discordias externa molirentur: externa quae a *domesticis* et *civilibus* Romanorum abhorrent. Itaque *externa moliri* idem est atque *hostilia agitare* (*auf Feindliches sinnen*). Cf. H. IV 32: *ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret.* XI 24: *adversus externa floruimus.*

maiore ex diverso mercede: cf H. II 75 *paratum ex diverso praemium.* Utroque loco per *diversum* partes Vitellianae denotantur Flavianis adversae.

trahuntur in partes Sido atque Italicus: non solum ipsi sed etiam delecti popularium, quod tum ex his verbis ad priora comparatis colligere licet, tum c. 21 disertim memoratur.

et gens fidei commissa patientior: gens fidei commissa, ut ego correxi, est gens Suevorum fidei Sidonis atque Italici a Romanis commissa; vid. XII 29 et 30, annot. ad XII 29, collato H 63. Hi Suevi illi sunt, quos Drusus Tiberii filius ultra Danubium inter

ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus. Nec his aut illis proelium temptantibus, fortuna partium alibi transacta.

6 Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello; quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. Idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus; unde infami gratia primum pilum adepto laeta ad praesens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus occupata Aquileia

2. *occupandās* M^a^. *rheni* GM^a^: correxit Rhenanus. 3. *missū nec is* M^a^: G *missus. Nec his.* 7. *prospere* M^a^. 10. *paratā* M^a^: *parta* G. 11. *uarius* M^a^.

Cusum et Marum locaverat. Eorum reges sub tutela Romanorum. *Patientior* per se constat, h. e. non tam effrenata libidine quam Iazuges. In Mediceo *commissa* assimilandi vitio abiit in *commissior* ob proximam vocem *patientior.*

Aeni fluminis: nomen quod nunc est *Inn* ex forma *Oenus* deducta et sic est in Antonini Itinerario.

Cap. 6. *vexillarios e cohortibus:* h. e. non integras cohortes sociales sed ex singulis cohortibus vexilla; cf. c. 2. *dux Corbulo et prosperae in Armenia res:* in Corbulonis exercitu praefectus cohortis (socialis) Varus fuit; vid. XIII 9.

idem secretis apud Neronem sermonibus — criminatus: hac de re Tacitus in ea Annalium parte nobis deperdita, qua caedem Corbulonis narravit, exposuit; de pernicie Vari in Historiarum libris perditis idem egit.

primum pilum adepto: ex cohorte in legionem (septimam Pannonicam, ut videtur) transgressus ibi primi pili ductor a Nerone factus est. De primipilo, h. e. primo legionis centurione, v. Veget. II 8.

laeta ad praesens male parta, mox in perniciem vertere: contraria sunt *laeta* atque *in perniciem. Male parta laeta* ad praesens fuere, quod Arrius Varus inter primores belli Flaviani duces fortunam partium feliciter sustentare et promovere operam dedit. Perniciem Varo partam esse per Domitiam Corbulonis filiam uxoremque Domitiani Ryckius suspicatur.

*sed Primus ac Varus occupata Aquileia proxima quaeque * * * et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur:* post *quaeque* aut verbum excidit aut integer versus, verbi causa *aggrediuntur* vel *coeptis suis non adversa offendunt.* Scriptura codicis A *in proxima quaeque* coniectura est ceteris male conveniens et a Gronovio, non apte comparato Virgilii versu (Aen. IV 214) *et dominum Aenean in regna recepit,* male defensa. Apertae interpolationis notam ostendit ac minime Tacitini coloris est quod in G et tribus Oxoniensibus legimus *occupantes Aquileiae proxima quaeque.* Neque Baiteri coniectura *per proxima quaeque* placere potest: nam sic *et* subsequens languet; id argumento est verbum proximo *accipiuntur* aut contrarium aut cognatum intercidisse.

proxima quaeque * * * et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur. Relictum Altini praesidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione eius audita. Inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. Illic cognitum tris Vitellianas cohortes et alam, cui Sebonianae nomen, ad Forum Alieni ponte iuncto consedisse. Placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. Luce prima inermos plerosque oppressere. Praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui se statim dederent. Plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt. Vulgata victoria [,principia belli secundum Flavianos], 7 duae legiones, septima Galbiana, tertia decima Gemina, cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti, et Minucius Iustus praefectus castrorum

1. hiatus signa sunt ab editore. *opitergi* M^a^: G *opitergii.* 2. *alpini* M^a^. *classis rauennatis* M^a^: *classem Rauenatem* G. 4. *aceste* GM^a^: correxit Beroaldus. *adiuncxere* M^a^. 5. *Allieni* A, *altini* G. 7. *inermos* M^a^: G *inermes.* 8. *oppresse* M^a^. 10. *abstuler* cum lin. M^a^, *abstulerunt* G. 11. *volg.* Or. *p̄rincipia* M^a^, *principia* G, ascripto *post* in margine. glossam seclusit editor. 12. *datae* GM^a^: *duae* Puteolanus. 13. *uideo* M^a^, *Iudeo* G, *Vidio* Puteolanus, *Vedio* tacite Rhenanus. 14. *municius* M^a^: correxit Lipsius, ante quem erat *Minutius,* ut in G.

ponte iuncto: cf. annot. ad I 49. Pons in Pado fluvio factus erat, qui ad Forum Alieni in duas partes dividitur.

Cap. 7. *principia belli secundum Flavianos:* seclusi haec tamquam *argumentum* eorum quae c. 6 *sed Primus ac Varus — abstulerunt* narrata sunt, ab aliena manu in margine collocatum et huc (post finem eius narrationis) a librariis ex sua sede in alienam ascitum, mea ratione secutus coniecturam ab Ernestio timidius neque satis constanter propositam. Quippe haec structuram verborum impediunt vitiosamque reddunt, ad rem plane otiosa sunt et inutilia, postremo *principia belli secundum Flavianos* pro *principia belli Flavianis secunda* magis correctorem extremae aetatis quam stilum Cornelianum sapiunt. Ut verba interposita ceteris quodammodo congruerent, correctores accessere: iis enim debetur quod in A et ab altera manu in G legitur *post principia.* Quod M^a^ *p̄rincipia* praebet, id casui vel correctoris conamini tribuere malim quam accipere pro *p̄ principia* (= *post principia*). Ipsam locutionem *principia belli* non ita vulgarem glossator ex II. II 11 recepit, ubi legimus: *laeta interim Othoni principia belli.*

cum Vedio Aquila legato: unus tertiae decimae Geminae legatus nominatur, quia *Antonius* septimae legatus cum parte copiarum praecesserat. Antonii vices in legione septima gessit aut tribunus aliquis aut praefectus castrorum, isque a

legionis septimae, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus militum irae ad Vespasianum missus est. Desiderata diu requies interpretatione gloriaque in maius accipitur, postquam Galbae imagines discordia temporum subversas in omnibus municipiis recoli iussit Antonius, decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes re-
8 virescere crederentur. Quaesitum inde quae sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia; quod per se parum (etenim modicae municipio vires) magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes iuvere; et interiectus exercitus Raetiam intra Iuliasque

3. *requies* editor: codices *res*. *gloriaque in* Iac. Gronovius: *gloriaeque* omisso *in* Mª, *gloriae in* G. 5. *municipis* Mª: G *municipiis*. *decorū̃s* Mª. 11. *Vicetia* Mª: BG *Vicentia*. 14. *uaeron.* Mª. *p̄tium* Mª. 15. *intertectus* Mª, *interceptus* BG et Oxonienses: correxit Lipsius ex Farnesiano et Vaticano. *Raetiam intra* editor: Mª *p̄tiam*, h. e. *praetiam*, BG *per rhetiam*.

legato dignitate proximus; cf. I 38, H. II 14 et 29, III 1.

adductius quam civili bello: v. annot. ad XII 7. *desiderata diu requies*: quod vitio describentium vulgo reperitur *desiderata diu res*, obscurum est et impeditum eoque ab interpretibus varie tractum neque iuste explicatum. Ipsa corruptio ex antiquiore scriptura *req̄es* orta est. Desideratam diu requiem ita interpretabantur ut dicerent, ideo moram placuisse ut recolendas Galbae imagines in omnibus municipiis victores curarent et providerent.

interpretatione gloriaque: cf. I 8 *sed iactantia gloriaque ad posteros*. Nomen *gloriatione* vitavit.

Cap. 8. *qua praevalebant*: v. cap. 2. *in rem famamque*: h. e. ut res (*Vortheil*) famaque pararetur; accusativus est qui cum praepositione rem effectam (*ein Resultat*) denotat.

possessa a *possīdo*, non *possĭdeo* descendere memineris. Est igitur *occupata*; cf. c. 59: *possessa Mevania*. *ipso transitu*: h. e. dum exercitus Flavianus a Patavio Veronam tendit eoque itinere Viceliam nihil repugnantem occupat.

Vicetia: de scriptura *Vicetia* et *Vicentia* bene expositum in Lexico Forcelliniano ab Furlanetto.

in Veronensibus pretium fuit: cf. annot. ad I 57.

et interiectus exercitus Raetiam intra Iuliasque Alpes: hoc alterum est quod Veronam exercitu translato Flaviani praeter exemplum et opes lucrati sunt, eoque post *iuvere* non punctum posui, sed mediam distinctionem. Conf. c. 53: *sua* (Antonii Primi) *constantia perruptas Alpes*, *occupatam Italiam*,

Alpes, ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsaepserat. Quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum expectarique Mucianum iubebat, adiciebatque imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistulis monebat, incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex distantibus terrarum spatiis consilia post res adferebantur. Igitur repentino incursu Antonius stationes 9
hostium inrupit, temptatisque levi proelio animis ex aequo discessum. Mox Caecina inter Hostiliam, vicum Veronensium, et paludes Tartari fluminis castra permuniit, tutus loco, cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. Quodsi adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae

1. *obseps.* Or. 6. *aegestate* Mª. 7. *eplis* cum lin. Mª. 10. *post res* G: Mª *p̄tres*, id est *post tres*. 12. *hostiam* Mª. 14. *cartari* Mª: G *tartari*.

intersaepta Germanorum Raetorumque auxilia. Restat vero longe gravius. Nam quod vulgo legunt *per Raetiam*, id neque satis praesidii a bonis libris habet, neque sententiae scriptoris respondet. Is enim tantum aberat ut hoc diceret, exercitum Flavianorum per Raetiam et Alpes Iulias interiectum fuisse, ut modo dilucidis verbis Veronae, h. e. in urbe cis Raetiam sita, fuisse nobis narraverit. Vitii sedes quaerenda est inter *Raetiam* et *Iulias*: ibi *intra* a Tacito positum ita periit, ut prior pars (*int*) a praecedente syllaba in *m* terminata, reliqua ab subsequente absorberetur, eoque tota vocula conficeretur. Interiectus autem exercitus intra Raetiam et Iulias Alpes est ita positus exercitus ut *ultra* vel trans ipsum Raetia sit et Iuliae Alpes, atque hoc ipsum de exercitu Veronensi verissime pronuntiatur. Ibi enim ad septentrionem converso in prospectu Raetia, item Iuliae sive Carnicae Alpes Raetiae ad dextram sitae. Quod sequitur *ac ne pervium illa* (parte) *Germanicis exercitibus foret, obsaepserat*, hoc non accipiendum est de praesidiis in Raetia dispositis (immo Flaviano exercitui curae debuit esse, ne numeros suos dispergeret), sed Verona valida colonia et loca circumiecta ab exercitu occupata Italiam ab exercitibus Germanicis tutam praestabant. Reliquum est ut praepositionis *intra* nomini postpositae exempla nonnulla ex ipso Tacito ascribam. III 75: *illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria*; paulo aliter ibid. 72: *tamquam* ⌐ *tanta vis unum intra damnum stetisset.* De voce a duabus partibus arrosa et confecta vid. annot. ad XII 31.

Aegyptus, claustra annonae: cf. II 59.

legiones, nondum coniuncto Moesico exercitu, potuere, aut retro actae deserta Italia turpem fugam conscivissent. Sed Caecina per varias moras prima hostibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistulis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit. Legioni tribunus Vipstanus Messala praeerat, claris maioribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistulas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. Simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces, omissa prioris fortunae defensione, pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici

3. *cecina* Mª. 4. *eplis* cum lin. Mª. 7. *uipsanius* Mª, *Vespesianus* pr G, corr G *Vipsanus:* correxit Ruperto auctore Ryckius. *Mesalla* nunc Mª. 10. *eplas* cum lin. Mª. 12. *volg.* Or.

Cap. 9. *turpem fugam conscivissent:* attende animum ad praepositionem verbi *conscivissent.* Nam hoc dicit rerum scriptor: *duae legiones* Flavianorum *retro actae* etiam ceteros exercitus (Moesicos et Dalmaticos) in turpem fugam coniecissent.

legioni tribunus Vipstanus Messala praeerat: ex ceteris legionis tribunis unum Messalam memorat ut virum clarum et insignem: nam Messala non solus sed cum quinque collegis legioni praeerat. Sic Horatius Serm. I 6 48 dicit olim sibi paruisse legionem Romanam tribuno, et recte dicit, si verba eius non exacte aestimentur. Taciti a igitur sententia haec est: postquam legatus legionis septimae Claudianae, Tettius Iulianus (II. II 85), profugerit, in tribunis eius legionis adeo Messalam prae ceteris excelluisse, ut ei legio tamquam duci pareret: vid. cap. 11 et 18. Sed ad ipsum legati legionis gradum Messalam non promotum esse illud argumento est quod etiam c. 18 *tribunus* vocatur, quodque H. IV 42 aetatem senatoriam ei defuisse narratur. De hoc viro cf. Ind. hist. Cognomenti formam *Messala* dedi secutus Mediceum priorem: alter consentit c. 11, sed in eodem h. l. et aliis *Messalla*, ut est in titulo apud Muratorium p. 722 4; cf. Marinius in Actis Arval. p. 28.

ut inimici praesumpsere: puto verum vidisse Freinshemium, cum *rescripsere* coniecit. Nam potestas quidem illa praepositionis *prae*, de qua loquuntur Ernestius et Waltherus, etiam mihi bene cognita est, sed quid *praesumpserint* duces Flaviani non adest neque suppleri ex adiunctis facile potest. Praeterea hoc Freinshemii rationi pronum me reddit, quod et *sumere* et *praesumere*, totiens a Tacito

praesumpsere, facta tribunis centurionibusque retinendi quae Vitellius indulsisset spe. Atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatae pro contione epistulae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim, tamquam insultantes Vitellio, scripsissent.

Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam 10
Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires et militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianae legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites vanam formidinem ut hostes fecere. Rapiuntur arma, et ut proditionis [auctorem] ira militum in Tamphilum Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed iam pridem invisus turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, la-

3. *eplae* cum lin. M[a]. 4. *sũmisisse* M[a]: G *submisse*. *uelud* M[a]. 5. *contempti* M[a], *contemptum* G: *contemptim* Puteolanus. 8. *dillius* M[a], non Furiae *dillus*. *apontanus* GM[a]: ex c. 11 tacite correxit Rhenanus. *octava* M[a]. 10. *galbiane* M[a]. 11. *uisi in* M[a]: *uisi* G. 12. *armã* M[a]. *auctorem* interposui secutus Lipsii suspicionem. 13. *T. Ampium* M[a]. cf. ad II. 2 86.

cum studio quodam posita, obiecto suo nunquam carent.

Cap. 10. *et ut proditionis auctorem ira militum in Tamphilum Flavianum incubuit: ut proditionis ira* idem esse ac *quasi ob proditionem ira* dicunt, auctore Gronovio maiore. Sed illi interpretes unum certe exemplum velim attulissent, quo probaretur dici Latine *ut proditionis ira militum*, pro eo quod est *militum ira quasi ob proditionem:* allatis enim exemplis, veluti *canum adulatio dominorum*, *fratris repulsa consulatus*, similibusque nihil ostenditur nisi *militum ira proditionis* dici Latine posse, sed incertum manet, num *proditionis ira militum* Latine dicatur, nedum *ut proditionis ira militum.* Tacitus genitivos ex aliis genitivis suspensos admisit, ut XII 26 *Britannici fortunae maeror*, H. III 75 *civium sanguinis parcum*, sed duplices genitivos ex eodem nomine diversa ratione pendentes nullos habet. Quibus pensitatis ad rationem a Lipsio praemonstratam reverti tutius visum est. Nomen *auctorem* per compendium *aorẽ* scriptum ante proximum *ira* absorberi facile potuit. Si quis *ut proditionis* glossam esse, in margine adversus vocem *ira* positam, existimare velit, ego non sequar: nam quod statim legimus, *nullo criminis argumento*, id huc respicit.

ora idem quod *vultum*, ut c. 31, non *fauces*, ut mire Rupertius inter-

cera veste, pectus atque ora singultu quatiens. Id ipsum apud infensos incitamentum erat, tamquam nimius pavor conscientiam argueret. Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret; fremitu et clamore ceteros aspernantur. Uni Antonio apertae militum aures: namque et facundia aderat mulcendique vulgum artes et auctoritas. Ubi crudescere seditio, et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, inici catenas Flaviano iubet. Sensit ludibrium miles, disiectisque qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius, stricto ferro, aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans; ut quemque notum et aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. Mox conversus ad signa et bellorum deos, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam inicerent orabat, donec fatisceret seditio et extremo iam die sua quisque in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus

4. *caept.* Ma. 5. *nanque* Ma. 6. *uulgum* Ma, non *uolg.* 11. *quenque* Ma. 12. *aspexerat auferendam* Ma : correctum inest G. 15. *fatiscere* GMa : *fatisceret* C et Rhenanus. 17. *discriminis* Ma : G *discrimini.*

pretatur. *ubi crudescere:* cf. annot. ad II 31 et H. III 31. *sensit ludibrium miles:* cf. H. I 45 et 58. *opposuit sinum:* veste circa brachium torta pro scuto usus est; cf. H. V 22. *ad signa et bellorum deos:* signis comprehenduntur et *vexilla* manipulorum et *aquilae* legionum, quarum quinque tunc aderant; *bellorum di* non ipsae aquilae fuere, sed his tamquam simulacris significabantur. Idem sibi volunt verba II 17: *sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.* *obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est:* Vespasianus Flavianum, qui ambigue et cunctanter egerat (H. III 4) ideoque rei gerendae parum aptus videbatur, ad se vocavit, quo factum ut ipse consilii et destinationis certus ad legiones Pannonicas sibi legato consulari demandatas non, ut ante fecerat, rediret, ac sic discrimini, h. e. discrimini belli a Flavianis gerendi adversus Vitellianos, eximeretur. Verba non obscura frustra explicare conantur Gronovius et Doederlinius. Ille: 'citius litterae, tum quibus accusabatur tum quibus excusabatur, ad Vespasianum pervenerunt, et utrisque perpensis princeps eum statim absolvit periculoque exemit, scriptis et ipse litteris quae Flaviano adhuc profectionem continuanti in via occurrerunt'. Doederlinius: 'Flavianus eadem nocte profectus est castris. Sed periculum erat ne ab infensis militibus ex itinere retraheretur' (id periculum nullum erat). 'At servatus est casu litteris Vespasiani, nescio

est. Legiones, velut tabe infectae, Aponium Saturninum 11 Moesici exercitus legatum eo atrocius adgrediuntur, quod non, ut prius, labore et opere fessae, sed medio diei exarserant, vulgatis epistulis quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. Ut olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium quam Flavianum ad supplicium deposcerent. Quippe Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes, et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt. Nec tam Primus et Aponianus et Messala, quamquam omni modo nisi, eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus. Mox omissis lictoribus Patavium concessit. Digressu consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis militum studiis. Nec deerant qui crederent utramque seditionem fraude Antonii coeptam, ut solus bello frueretur.

1. *uelud* M^a^. 4. *volg.* Or. *eplis* cum lin. M^a^. 5. *virtutes* (corr. *is*) M^a^. 6. *uolenter* GM^a^. 8. *legionis* superscr. *e* M^a^. 9. *uelud* M^a^. 10. *hortus* M^a^. 11. *Messala* GM^a^, non *Messalla.* 17. *militibus* M^a^: BG *militum.*

qua de re eadem nocte in castra allatis'.

Cap. 11. *velut tabe infectae:* cf. H. I 21. *Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes:* periclitatum exturbatumque Flavianum *Pannonicorum ultionem* Moesici vocabant. *cedentibus collegis:* ipse legioni septimae Galbianae legatus praeerat, sed ceterarum legionum legati vel duces quattuor ei tamquam legato consulari paruere. *obversis militum studiis:* Medicei mendum *militibus* assimilandi aberratione procreatum. Pichena suspicatur *militaribus*, ut est I 32 *militaribus odiis*, sed ingratissimum in quinque vocibus eundem exitum haud dubie stili variandi egregius amator vitavit.

Cap. 12. *Lucilius Bassus:* continuatur narratio H. II 100—101 inchoata. *in principia defectores coirent:* milites classiarii apud Ravennam castris degebant perinde atque legiones cohortesque, quae provincias castris stativis coërcebant. *Domus* (ein Palais) quae statim nominatur, urbis Ravennatis fuit. *trierarchi:* hi in classibus sunt qui tribuni centurionesque in legionibus, praefecti in cohortibus. In M^a^ *trierarchus* peccatum, quod scriba id nomen cum verbo *opperiebatur* falso iunxit. *classis Cornelium Fuscum* sqq.: haec cum antecedentibus non cohaerere nonnullis interpretibus visa sunt; et sane I. Fr. Gronovius Savilii de hoc loco dubitationes non

12 Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia, non suspicionibus vulgi sed perfidia ducum, turbabantur. Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius adgregaverat. Nox proditioni electa, ut ceteris ignaris soli in principia defectores coirent. Bassus pudore, seu metu quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt; et paucis resistentium obtruncatis ceterum vulgus rerum novarum studio in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet. Classis Cornelium Fuscum praefectum sibi destinat qui propere accucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Atriam pervectus, a praefecto alae Vivennio Rufino, praesidium illic agitante, vincitur. Sed exoluta statim vincula interventu Hormi Caesaris liberti: is quo-
13 que inter duces habebatur. At Caecina, defectione classis vulgata, primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munia dispersis, secreta castrorum adfectans in prin-

1. *quiete* M[a]. 2. *volgi* Or. 5. *provincie* M[a]. 8. *trierarchus* M[a]: G *trierarchi*. 10. *obūbratis* M[a]: G *obtruncatis*. 12. *tuscum* M[a], *tuschum* G: emendatum in Spir. et a Lipsio. 13. *adc.* M[a]. 14. *Atriam* M[a]: *hadriam* G. *pref.* M[a]. 15. *pres.* M[a]. 18. *volg.* Or. 19. *munia* editor: M[a] et ceteri *munera*. *secretorum* M[a]: *secreta* G et Oxonienses, *secretum* A.

satis luculente refutavit, ut nuper rursus a Walthero novae motae sint. Sed optime omnia cohaerent. Cum defectio pararetur, Lucilius Bassus adeo timidus trepidusque egit, ut milites nón iniuria ei sive diffiderent sive propter ignaviam succenserent. Itaque pro viro tam ambiguo praefectum sibi illum fecere, qui partibus Flavianis statim ab initio acerrimam facem praetulerat. Cf. II. II 86. Fuscus autem cupide militum in Bassum suspicionem fovit, ut molestum aemulum honesta specie posset amovere. Itaque Bassus honorata custodia Atriam, h e. trans Padum et propius ad exercitum Flavianum, missus est, ubi cum rumor de eius perfidia tempore spatioque atrocior factus esset, praefectus alae vinciendum eum curavit: sed exoluta sunt vincula a liberto Caesaris, quem rectius de Basso edoctum fuisse suspicari licet.

praefectus alae: haec ala ex illis fuit quas Antonius c. 2 meminit.

Cap. 13. *per militiae munia:* ut in Annalium opere semel adversus constantem usum Cornelianum, quo primo casu et quarto labores et officia *munia* nominavit, *munera* non nisi designandis

cipia vocat. Ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem; in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus qui conscii aderant, ceteros re nova attonitos in verba Vespasiani adigit. Simul Vitellii imagines dereptae, et missi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt. Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio, sine vulnere vinctas manus et capta traderent arma? Quas enim ex diverso legiones? Nempe victas. Et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque;

2. *transfugisset* M[a]: G *transfugisse*. *arte* M[a] (non *arce*): *arcto* G et Oxonienses. 6. *dereptae* M[a]: *direptae* G.

donis admisit, peccatum est, ut ostensum ad III 2, perinde hoc uno loco in Historiarum libris describentium culpa *munera* dicuntur officia, non *munia*, ut postulat consuetudo auctoris. Conf. in Historiis I 48 *militiae munia*, 62 *ducis munia*, 77 *munia imperii*, II 29 *belli munia*, 69 *eadem munia*, 92 *munia imperii*, III 20 *divisa inter exercitum ducesque munia*, 59 *belli munia*, IV 39 *munia magistratuum*, 49 *solita munia*, 68 *utraque munia*, 71 *munia pacis*, 86 *munia imperii*, V 14 *legionibus munia*, 21 *militiae munia*. Ad hanc normam in verbis supra positis correxi *munia*.

secreta castrorum: Medicei *secretorum* haud dubie ex assimilandi errore nata est scriptura. Verius igitur *secreta* quam *secretum* scribetur. De voce *adfectans* cf. annot. ad H. II 91.

atque omnia de Vitellio in deterius: verbum huic enuntiato conveniens, veluti *refert*, ex praegresso *extollit* petendum est: sed non bene *referri* vel *audiri* suppletur. De re etiam Iosephus B. Iud. IV 11 §. 2, Dio apud Xiphil. LXV 10.

in fama: similiter hoc dictum ut alias *in ambiguo*, *in incerto*, *in confesso* cet. *vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt:* vocis *cuncta* significatio ex antegressis perspicitur, scilicet *cuncta pectore adhuc clausa*.

vinctas manus: cogitant gregem venalium, quorum manus catenis vinctae sunt. *primanos:* dicunt primam classicorum legionem a Vitellio missam in Hispaniam; conf. H. II 43 et 67. De quartadecimanis v. H. II 43 et 66.

ut armatorum milia — darentur — id Basso, id Caecinae visum: non apte verba *ut — darentur* ab editoribus tamquam suspensa ex *quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque* commate separatis exhibentur. Meliorem distinctionem dedit Heinischius in tertio specimine *Annotationum in difficiliores Taciti locos*, verbis *octo nimirum — fore* in parenthesi collocatis. Ipse ad vindicandam structuram *ut darentur, id visum*, attulit ex Annalibus I 36: *placitum*

quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque. Ut armatorum milia, velut grex venalium, exuli Antonio donum darentur (octo nimirum legiones unius classis accessionem fore), id Basso, id Caecinae visum: postquam domos hortos opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre. Integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid
14 dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa?' Haec singuli, haec universi, ut quemque dolor impulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniciunt; Fabium Fabullum quintae legionis legatum et Cassium Longum praefectum castrorum duces deligunt; forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros et insontes, trucidant; relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae

5. *principis* M^a: G *principi.* *auferre litem. integros* M^a, *auferre. Licet integros* G. 7. *re poscentibus* M^a. 8. *quenque* M^a. *inpulerant* litt. *a* superscr. *t* M^a.

ut epistulae nomine principis scriberentur; III 60: *placitum ut mitterent civitates iura et legatos.* Adde XIII 56: *id dis quos inplorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.* In nonnullis codicibus, ut in G et Oxoniensibus, *ut tot armatorum* licenter interpolatum est.

exuli Antonio: exilium Antonii a Galba sublatum milites irati quasi non agnoscunt; de re dictum ad H. II 86.

octo nimirum legiones: milites octo numerant legiones, quamquam plenae legiones nonnisi quattuor, ex ceteris electi sive vexilla aderant; cf. H. II 89 et 100 cum annot. Eadem computandi ratio minus accurata, quam Tacitus ipse vitavit, sed in aliorum relatione admisit, recurrit c. 21 et 22.

etiam militibus principem auferre: sane scribere potuit auctor, quod interpretes non pauci praeoptavere, *etiam milites auferre:* sed quod ille scribere voluit melius est. Namque Bassus et Caecina, sic irati milites fremunt, cum Romae essent, domos hortos opes principi abstulerunt, nunc vero ab urbe remoti iidem in castris milites expilant, eo quod principem iis auferunt exulique Antonio tradunt. Post *auferre* quod additur *litem*, antiquae coniecturae *militem* pro *militibus principem* litterae residuae videntur esse.

quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa: *reposcentes* alii quidam quam ipsi Flaviani cogitandi sunt, verbi causa cives Romani aut commilitones ad ripam Rheni. *Prospera* intellige praemia pro defectione oblata, quae nulla esse milites fremunt, *adversa* dicunt ea quibus ad mutandam fidem compulsi essent, quae nulla fuisse iidem obiiciunt.

Cap. 14. *Cassium Longum praefectum castrorum:* a legato praefectus castrorum dignitate proximus fuit; vid. ad c. 7.

et unietvicesimae Rapaci iungerentur, quas Caecina ad obtinendam Cremonam cum parte equitum praemiserat.

Ubi haec comperta Antonio, discordes animis, discretos 15
viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et iunctis legionibus fiducia rediret. Namque Fabium Valentem profectum ab urbe acceleraturumque cognita Caecinae proditione coniectabat; et fidus Vitellio Fabius, nec militiae ignarus. Simul ingens Germanorum vis per Raetiam timebatur; et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset. Universo cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. Postero die legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missae, ut specie parandarum copiarum civili praeda miles imbueretur. Ipse cum quattuor milibus equitum ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur. Exploratores, ut mos est, longius curabant. Quinta ferme hora diei erat, cum ci- 16
tus eques adventare hostes, praegredi paucos, motum fremi-

1. *unietvicensimae* M^a. 6. *nanque* M^a. *adc.* M^a. 9. *britt.* M^a. 10. *inm.* M^a. 12. *secundi* M^a: G *secundis.* 14. *misse* M^a. 15. *inbuerentur* M^a, *imbueretur* G.

Cap. 15. *profectum ab urbe — coniectabat:* hoc vere Antonius coniectabat: nam profecto Caecina Vitellius *paucis diebus post* Fabium Valentem ad bellum compulerat: v. cap. 36. Sed eundem fefellit expectatio *acceleraturum* Valentem cognita Caecinae proditione: v. c. 40.

Germanorum vis per Raetiam: h. e. Germanorum auxilia a Rheno flumine in Italiam contendentia et per Raetiam irruptura; v. cap. 8.

Britannia — auxilia Vitellius acciverat: cf. H. II 97. *immensam belli luem:* multitudinem militiae externae, homines moribus saevos, cupidine et avaritia effrenatos perapte *belli luem* vocavit.

secundis a Verona castris Bedriacum venit: primis castris in agro Mantuano versatus videtur: via enim a Verona Mantuam ducit et inde Bedriacum, unde haud procul Cremona. *ad octavum a Bedriaco:* mox c. 18 *ad quartum a Cremona lapidem.* In Annalibus I 45: *sexagesimum apud lapidem hibernantium.* Antonius progressus est in via Postumia; cf. c. 21.

exploratores — longius curabant: longius quam ad octavum a Bedriaco lapidem Cremonam versus progressi conamina hostium observabant. Unus exploratorum *citus eques* erat, de quo c. 16 refertur.

Cap. 16. *et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat:* h.

tumque late audiri nuntiavit. Dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit, impulitque Vitellianos, modica caede: nam plurium accursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat. Nec sponte Antonii properatum, et fore quae acciderant rebatur. Hortatus suos ut magno animo capesserent pugnam, diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque eius reciperet; iussae armari legiones; datum per agros signum ut, qua cuique proximum, omissa praeda proelio occurreret. Pavidus interim Varus turbae suorum miscetur, intulitque formidinem. Pulsi cum sauciis integri suomet ipsi metu et angustiis viarum conflictabantur.

17 Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortissimi militis officium omisit. Occursare paventibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio manu voce insignis hosti, conspicuus suis. Eo postremo ardoris provectus est ut vexillarium fugientem hasta transverberaret. Mox raptum vexillum in

3. *inp.* M[a]. 4. *adc.* M[a]. 5. *fuge* M[a]. 10. *amissa* priori *a* superscr. *o* M[a]. *occurreret* M[a]: *occurrerent* G et Oxonienses. 12. *integrū suū et ipsi* M[a], *integri suo met ipsi* G. 15. *occursa* M[a]: G *occursare*. 16. *aliquo* M[a]: G *aliqua*.

e. qui paulo prius acerrime Vitellianos secuti sunt, iidem iam studiosissime in fugam se coniecerunt; *ultimus fugae* est is qui modum omnem in fugiendo excedit: conf. Agr. c. 2: *vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset.* Aliter interpretatur Doederlinius: 'Vitelliani' (scribere voluit *Flaviani*) 'quanquam fugati tamen paucos suorum amisere' (paucosne an multos amiserint Tacitus non indicavit), 'primum quod brevis erat eorum fuga, dein quod non dissoluta' (tam dissoluta erat ut etiam *integros* turbarent), 'ultimis fugientium virtute sua' (Tacitus nihil de virtute, immo de pavore extremo omnia habet) 'primorum terga tutantibus; postquam enim in fugam se converterunt, iidem ultimi esse coepere, qui antea in persequendo primi et acerrimi fuerant'. Similiter Walchius Emendat. Liv. p. 68 et qui subscribit Orellius.

sponte Antonii: cf. II 59 *sponte principis*, VI 31 *sponte Caesaris*, XIII 42 *sponte litigatoris*. *medio:* conf. ad I 53. *datur per agros signum:* signum datur cohortibus pabulatum vel praedatum missis in agrum Cremonensem.

Cap. 17. *ubi plurimus labor, unde aliqua spes, — insignis hosti, conspicuus suis:* ad membrum orationis *ubi plurimus labor* respicit *insignis hosti*, alteri *unde aliqua spes* respondet *conspicuus suis; manu* (*mit der Faust*) est contra-

hostem vertit. Quo pudore haud plures quam centum equites restitere. Iuvit locus, artiore illic via et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. Ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit. Firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos. Atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. Simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare capere, arma equosque abripere. Et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriae se miscebant. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum 18
signa Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum proelio illuc usque provecta. Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque adgredi hostem tantum per spatium cursu et pu-

2. *resistere* M^a^ : G *restitere.* 6. *illic* GM^a^: tacite correxit Rhenanus. 7. *periculsis* M^a^, *periculis* G: tacite correxit idem. 8. *arme. quosque* M^a^, *equos arma que* G. 9. *uictorie* M^a^. 12. *prouectas et* M^a^ : G *prouecta: Sed.*

rium eius quod *consilio* continetur. Conf. annot. ad II 17.

ea necessitas seu fortuna: necessitas ex loco fugientibus ut collecti resisterent, *fortuna* propter eventum. *atque illi consternantur: atque* particula posita in principio sententiae novum indicat et memorabile (*und da*).

Antonius instare perculsis, sternere obvios: hanc victoriae Bedriacensis partem Antonius in epistola ad Vespasianum missa posthac nominat *equestrem procellam* cap. 53. *spoliare capere:* contraria componuntur; hi caesos spoliaverunt, illi vivos ceperunt.

Cap. 18. *fulsere legionum signa:* aquilas legionum intellige, quas si ex auro factas memineris, *fulsere* proprie dictum esse agnosces, ut in Agricola c. 26: *et propinqua luce fulsere signa.*

forte victi: hoc accipiendum de ceteris exercitus Vitelliani militibus ab Antonio prostratis aut in fugam coniectis: nam ipsi adhuc integri erant. Hinc dicit *forte victi,* h. e. non sua ignavia sed clade suorum superati (*durch Zufall der besiegte Theil*). Doederlinius suspicatur *fortes victi*, Bernhardy *forte et vi tracti.*

quos militia e legionariis — aequabant: nutantem hostium aciem victor equitatus incursat, mox Messala citis ac levibus auxiliarium cohortibus assequitur, quos legionarii, non omnes sed qui ex toto exercitu celerrime advolaverant, quamquam raptim ductos aequo gradu et cursu secuti sunt, armorum gravitate non retenti, immo ad rapidum impetum victoriae laetitia prorumpentes. *Militia* idem quod *milites*, ut nobilitas pro nobilibus, iuventus pro iuvenibus, remigium pro remigibus, servitium pro servis. Conf. Drakenborchius ad Livium IV 26 3. Tacitus ipse H. II 94: *si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur; rursus bonis remanere inter legionarios — permissum.* Id nomen cum numero multitudinis (*aequabant*) per se poterat iungi, sed multo minus in

gnando fessum. Forte victi, haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intellegebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat; et Vipstanus Messala tribunus cum Moesicis auxiliaribus adsequitur, quos militia e legionariis quamquam raptim ductos aequabant. Ita mixtus pedes equesque rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem
19 ad resistendum animum dabant. Nec Antonius ultra institit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps proelii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque adflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. Utque cumulos super et recentia caede vestigia incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt. Haec in medio, pulchra dictu. Illa sibi quisque, posse coloniam plano

3. *equita* (in versus fine) *tatus* M[a]. *uipsanus Messalla* M[a]. 4. *militia e* editor: M[a] *militiae*, G *militiae gloria*. 5. *rapti* M[a]: G *raptim*. 9. *voln*. Or. 12. *accessere* superscr. *i* cum lin. M[a]. 15. *plano* M[a], non *plane*.

eo offensionis propter additum *e legionariis*. Nam *militia e legionariis* sunt legionarii, ita tamen ut non totus exercitus qui demum *inumbrante vespera* advenit (c. 19), sed singuli globi dicantur (*Legionarsoldaten*, non *die Legionarsoldaten*), quemadmodum c. 50 *e legionibus lecti*, H. IV 46 *e legionibus miles*. Sed vulgo scribitur foedo soloecismo *quos militiae legionariis – aequabant*, quod eodem modo corruptum, ut H. II 100 *Caecinae complexu* pro *Caecina e complexu*, H. III 55 *secutae classicis* pro *secuta e classicis*. Idem vitii genus in priore Mediceo et antiquiore III 42 *conscriptae treveris* pro *conscripta e Treviris*. Orellius vulgatam corruptam et sensu destitutam esse ultro fatetur, sed emendare mecum non audet; explicare tentarunt Waltherus et Doederlinius, hic: '*militiae*, h. e. expeditiones, ut IV 38' (intelligit H. IV 31, sed ibi legendum esse *militia sine adfectu* videbimus, neque alibi apud Tacitum militiae pro expeditionibus) '*militiae sine affectu*. Sensus est: auxiliares Moesici quanquam raptim vel citato agmine ex Moesia adducti ideoque fessi' (sic obscure Tacitus loquetur, neque fessi erant Moesici itinere Moesico, sed recreati satis, ut narratum c. 7), 'tamen militando adeo edurati erant, ut parem ac legionarius miles virtutem praestarent'.

Cap. 19. *universum Flaviani exercitus robur:* quinque legiones, ante nonnisi *militia e legionariis* proelio interfuerat; lege annotationem proxime superiorem.

cumulos super: cumuli quales fuerint addito *recentia caede vestigia* explicatur: quippe denotari voluit Tacitus cumulos hostium prostratorum.

coloniam plano sitam: plano

sitam impetu capi. Idem audaciae per tenebras inrumpentibus, et maiorem rapiendi licentiam. Quodsi lucem opperiantur, iam pacem, iam preces et pro labore ac vulneribus clementiam et gloriam, inania, laturos: sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore. Expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere. Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur. Tum Antonius 20 inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, non se decus neque pretium eripere tam bene meritis adfirmabat, sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire; duces providendo consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse. Ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse quae occurrant, noctem et ignotae situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. Non si pateant portae, nisi explorato, nisi die, intrandum. An oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis aequus

3. *p̄ces* M^a^. *voln.* Or. 4. *inani* (in versus fine) *nia* M^a^. 7. *quatiuntur* M^a^: G *quatiunt*. 10. *p̄tium* M^a^. *eripere anbene* M^a^: G *eripere tam bene*. 16. *occurunt* posteriori *u* superscr. *a* M^a^: G *occurrant*. *nocte* M^a^. 17. *cunctas* M^a^: utrumque correctum in G. *oportuna* GM^a^: Puteolanus *opportuna*. 18. *obp.* M^a^.

sitam est *die eben gelegene*, ut *plano* quasi localis adverbii vicem sustineat. Sic c. 38 *turrim vicino sitam;* cf. annot. ad I 53. H. V 23 *castraque in plano sita* sunt castra quae plano solo posita sunt (*auf ebenem Boden errichtet*). Non apte comparatur H. III 48 *Africam eodem latere sitam.*

clementiam et gloriam, inania, laturos: est praeclara imitatio hominum vitae genere a melioribus animi humani affectibus abhorrentium, lucri studio et rapiendi cupidini unice indulgentium. Theodisce: *sie würden Milde und Ruhm, dummes Zeug, davon tragen.*

praefectorum legatorumque: praefectos alarum et cohortium, legatos legionum dicunt: de praefectis castrorum milites non cogitant, sed diversae militiae duo ducum genera componunt.

Cap. 20. *divisa — munia:* cf. annot. ad III 2 et H. III 13.

duces providendo consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse: sic distinguenda sunt haec verba, ut cognatae notiones (*providendo consultando*) artissime iungantur, iisque respondeat pars orationis duabus contrariis notionibus composita et particula *quam* consociata (*cunctatione saepius quam temeritate*); cf. annot. ad XI 6.

pro virili portione: vitavit vul-

locus, quanta altitudo moenium, tormentisne et telis an operibus et vineis adgredienda urbs foret. Mox conversus ad singulos, num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent rogitabat. Et cum abnuerent, 'gladiisne' inquit 'et pilis perfringere ac subruere muros ullae manus possunt? Si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut vulgus inprovidum, inriti stabimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius, advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus!' Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum mittit, copias ceteraque usui
21 adlaturos. Id vero aegre tolerante milite prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa moenia vagos ex Cremonensibus corripiunt, quorum indicio noscitur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum qui Hostiliae egerat, eo ipso die triginta milia passuum emensum, comperta suorum clade in proelium accingi ac iam adfore. Is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit. Sistere tertiam decimam legionem in ipso viae Postumiae aggere iubet, cui iuncta

2. *vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum is) adgredienda* M[a]. unci et superscriptum verbum *vacat* a recentiore sunt manu; glossa deleta iam in G. 3. *dolabrasque* GM[a], *dolabras* B. 7. *volg.* Or. 10. *lixa scalonesque* M[a]. 13. incertum utrum in M[a] *ex* an *e:* G *ex*.

gari usu tritum *pro virili parte.* Agr. 45: *tamquam pro virili portione innocentiam principi donares.*

si — necesse fuerit: hoc *fuerit* a *fuero* descendit, non a *fuerim* (*wenn wir in den Fall gekommen sein werden uns mit Schutzdächern oder Flechtwerk zu decken*). *aliena munimenta:* vox *aliena* praecipua vi accessit: alii (adversarii) bene muniti erunt, nos intecti et nudi.

cum recentissimis equitum: qui recentissime advenerant, pugnae commissae expertes et integris viribus labori praescripto suffecturi.

Cap. 21. *sex Vitellianas legiones:* intelligunt dicuntque exploratores captique Cremonenses, non ipse Tacitus, legionem quintam ac duoetvicesimam, vexilla primae (Germanicae), quartae, quintaedecimae, sextaedecimae legionum. Cf. annot. ad H. II 100, III 13.

qui Hostiliae egerat: v. H. II 100, III 9 et 14 extr. *in ipso viae Postumiae aggere:* hac via Flaviani a Bedriaco Cremonam contenderant; viae Postumiae agger ipsa via est: nam via per campum ducta et munita aggeris formam praebet; c. 23: *Vitelliani tormenta in aggerem viae* (Postumiae) *contulerant.*

cui iuncta a laevo septima Galbiana: haec legio cum ea quae

a laevo septima Galbiana patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) praemunita; dextro octava per apertum limitem, mox tertia densis arbustis intersaepta. Hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat; praetorianum vexillum proximum tertianis, cohortes auxiliorum in cornibus; latera ac terga equite circumdata; Sido atque Italicus Suevi cum delectis popularium primori in acie versabantur.

22 At Vitellianus exercitus, cui adquiescere Cremonae et reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis impingitur. Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint quartam Macedonicam dextro suorum cornu, quintam et

1. *in alaevo* M^a: *a leuo* G. 3. *tertia decima* M^a et ceteri: *decima* expunxit Pichena. *intersepta* Or. 7. *suebi* M^a. 9. *adq.* M^a: *acq.* G. *recip.* M^a: *recup.* G. 12. *hara* M^a. 13. *inp.* M^a.

modo nominata est (tertia decima) Pannonicum exercitum efficiebat; cf. H. II 86, III 7. Itaque has legiones in illo proelio iunctas alloquitur Antonius mox c. 24. Hinc colligitur in legionem primo loco nominatam, h. e. in *tertiam decimam*, nullam cadere vitii suspicionem. *A laevo* est in partem meridionalem Italiae Etruriam versus et Romam: *dextro* ab aggere viae partem septentrionalem Raetiam versus denotat.

dextro octava per apertum limitem: apertus limes (*offener Feldweg*) appellatur, qui neque fossa praemunitus neque arbustis impeditus erat.

tertia densis arbustis intersaepta: in librorum scriptura *tertia decima* nomen *decima* ex *densis* *διττογραφίας* errore procreatum esse credo. Tertiam h. l. pro tertia decima recte a Pichena repositam esse duobus argumentis colligitur: primum enim post enumeratas legiones Pannonicas (tertiam decimam et septimam Galbianam) reliquae sunt tres Moesici exercitus legiones, *septima Claudiana, octava, tertia,* non *tertia decima;* v. H. II 85 cum annotatione. Accedit quod Antonius c. 24 post *tertianos* continuo *praetorianos* allocutus est: atque *praetorianum vexillum* proximum *tertianis* stetisse hoc nostro capite (21) mox narratur.

praetorianum vexillum: cf. H. II 67 et 82 extr., IV 46. *Sido atque Italicus Suevi cum delectis popularium:* conf. annot. ad H. III 5. *primori in acie:* duae partes aciesque cogitantur, prior legionariorum, posterior auxiliarium: sed nunc contra morem auxiliares Suevi primori in acie versabantur.

Cap. 22. *ratio fuit:* sic egissent, si praescriptum rationis secuti essent; cf. annot. ad I 57.

quamquam alii tradiderint: si-

quintam decumam cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoctvicesimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. Eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Proelium tota nocte varium anceps atrox; his, rursus illis exitiabile. Nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu iuvabant. Eadem utraque acie arma; crebris interrogationibus notum pugnae signum; permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat. Urguebatur maxime septima legio, nuper a Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quaedam signa: ipsam aquilam Atilius Verus primipili centurio multa cum hostium strage et ad extremum moriens
23 servaverat. Sustinuit labantem aciem Antonius accitis praetorianis. Qui ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein

1. *secundeque* Mª. *uicensimae* Mª. 2. *brittannicarum* Mª. 3. *duoetuicensimanosque* Mª. *cornũ* Mª. 5. *prelium* Mª. 6. *rursus* Mª, *rursus que* G. *exitiabiles* Mª: G *exitiabile*. 10. *urgueb.* Mª: *urgeb.* G. *a galba* G: Mª *ad gaba*. 14. *labentem* Mª: correctum in ABCR et G a man. sec. 15. *excipere* Mª: G *excepere*.

gnificat Plinium et Vipstanum Messalam, de quibus mox c. 25 et 28.

quartam Macedonicam dextro suorum cornu: omittit Tacitus *fuisse*, quemadmodum H. IV 77 in simili causa *fuerunt*. Cognomento *Macedonicam* ipse nunquam nominavit quartam legionem, sed nunc refert ab aliis tradita. *Dextrum cornu* Vitellianorum illud erat quod Etruriam versus et Romam spectabat quodque *laevo* Flavianorum oppositum erat. Hanc ob causam *suorum* a Tacito additum est, ut vere adversus Ernestii haesitationem monet Waltherus.

quintam et quintam decumam — mediam aciem: haec in via Postumia locum sibi delegit, ut patet ex prioribus. Enumerantur autem h. l. septem Germanicae legiones omnes, quamquam ex quattuor nonnisi vexilla aderant, de qua licentia monitum ad H. III 13, et praeter has Italica e Lugdunensibus abducta; v. H. I 55 et 61 et 64, II 57 et 89 et 100, III 13 et 21.

Rapaces atque Italici: milites duarum legionum quae modo a Flavianis victae erant. His verbis ad sua Tacitus regressus est, h. e. ad ea quae *asseverare* sive comperta tradere posset.

provisu: h. e. periculis providendis vitandisque. *pugnae signum* (*die Schlacht-Parole*)*:* conf. I 7 et H. I 25.

quaedam signa: vexilla dicit eisque aquilam totius legionis signum mox opponit. Primorum ordinum centuriones in legione triginta, totidemque secundorum. Ut primorum ordinum centuriones vexillis adstiterunt, sic primipili centurio aquilae praeerat, quamvis ipse aquilifer non esset; v. Veget. II 8.

pelluntur. Namque Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo et arbustis sine hostium noxa inlisa. Magnitudine eximia quintae decimae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat. Lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormento abscidissent. Statim confossi sunt, eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis aequior a tergo; hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso, ut in corpora, ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine collucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur. Igitur Antonius ubi noscere suos noscique poterat, 24
alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, cur rursum sumpsissent arma, Pan-

1. *nanque* M[a]. *uie* M[a]. 2. *disperso* M[a]: G *dispersa*. 4. *quartae decimae* M[a]: correxit Lipsius. *ballista* M[a]: *balista* G. 6. *strages* M[a]: G *strage*. 7. *tormento* editor: codices *tormentorum*. 13. *conl.* M[a]. 15. *laudes* M[a]: G *laude*. 16. *currari sumpsissent* M[a], *cur rari sumps.* G: *cur rursus sumps.* Ferrettus.

Cap. 23. *in aggerem viae*: h. e. in viam Postumiam alte ductam et munitam; v. ad c. 21. *ut tela vacuo atquo aperto excuterentur:* h. e. ut tela illuc excuterentur, ubi *vacuum* esset et *apertum*, i. e. nullis arbustis occupatum. Conf. annot. ad I 53.

arbustis sine hostium noxa inlisa: ante in tertianos densis arbustis intersaeptos tela direxerant: mox tormenta in aggerem viae collata locum legionis septimae Galbianae *patenti campo* (c. 21) situm et praetorianos qui eo proruperant telis infestarunt.

quintae decimae: quomodo pro *quintae* corruptum sit *quartae*, vitium a Lipsio veré correctum, exposui ad II. II 100.

tormento abscidissent: Lipsius *tormento tum* pro vulgato *tormentorum* legendum suadet, sed *tum* inane additamentum est. Waltherus et Doederlinius multitudinis numerum de una ingenti ballista acceperunt, repugnante usu sermonis Latini. Ipse olim non modo ballistam eximia magnitudine sed etiam alia tormenta in aggerem viae collata significata esse dixi, sed obstant verba *lateque cladem intulisset*, et de una tantum machina rettulit Dio Cassius LXV 14, Tacito consentiens. Quapropter reposui *tormento*; hoc me iudice in *tormentorum* mutatum est a scriba, quem numerus nominum *vincla ac libramenta* a vero seduxit. *Vincla ac libramenta* sunt vincula ad librandum.

luna surgens — falleretque: rem auget et diversa miscet (lege Annalium I 28) Dio LXV 11. Perinde luna alteris aequior, alteris adversa in pugna Pompei et Mithridatis (Plutarchus Pomp 32).

nonicas legiones interrogabat: illos esse campos in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent. Tum ad Moesicos conversus principes auctoresque belli ciebat: frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent. Haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens, ut sub Marco Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. Mox infensus praetorianis 'vos' inquit 'nisi vincitis, pagani, quis alius imperator, quae castra alia excipient? Illic signa armaque vestra sunt, et mors victis: nam ignominiam consumpsistis.' Undique clamor; et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere.

25 Vagus inde, an consilio ducis subditus rumor, advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse. Gradum inferunt quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve. Postquam impulsos sensit Antonius, denso

2. *recip.* Mª: *recup.* G. 4. *frustră inisset uerbis* Mª: correctum in G. 5. *tollerent* Mª: G *tolerent*. 7. *M.* Mª. 8. *infensus* Mª, *in fensus* G: *infensius* I. Fr. Gronovius. 11. *ignominia* Mª: G *ignominiă*. *undeque* Mª. 14. *exercitŭs* Mª: *exercitus* (in fine comp.) G. *infer* cum lin. Mª. 16. *quenque* Mª. 17. *duceretue* (versus initio) Mª ac ceteri: correxit Lipsius. *impulsos* Bipontini: codices *pulsos*.

Cap. 24. *pudore et probris:* h. e. pudore probris provocato.

cur rursum sumpsissent arma: scriba libri Medicei vocis *rursum* alteram syllabam ante proximam *sum-psissent* omisit, reliquiis *rur* in *rari* prave mutatis. *plura ad tertianos:* conf. H. II 85. *sub Marco Antonio Parthos — pepulissent:* Dio XLIX 20. Tacit. XV 26 et H. I 79.

infensus: de coniectura Gronoviana *infensius* recte monet Doederlinius: 'tertianos blande prorsus admonuerat, non *minus infense* quam praetorianos'.

pagani (ihr Bauernvolk!): paganos nominat dimissos a Vitellio agrisque (*honestae missionis lenimento*) donatos; v. H. II 67.

illic signa armaque vestra: demonstrat Antonius aciem Vitellianorum: nam praetoriani *arma* (et vexilla) *ad tribunos suos deferre* a Vitellio iussi erant (H. II 67), quae dehinc aliis in exercitu Vitelliano distributa sunt.

nam ignominiam consumpsistis: Theodisce *denn das Maass der Schande ist erschöpft.* Quamdiu crescere militum ignominia potest, spes vitae adest, atque gloriae damno multari noxii possunt: sed ignominia consumpta una mors reliqua est.

orientem solem — tertiani salutavere: tertiani in Syria sub Corbulone militaverant; cf. XV 6 et 26, H. II 74. De more Herodianus IV 15.

Cap. 25. *postquam impulsos sensit:* nondum *pulsi* sunt, h. e.

agmine obturbabat. Laxati ordines abrumpuntur; nec restitui quivere impedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores. Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaque auctore Vipstano Messala tradam. Iulius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, impubem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et vulnere stratum dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exanguem amplexus, voce flebili precabatur piatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus; et unum militem quotam civilium armorum partem? Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli execratio. Nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidatos spoliant; factum esse scelus loquuntur faciuntque.

Ut Cremonam venere, novum immensumque opus oc- 26
currit. Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremo-

2. *inp.* M^{a}. 3. *festinatione consectandi* M^{a}: G *consectandi festinatione.* 4. *cedes* M^{a}. 5. *uipsano* M^{a}: correctum a Ryckio. *Messalla* Or. 6. *inp.* M^{a}. 10. *p̄cabatur* M^{a}. *pIatos* M^{a}, sed in eo *I* a littera *l* distingui vix potest, unde Pichena tradit esse *platos*; ex correctione additum *ca*, unde *placatos* BG et Oxonienses. 11. *aversarentur* M^{a}: *aduersarentur* G et ceteri. 12. *attolere* M^{a}: G *attollere.* 13. *sup̄mo* M^{a}. 15. *seuissimi* M^{a}. 16. *trucidati* M^{a}: *trucidatos* G et alii. 19. *germa* (in versus fine) *cus* M^{a}.

in fugam coniecti, ut in codicibus scriptum, sed potius *impulsi*, id est gravi momento ad fugam inclinantes. Ipsum *impulsos* ex *ĭpulsos* pone *postquam* celeri pronuntiatione detruncatum est.

auctore Vipstano Messala tradam: belli civilis cuius ipse pars fuit (cf. c. 9) historiam vel commentarios a Vipstano scriptos esse et editos ex hoc loco et praecipue ex c. 28 satis certe consequitur: nam altero illo loco Vipstanus cum alio rerum scriptore, Gaio Plinio, componitur.

Rapaci legioni additus: proprie loquitur: nam legionarii cum civitate Romana fruerentur, miles socialis, qualis Mansuetus fuit, civium numero addebatur, cum inter legionarios reciperetur. Conf. annot. ad H. I 43.

precabatur piatos patris manes: hoc dictum est usu proleptico pro *precabatur patris manes piati sibi ut essent.*

Cap. 26. *moenibus Cremonensium castra sua — circumiecerat:* ut Cremonam sedem belli facerent Vitelliani ex Germania in Othonem

nensium castra sua, castris vallum circumiecerat, eaque munimenta rursus auxerat. Quorum aspectu haesere victores, incertis ducibus quid iuberent. Incipere oppugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo iuxta subsidio anceps. Sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur. Munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent. Quae super cuncta terrebat ipsorum miles periculi quam morae patientior: quippe ingrata quae tuta, ex temeritate spes; omnisque cae-
27 des et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur. Huc inclinavit Antonius, cingique vallum corona iussit. Primo sagittis saxisque eminus certabant, maiore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. Mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viae tertiani septimanique sumpsere, dexteriora valli octava ac septima Claudiana; tertiadecumanos

3. *obp.* M^a^. *fessos* M^a^: G *fesso*. 4. *exercitu* M^a^ (non *exercitum*). 5. *bedriaco* litt. *o* superscr. *ũ* M^a^. 7. *formidolosũs* M^a^. 8. *subite ruptione* M^a^, *subita irruptione* G. 10. *quipe* M^a^. *cedes* M^a^. 11. *voln.* Or. 14. *ballum* M^a^.

coorti, idem ipsi fecerant, quod non multo post Flaviani apud *Veronam* moliti sunt sed non ad finem perduxerunt; v. H. III 10.

eaque munimenta rursus auxerat: Theodisce convertas *und hatte diese Befestigungswerke zum zweitenmal vermehrt*: aucta enim munimenta intelligenda sunt ea quae Rapaces atque Italici, cum Cremonam rursus ingressi sunt (H. II 100, III 14), fecerunt. Itaque verba *Othoniano bello* pertinent nonnisi ad *moenibus Cremonensium — circumiecerat*, non etiam ad ea de quibus nunc sermo est.

munire castra: h. e. ponere castra munita. *quae super cuncta:* nova dicendi ratio pro *quae cuncta super* vel *super quae cuncta*.

Cap. 27. *mox vallum portasque legionibus attribuit:* qui eminus sagittis saxisque certabant, levis armaturae milites fuere; post hos legiones ad proxima valli portarumque successere. Duplex igitur adest oppositio, et primum quidem *vallum portasque* opposuit certamini cohortium ex longinquo, legiones autem eis qui sagittis saxisque pugnabant.

ut discretus labor fortes ignavosque distingueret: discretum laborem intellige singularum legionum; cf. H. IV 23: *quo discreta virtus manifestius spectaretur.*

proxima Bedriacensi viae — ad Brixianam portam: dimidiam partem totius oppidi designat: alteram enim Padus ab impetu oppugnantium tuebatur.

ad Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde morae, dum ex proximis agris ligones dolabras, et alii falces scalasque convectant. Tum elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Romanae utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exangues aut laceros prosternerent multa cum strage. Incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, ut 28
Messala tradit, an potior auctor sit Gaius Plinius qui Antonium incusat, haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua quamvis pessimo flagitio degeneravere. Non iam sanguis neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum quaterentque portas, innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes prensarent hostium tela brachiaque. Integri cum sauciis, semineces cum expirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. Acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen; 29

2. *ex* M^a : *e* G. *legiones* GM^a : tacite correxit Rhenanus. 4. *romane utrimque* M^a. 5. *fluuitantemque* M^a : G *fluitantem que*. 6. *concitisque* M^a. *compale* (superscr. *g*) M^a. 10. *Messalla* Or. *traditā* M^a : G *tradit*. *potiora* M^a : G *potior*. *G. plunius* M^a : *C. plinius* G. 11. *discreverit* (cum lineola super litt. *i*) M^a : *discreuerī* G. 13. *voln.* Or. 14. *inixi umeris* M^a : *inixi humeris* G. 15. *prensarent* GM^a : *prehensarent* Oxonienses. 16. *integris* M^a : G *integri*.

ligones dolabras, et alii falces scalasque convectant: conf. annot. ad XI 6. Falces dicit *murales* ad saxa murorum extrahenda et defensores pro moenibus prosternendos.

lanceis contisque scrutantur: nove et poetice dictum est *scrutantur* pro *ab omni parte pungunt.*

ni duces — Cremonam monstrassent: quid sit *Cremonam monstrare* ex adiunctis intelligitur: quippe hoc denotat urbem diripiendam tamquam laboris praemium ostendere. Non vallum et castra esse quae peterent sed urbem opulentam significabant. Cogita tibi flagitiosum nostri temporis ducem ad militem in simili causa haec dicentem et nutu non ambiguo proferentem: *sehet ihr, was hinter Wall und Graben liegt! Velut irritas* ex mente militum positum est, h. e. nihil utilitatis exhibentes. Quod statim sequitur *ingenium*, h. e. ingeniose repertum (*kluger Einfall*), ironice positum est: nam ad eiusmodi facinus patrandum non ingenio opus est, sed flagitio et impudentia.

Cap. 28. *Gaius Plinius:* cf. annot. ad XIII 20. De Messala dictum ad c. 25.

super iteratam testudinem: prior disiecta erat et prostrata, ut relatum c. 27.

et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent et superiacta tela testudine laberentur, ipsam postremo ballistam in subeuntes propulere, quae ut ad praesens disiecit obruitque quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. Simul iuncta turris ictibus saxorum cessit. Qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. Primum inrupisse Gaium Volusium tertiae legionis militem inter omnes auctores constat. Is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit. Ceteri trepidis iam Vitellianis seque e vallo praecipitantibus perrupere. Completur caede quantum

30 inter castra murosque vacui fuit. Ac rursus nova laborum facies, ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata; quod defensoribus auxilium

3. *ball.* M[a]: *bal.* G. 4. *disiecto bruitque* M[a]: *disiecit obruit que* G. 8. *G.* M[a]. 10. *resisterant* M[a], *resisterent* G: *restiterant* C et Bodl. Harl. 12. *prec.* M[a]. 13. *ac rursus* GM[a], *at rursus* C.

varia pereuntium forma et omni imagine mortium: comparantur Virgilii Aen. II 369 *ubique pavor et plurima mortis imago*, Thucydidis III 81 πᾶσα ἰδέα κατέστη θανάτου, 98 πᾶσα ἰδέα κατέστη τῆς φυγῆς.

Cap. 29. *obstinatos inter se:* cogita testudinem firmam et nulla parte fluitantem labantemve sustinentes.

superiacta tela testudine laberentur: forma *superiacta*, Sallustii exemplo et ex usu antiquo ascita, recurrit H. V 6. *Laberentur* pro *delaberentur* positum ob eam vim nudo ablativo consociari potuit. Comparavit Doederlinius Virgilii Aen. XI 588 *labere* (descende), *nympha, polo;* Georg. I 366 *videbis praecipites coelo labi.*

securibus gladiisque: gladiorum in perfringenda porta nullus usus, sed milites Vitelliani qui eam intus defenderent, fracta porta gladiis confodiendi erant, ut via in castra oppugnatoribus patefieret. Id breviter *securibus gladiisque perfringere portam* hic noster dixit. Ryckii amicus (Nic. Heinsius) corrigebat *dolabrisque.*

is in vallum egressus: per portam (Bedriacensem) Volusius in castra prorupit et ab interiore parte in vallum *egressus* est. *capta castra conclamavit:* id videtur fecisse ut potiretur corona castrensi sive vallari, militari praemio ob eiusmodi facinus tribui solito.

Cap. 30. *nova laborum facies:* confert Acidalius Virgilii Aen. VI 104: *non ulla laborum, o virgo, nova mi facies inopinave surgit.*

auxilium ob multitudinem; qui-

ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob praedam erat. Rapi ignes Antonius inferrique amoenissimis extra urbem aedificiis iubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. Propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa fortissimo quoque militum complet; illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant. Iam legiones in testudinem glomerabantur, et alii tela 31
saxaque incutiebant, cum languescere paulatim Vitellianorum animi. Ut quis ordine anteibat, cedere fortunae, ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia, omnisque ira victoris non in vulgus inops sed in tribunos centurionesque, ubi pretium caedis erat, reverteretur. Gregarius miles futuri socors et ignobilitate tutior perstabat. Vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur. Catenas Caecinae (nam etiam tum vinctus erat) exolvunt, orantque ut causae suae deprecator adsistat. Aspernantem tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes. Mox velamenta et infulas pro muris ostentant. Cum Antonius inhiberi tela iussisset, signa aquilasque extulere: maestum inermium agmen, deiectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victo-

1. *obp.* M[a]. 9. *ut quis* M[a], *et ut quisque* G et alii, *ut quisque* A. *anteibant* M[a]: G *anteibat.* 11. *inobs* M[a]. *p̄tium* M[a]. 13. *tututior* M[a]: G *tutior.* 14. *potuissent* M[a]: G *posuissent.* 16. *erant* M[a]: G *erat.* 17. *dep̄cator* M[a]. 18. *tū mentemque* M[a]: G *tumentem que.* 22. *circumstiterant* M[a]: *circumsteterant* corr G et alii.

bus opus erat ad moenia defendenda et quae desuper in oppugnatores libranda erant, tot manibus facile subministrari potuerunt.

propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa: nota synonyma *muros* et *moenia* parvo intervallo posita et subtili iudicio iuncta. Nam *muri* sunt qui urbem cingunt et separant, *moenia* autem tectis opponuntur, sive intus sunt tecta sive extra. *trabibus tegulisque:* has ex tectis in quibus locati sunt rapuere.

Cap. 31. *cum languescere:* cf. ad II 31.

primores castrorum: intellige praefectos castrorum et tribunos Vitellianos, qui castris expugnatis cum principiorum thesauris, h. e. imaginibus principis et aquilis signisque intra urbis moenia recesserant. Ibi tradituri urbem Vitellii nomen signis praescriptum et ima-

res, et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut praeberi ora contumeliis, et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio illos esse qui nuper Bedriaci victoriae temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis, dimota turba, consul incessit, exarsere victores: superbiam saevitiamque (adeo invisa scelera sunt), etiam perfidiam obiectabant. Obstitit Antonius, datisque defensoribus ad Vespasianum dimisit.

32 Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur; nec procul caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad contionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer, de Cremona in neutrum. Exercitus praeter insitam praedandi cupidinem vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit. Iuvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello credebantur; mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis inluserant. Auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad proelium progressae. Tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiorum opum specie complebat. Ceteri duces in obscuro:

3. *recordatio* M^{a}: *ratio* BG et alii. 6. *seuit.* M^{a}. 10. *p̄cibus* M^{a}. 18. *gladiatorum* (in versus fine) *rum* M^{a}. 20. *cesae* M^{a}. *praelium* M^{a}: *bellum* B. 21. *alioqui* M^{a}: G *alioquin*. 22. *maiorum* B: M^{a} *maiorem*, G et Bodl. *maiore*.

gines eiusdem amoliuntur. Conf. H. I 41, II 85, III 13 et 14.

velamenta et infulas: cf. ad H. I 66. *pro muris:* cf. ad II 80.

ut praeberi ora contumeliis, et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur: v. annot. ad II 31.

qui nuper Bedriaci victoriae temperassent: H. II 45. *Caecina — consul incessit:* cf. H. II 71, III 37, etiam IV 31 ubi edictum eius consulare memoratur.

etiam perfidiam (*sogar Treulosigkeit*): perfidia quamvis in praecipuis et iustis Caecinae criminibus esset, hanc tamen postremo loco et quasi haesitantes obiectabant, quod Caecinae proditio in ipsorum Flavianorum causam et utilitatem, in partes Vespasiani ab ipsis defensi vindicatique facta erat.

Cap. 32. *Othonis quoque bello:* cf. H. II 22 et 23, praecipue 70: *nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant* (honori Vitellii), *extructis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in*

Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. Is balineas abluendo cruori propere petit. Excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut incalescerent. Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tamquam signum incendendae Cremonae dedisset, quae iam flagrabat.
Quadraginta armatorum milia inrupere, calonum lixarumque 33
amplior numerus et in libidinem ac saevitiam corruptior. Non dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. Grandaevos senes, exacta aetate feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus ipsos postremo direptores in mutuam

2. *cruori* GM[a]: *cruore* Spirensis et Puteolanus. 3. *inalescerent* M[a], unde *inardescerent* G Harl. Ies.: correctum in Spir. 7. *seuit.* M[a]. 8. *cedibus* M[a]. 9. *grandeuos* M[a].

praesens mox perniciem ipsis fecere. De *tertiadecimanis amphitheatrum Cremonae struentibus* v. H. II 67 et 70.

statim futurum ut incalescerent: Antonius teporem balinearum, h. e. caloris defectum aquae ad lavandum datae incusans, ad ministros Cremonenses verba fecit *statim futurum ut* (ipsi) *incalescerent* (*sogleich werde ihnen eingeheizt werden*). Acumen dicti inest in contrariis, tepore aquae et calore Cremonensium: sed *vernile dictum* (*gemeines Witzwort*), h. e. dictum verna dignum, illud erat, quod in re tristi et saeva iocari ausus est. Idem omnem invidiam in eum vertit tamquam incendii auctorem: nam talia cito vulgantur, neque tempora iuste discernuntur; sed hoc Tacitus ipse non omisit et pro sua virili parte Antonium excusavit additis *quae iam flagrabat.* Quippe haec exponunt quo sensu Antonius vernile dictum protulerit. Alii, ut Burnoufius, Dübnerus, Orellius, *vernile dictum* accipiunt pro voce fortuita servi balneatoris, repugnante usu Latini sermonis et narrationis contextu.

Cap. 33. *calonum lixarumque:* cf. ad H. II 87. *non aetas protegebat:* aetas (*Jugend*) h. l., ut saepe apud poetas comicos, aetatem iuvenilem et vix maturam denotat. Opponuntur statim *grandaevi senes et exacta aetate feminae.*

stupra caedibus: caedes accipio stupra prohibentium: nam nimis dirum et vel ab illis hominibus alienum videtur, eos stupra in caesis cadaveribus tentasse, de quo cogitavit Doederlinius. *viles ad praedam:* viles erant militibus praedantibus, quod in his nulla explendae libidinis copia.

faces in manibus: ut saepe alias, *erant* supplendum, non *gerentes,* cuius suppressi nullum apud Tacitum exemplum.

in igne considerent: considunt, dum ignis circum grassatur. Aliud est *in ignem considere*, ut apud Virgilium Aen. II 624: *tum vero omne mihi visum considere in ignes Ilium,* h. e. ita considere ut omnia ignes essent. Non bene N. Heinsius *in ignem* Taciti verbis inferri voluit.

Mefitis: de hac tetri odoris dea Servius ad Aen. VII 84: *mefitis*

perniciem agebat. Dum pecuniam vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur; utque exercitu vario linguis moribus, cui cives socii externi interessent, diversae cupidines et aliud cuique fas nec quidquam inlicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. Cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mefitis templum stetit ante moenia, loco seu numine
34 defensum. Hic exitus Cremonae, anno ducentesimo octogesimo sexto a primordio sui. Condita erat Sempronio et

3. *obviā* Mª, *ob irā* G. 5. *uacuos* superscr. *a* Mª. *per lascivia* Mª. 8. *quidquam* Mª: *quicquam* G. *quadriduum cremonā* GMª: *quatriduum Cremona* Puteolanus. 10. *Mefitis* Mª: *mephitis* G. 11. *cremonā* GMª: correctum in CR et in A a sec. m. *ducentesimo octogesimo sexto* Mª: *CCLXXXVI.* G. 12. *suo* superscr. *i* Mª. *Sempronio* editor: GMª *T. Sempronio*, Lipsius *Ti. Sempronio*.

proprie est terrae putor, qui de aquis nascitur sulfuratis; et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum. Scripturam *Mefitis* a Mª exhibitam etiam titulus Cremonensis apud Orellium n. 1795 tuetur. Cf. Plin. N. H. II 7.

Cap. 34. *Sempronio et Cornelio consulibus:* quod in Mª et inde in ceteris codicibus *Sempronio* consuli *T.*, h. e. *Tito*, praepositum est, ea littera ex proxime superiore erat perperam repetita. Quippe Sempronius praenomine vocabatur *Tiberius*, non *Titus*, neque illud huic substituere licet, ut Lipsius fecit et vulgo fieri solet, cum alter consul simplice nomine *Cornelius*, non *Cornelius Scipio* vel *Publius Cornelius*, memoratus sit. Rhenanus quidem etiam huic praenominis notam addidit, sed tum ad concinnitatem efficiendam duabus coniecturis opus est, ut ante Sempronium praenominis nota *T.* mutetur in *Ti.*, ante Cornelium *P.* inseratur: lenius remedium est ut una littera, cuius origo in aperto, deleatur. Nam alterutrum necessario requiritur, ut ambo consules aut binis aut singulis nominibus appellentur. Singulis nominibus ut se contineret Tacitus, additum *ingruente in Italiam Annibale* fecit: eo enim tempus et consules tunc rei gerendae praepositi satis dilucide declarati sunt, neque opus pluribus nominibus. Conf. Agr. 44: *excessit* (Agricola) *Collega Priscoque consulibus;* O. 17: *Hirtio nempe et Pansa consulibus.* Bini consulum nomina ibi semper Tacitus posuit, ubi novi anni res gestas a consulum commemoratione inchoavit, de quo dictum ad XII 41: in consulibus extra rerum gestarum seriem nominatis modo bina dedit, modo singulis contentus fuit. De Cremona et Placentia coloniis a. 536 deductis conferendi praeter Tacitum Velleius I 14, Livius Epit. XX coll. XXI 25, Polybius III 40.

History of Cremona

Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Annibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, et si qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, adnexu connubiisque gentium adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit ne quis Cremonensem captivum detineret. Irritamque praedam militibus effecerat consensus Italiae, emptionem talium mancipiorum aspernantis. Occidi coepere. Quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur. Mox rediit Cremonam reliquus populus. Reposita fora templaque munificentia municipum; et Vespasianus hortabatur.

35 Ceterum adsidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. Ad tertium lapidem progressi vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt. Et victae legiones ne manente adhuc civili bello ambiguae agerent, per Illyricum dispersae. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque,

1. *P. Cornelio* tacite Rhenanus: codices *Cornelio*. *cons.* cum lin. M^{a}. *annibale* GM^{a}: *Hannibale* Puteolanus. 3. *rueret* M^{a}: *irrueret* G et Oxonienses. *oport.* M^{a}: G *opport.* 4. *ubere*] fuisse puto *ubertate.* *conubiisque* M^{a}. 6. *crebescente* Or. *invidiae dixit* M^{a}: correctum in G. 7. *captivom* M^{a}. 9. *aspernantes* M^{a}: G *aspernantis.* *caep.* M^{a}. 10. *redemptabantur* M^{a}: *redimebantur* BR. 11. *magnificentia* GM^{a}: corr. in R. 12. *adsideres epuliae* M^{a}: G *assidere sepultae.* 15. *quenque* M^{a}. 16. *ambiguae* M^{a}: *ambigue* G. *illiricum* M^{a}. 17. *brittaniam* M^{a}.

ubere agri: noti sunt loci Virgiliani (G. II 185 *fertilis ubere campus*, Aen. I 531 et III 164 *terra — potens armis atque ubere glebae*, VII 262 *divitis uber agri*), in quibus *uber* (οὖθαρ) pro *ubertate* legitur, neque Tacitus a vocibus et locutionibus Virgilii alienus est: verum enim vero nunc audaci metaphorae nullus est locus neque cetera ad eam apte conveniunt. Itaque coniecerim mediam syllabam (*tat*), ut tot aliis locis, omissam Tacitoque suam formam *ubertate* reddendam esse.

adnexu connubiisque gentium: vocem *adnexu* videtur elegisse ut vulgarem et iuris privati propriam *commercii* vitaret.

civilibus infelix: Bruti et Cassii partibus favens agro multatus est a triumviris. Conf. Virgilii Eclog. prima et nona cum annotationibus Servii et recentiorum interpretum.

munificentia municipum: h. e. muneribus a civibus ceterorum municipiorum coloniarumque liberaliter collatis.

Cap. 35. *ceterum adsidere sepultae urbis ruinis*: de civibus Cremonae modo relatum est: iam rerum scriptor ad exercitum Flavianorum transit. *Sepulta urbs* graviter dictum de urbe, cuius

in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur.

36 At Vitellius profecto Caecina, cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat. Non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere; sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat. Atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit. Nec multo post de Caecina adfertur mixtus gaudio dolor, et descivisse et ab exercitu vinctum. Plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit. Multa cum exultatione in urbem revectus, frequenti contione, pietatem militum laudibus cumu-

1. *alpinium* GM[a] : Puteolanus *Alpinum.* 4. *pres.* M[a]. 7. *inp.* M[a]. 9. *firmaret* M[a] : G *firmare.* *volgi* Or. 10. *suggerant* pr M[a], *nt* corr. in *s.* 13. *pertulit* priori *t* superscr. *c* M[a], *percülit* G, *pertulit* B.

aedificia omnia igne consumpta. *Adsidere ruinis* nihil est nisi apud ruinas morari ac nihil agere. Exquisitius aliquid inesse Pabstius opinatus est: quippe haec referenda esse ad morem sedendi lugendique ad sepulcra cognatorum; non assentior. Immo cur Flavianus exercitus, ad lugendum minime pronus, cito Cremonensem agrum reliquerit, eius rei causa his verbis explicatur.

noxia tabo humus: cf. annot. ad II 69. H. II 70 *infecta tabo humus.* *Alpinium Montanum:* ad hunc redit narratio H. IV 31.

Cap. 36. *at Vitellius — impulisset:* Vitellium urbemque Tacitus H. II 100 omisit, ad ea conversus quae post Caecinam Roma profectum in provinciis et apud exercitus, mox Cremonensi in agro acciderunt (H. II 101 — III 35). Iam redit unde digressus erat. *Impulisset* dictum est de monitis Vitellii, quibus tamquam momento Valens ad bellum impellitur.

curis luxum obtendebat (*liess die Geschäfte unter Ausschweifung ruhen*): curas bellicas cogitavit, ut liquet ex proximis; his quasi velum praetendit imperator. De verbo *obtendere* cf. ad H. II 14.

in nemore Aricino: id nemus Dianae sacrum et amoenitate celebratum ad XVI ab urbe lapidem; v. Liv. I 19 et 21. Dionys. II 60, Virg. VII 762, Iuv. III 12 sqq.

desidem et marcentem proditio — perculit: verbum *perculit* apte compositum est cum nominibus *desidem et marcentem.* Gravi impulsu et atroci facto, qualis proditio, opus erat ut eiusmodi inge-

lat. Publium Sabinum praetorii praefectum ob amicitiam Caecinae vinciri iubet, substituto in locum eius Alfeno Varo. Mox senatum composita in magnificentiam oratione adlocutus, 37
exquisitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Caecinam sententiae a Lucio Vitellio factum; dein ceteri composita indignatione, quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus tot honoribus cumulatus amicum prodidisset, velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio: errorem imprudentiamque exercituum culpantes, Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. Nec defuit qui unum consulatus diem (is enim in locum Caecinae supererat) magno cum inrisu tribuentis accipientisque eblandiretur. Pridie kalendas Novembris Rosius Regulus iniit eiuravitque. Adnotabant periti nunquam antea non abrogato magistratu neque lege lata alium subfectum. Nam consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus Gaio Caesare dictatore, cum belli civilis praemia festinarentur.

Nota per eos dies Iunii Blaesi mors et famosa fuit; de 38
qua sic accepimus. Gravi corporis morbo aeger Vitellius

1. *plubilium* M^a^. 5. *L.* M^a^. *cetera, a* mutato in *i* M^a^. 6. *cons.* cum lin. M^a^. *rem p.* M^a^. 13. *tribuentis* (non *tradentis*) M^a^. 14. *blandiretur* GM^a^: correxit Rhenanus. *pr.* cum lin. M^a^. *Kl.* cum lin. M^a^. *Novemb.* cum lin. M^a^. 16. *subf.* M^a^: *suff.* G. 17. *rebilus* GM^a^: tacite correxit Rhenanus. *G.* M^a^. *caesare* M^a^.

nium vehementius commoveretur. Rem narravit Tacitus H. III 12.

Publium Sabinum: v. H. II 92.

Alfeno Varo: cf. ad H. II 29.

Cap. 37. *composita indignatione* (*mit einstudirter Entrüstung*): hoc genus indignationis non verae sed praemeditatae opponitur *atroci sententiae* Lucii Vitellii, qui unus vere indignabatur iraeque stimulos minime cohibuit.

suum dolorem: dolorem ob privatas causas adversus Caecinam conceptum. Liv. VII 21: *curae privatae in certaminibus publicis erumpebant.* In Taciti tamen verbis *suum* non opponitur *rei publicae*, sed *Vitellio*: itaque *suum dolorem* indicant dolorem de suis in Caecinam offensis, non de Vitellii proditione prolatum.

cum inrisu tribuentis accipientisque: h. e. ut rideretur et qui tribuebat consulatus honores et qui accipiebat; est genitivus obiectivus quem vocant.

adnotabant periti: conf. ad XII 25. *Caninius Rebilus*: de hoc paucarum horarum consule suffecto an. 709 conf. Cic. ad Fam. VII 30, Plin. VII 54, Sueton. Caes. 76 et Ner. 15, Plutarchus Caes.

Servilianis hortis turrim vicino sitam collucere per noctem crebris luminibus animadvertit. Sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos, praecipuum honore Iunium Blaesum nuntiatur. Cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis. Nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent, quod aegro principe laetos dies ageret. Ubi asperatum Vitellium et posse Blaesum perverti satis patuit iis qui principum offensas acriter speculantur, datae Lucio Vitellio delationis partes. Ille infensus Blaeso aemulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium eius sinu complexus et genibus accidens. Causam confusionis quaerenti, non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse. Frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicae legiones, tot provinciae virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immensis spatiis arceat. In urbe ac sinu cavendum hostem, Iunios Antoniosque avos iactantem, qui se stirpe imperatoria, comem ac magnificum militibus ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque neglegens fovet aemulum principis labores e convivio prospe-

1. *clucere* cum lin. M^a, *collucere* G. 2. *cecinam* M^a. 6. *criminosiū* M^a. 9. *L.* M^a. 10. *emul.* M^a. 14. *p̄ces* M^a. 17. *inm.* M^a. 21. *neglegens* M^a: *negligens* G.

58, Dio XLIII 46, Macrob. Saturn. II 3, VII 3.

Cap. 38. *Iunii Blaesi:* conf. annot. ad H. I 59. *Servilianis hortis:* cf. ad XV 55. *turrim vicino sitam:* turris est domus alte educta (Palais). Sic *turris Antonia* H. V 11. *Caecinam Tuscum:* Neronis aevo in re publica iam cognitus; v. XIII 21.

cubiculum imperatoris reserat: similem scenam ac ludibrium principis timidi et iracundi nocturno tempore perpetratum v. XIII 20. Homo trepidus vel qui trepidum se simulat non per ministrum introducitur, sed ipse statim adit imperatorem.

Iunios Antoniosque: Iunia gente Blaesus Silanos attingebat cognatos Augusto; v. XIII 1, XV 35, XVI 8. *stirpe imperatoria: imperatoria* h. l. est principalis, et hoc respicit cognationem cum Antonio et Augusto, non quod pater eius *imperator* a legionibus salutatus est prisco erga duces honore, ut relatum III 74.

amicorum inimicorumque neglegens: incuriosus qui sint amici quique inimici. *labores:* hi sunt graves dolores morbi.

ctantem. Reddendam pro intempestiva laetitia maestam et
funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et
imperare, et si quid fato accidat, filium habere. Trepidanti 39
inter scelus metumque, ne dilata Blaesi mors maturam per-
niciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno
grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blaesum vi-
sendo. Quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se
(ipsa enim verba referam) pavisse oculos spectata inimici
morte iactavit. Blaeso, super claritatem natalium et elegan-
tiam morum, fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus a
Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus
ambitus abnuere perseveravit. Sanctus inturbidus, nullius re-
pentini honoris, adeo non principatus appetens, parum effu-
gerat ne dignus crederetur.

Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum 40
spadonumque agmine segnius quam ad bellum incedens, pro-
ditam a Lucilio Basso Ravennatem classem pernicibus nuntiis
accepit. Et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam
praevenire aut ante discrimen pugnae adsequi legiones po-

1. *reddenda* M^a^: G *reddendā*. 3. *imperaret* M^a^: G *imperare*. *quit* M^a^. 6. *crassari* M^a^: G *grassari*. *blesum* M^a^. 7. *seuis.* M^a^. 9. *bleso* M^a^. 10. M^a^ in margine ab eadem manu: *alii fides obstinata.* 11. *uitelliūs* M^a^. 18. *caeptum* M^a^.

Cap. 39. *dilata Blaesi mors:* v. annot. ad III 13. *maturam perniciem:* dicit perniciem cito imminentem sibi a Blaeso. *placuit veneno grassari:* Suetonius 14: *unum* (occidit) *veneno*, *manu sua porrecto in aquae frigidae potione, quam is adfectus febre poposcerat.* *nobili gaudio* (mit sichtlicher Freude): h. e. quod facile nosci posset. Lipsius coniecit *notabili.*

iam Vitellium aspernantibus: v. H. II 99. *sanctus inturbidus:* sic componenda sunt prioris enuntiati membra, quibus respondent alia duo per *adeo non* seiuncta: *nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens.*

Cap. 40. *Fabius interim Valens:* inde a c. 36 ipsius imperatoris inertiam et impotentiam, etiam amicorum eius flagitiosam protervitatem pinxit: iam succedunt quibus describitur is, cui summam belli Vitellius prae ceteris commendaverat. *molli concubinarum spadonumque agmine:* cf. H. I 66 et mox c. 41.

valida manu perumpere: cogitat eam Italiae oram Orientem versus sitam, quae classis Ravennatis militibus infestabatur. *Valida manus* opponitur praesenti solitudini.

dum media sequitur, nec ausus est satis nec providit: horum verborum explicationem Tacitus ca-

tuisset. Nec deerant qui monerent ut cum fidissimis per occultos tramites, vitata Ravenna, Hostiliam Cremonamve pergeret. Aliis placebat accitis ex urbe praetoriis cohortibus valida manu perrumpere. Ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit: mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media
41 sequitur, nec ausus est satis nec providit. Missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. Venere tres cohortes cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur. Aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant. Pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo metu, et paucis quos adversa non mutaverant comitantibus,

9. *brittannica* M^a^. 10. *paenetr.* M^a^. 17. *reuerentiă* M^a^: G *reuerentia.*

pite proximo ipse suppeditavit, interim accuratiorem narrationem paucis verbis praecipiens. *Media sequitur* Valens, dum neque valida manu Cremonam perrumpit, neque statim cum fidissimis per occultos tramites eodem approperat.

Cap. 41. *ala Britannica:* haec ex copiis Britannicis una Romae remanserat; v. H. II 100. Qui mox memorantur *equites*, ii non alii sunt atque hi alarii sociales ex Britannia asciti, cum Vitellius a Rheno in Italiam contendit.

hospitum domus: cf. annot. ad A. 21.

ruentis fortunae novissima libido: apte monet Pichena, 'qui diu frui non sperat, avidius fruitur'.

avidos periculorum: Faërni coniecturam *pavidos periculorum* probat Ernestius: id vero de Valentis militibus falso praedicari ex tota Taciti narratione liquet. Fides enim, non fortitudo et audacia, illis militibus defuit. Sed ipsum in quo offendit Ernestius post Faërnum, periculum ostendi, si a partibus Vitellii manerent, nullum aut leve, si ad victores transirent, acrius inspectum evanescit. Namque Valentis miles de victoria Flavianorum nihil dum audivit, atque ante eam victoriam Vitelliani Flavianos numero militum in Italia superabant. Sed nihilo minus milites qui cum Valente erant ad defectionem inclinabant ut avidi periculorum et dedecoris securi.

cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet: ipse flexit in Umbriam atque inde Etruriam, ubi cognito pugnae Cremonensis eventu non ignavum et, si provenisset, atrox consilium iniit, ut arreptis navibus in quamcumque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret. Digresso Valente 42
trepidos qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus, admoto exercitu et missis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumvenit. Occupantur plana Umbriae et qua Picenus ager Hadria adluitur. Omnisque Italia inter Vespasianum ac Vitellium Apennini iugis dividebatur. Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur. Haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur, monendo terruit; simul ceterorum fides metu infracta. Namque circumiectas civitates procurator Valerius Paulinus, strenuus militiae et Vespasiano ante fortunam ami-

3. *eventũ* M^{a}, G *euentus*. 4. *quamcũque* M^{a}. 5. *nerbonensis* M^{a}. 8. *proximas* M^{a}: G *proxima*. 9. *occupatur* M^{a}: G *occupantur*. 10. *alluitur* GM^{a}. 11. *appenninis* M^{a}, *apeninis* G, *apoenini* Puteolanus. 18. *inracta* M^{a}, *intacta* G: *infracta* Bodleianus et Pichena. *nanque* M^{a}. *ualerios* M^{a}.

Cap. 42. *e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur: e sinu Pisano* non arcte iungendum est cum verbo *depellitur*, sed idem denotat atque *e sinu Pisano profectus* vel *cursu e sinu Pisano coepto* (*aus der Richtung vom Pisanischen Meerbusen wird Valens nach dem Hafen des Hercules Monoecus seitwärts getrieben*). Quippe Valens ex Pisano sinu apertis spatiis per medium mare ad oram Galliae Narbonensis raptim vecturus erat: sed in eo cursu segnitia maris aut adversante vento coactus est, ut in dextro litore, ubi confinia Liguriae et Alpium maritimarum, appelleret. *Depelletur* aptum est alteri membro *adversante vento*, sed idem zeugmatis ope simul cum *segnitia maris* coniungitur. Quod in G et Oxoniensibus *saevitia maris*, correctorem sapit.

haud procul inde agebat: oppidum Nicaeam prope sitam designare Tacitus videtur.

procurator Valerius Paulinus: procurator Galliam Narbonensem Secundam Alpibus maritimis proximam provinciam tenebat: nam Forum Iulii huius provinciae colonia erat: v. II 63.

Cap. 43. *volentibus fuit:* est Graeca structura; conf. Agr. 18:

43 cus, in verba eius adegerat. Concitisque omnibus qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur, eo gravior auctor quod Paulino patria Forum Iulii et honos apud praetorianos, quorum quondam tribunus fuerat. Ipsique pagani favore municipali et futurae potentiae spe iuvare partes adnitebantur. Quae ubi paratu firma et aucta rumore apud varios Vitellianorum animos increbruere, Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus, ad naves regreditur; Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterum ut mare tutius Valenti quam litora aut urbes, ita futuri ambiguus, et magis quid vitaret quam cui fideret certus, adversa tempestate Stoechadas Massiliensium insulas adfertur. Ibi eum missae a Paulino Liburnicae oppressere.

44 Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliae cunctabantur. Et Britanniam olim inditus erga

1. *exauctor rati* Ma. 3. *claustrā* Ma. voci *maris* a recentissima manu superscr. *iam* in Ma. 4. *Iuli* Ma : *iulii* G. 7. *ubi* G : Ma *ui*. 8. *increbruere* Ma : *increbuere* Puteolanus. 9. *totidem* Ma : *totidemque* G et alii. 10. *maturae* Ma, *mature* G et alii : correctum in A et a Lipsio. 17. *hispania ad* Ma : G *hispaniā a*. 19. *britt.* Ma. *olim inditus* editor: Ma *inditus* (non *indictus*), G *inclytus*, Ernestius coniecit *insitus*.

quibus bellum volentibus erat. I 59: *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.* Sallustius Iug. 100: *uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset.* De cognata iunctura verborum dictum ad XV 36.

adversa tempestate Stoechadas Massiliensium insulas adfertur: Valens *procul a litore* ob Paulinum Flavianis partibus addictum vehi cupiebat: sed contra voluntatem idem prope ad provinciam Narbonensem Secundam, ubi Stoechades insulae, admotus est: hoc per *adfertur* Tacitus expressit. Frustra Ernestius coniecit *defertur*.

Cap. 44. *a prima Adiutrice legione:* haec ut pace mitesceret in Hispaniam missa erat; v. II. II 67. *olim inditus erga Vespasianum favor:* per se constat *erga Vespasianum favor*, h. e. favor Vespasiani apud militem Britannicum, ut *erga* pendeat e nomine *favor*, non ex *inditus:* nam *indere erga aliquem aliquid* Latine non dicitur. Iam *inditus* nude consistere nequit, sed hoc dicere narrator voluit, iam pridem illum favorem Bri-

Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant.

45 Ea discordia et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos, auctore Venutio, qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartimanduam reginam stimulis accendebatur. Cartimandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate; et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur. Inde opes et rerum secundarum luxus. Spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. Concussa statim flagitio domus. Pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginae et saevitia. Igitur Venutius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartimanduam adduxit. Tum petita a Romanis praesidia. Et cohortes alaeque nostrae, variis proeliis, exemere tamen periculo reginam. Regnum Venutio, bellum nobis relictum.

1. *fabor* Mª. *legionis* Mª: G *legioni.* 2. *prepositus* Mª. 5. *britt.* Mª. 6. *uenusio* GMª: *Venutio* ex 12 40 Oberlinus. 7. *incartismanduam* Mª: *in carthimanduam* G. cf. 12 36 et 40. 8. *Cartimandua* Mª: *Carthimandua* G. 10. *carataco* GMª. cf. 12 33. 11. *uenusio* GMª. 15. *uenusius* GMª. 16. *Cartimanduam* Mª: *carthimanduam* G. 19. *uenusio* GMª.

tannicis legionibus inditum esse, hoc est *olim inditus.* Voculae *olim* (*oli*) altera pars ab antecedente syllaba *am*, altera a succedente vocali absorpta est.

ceterarum: dicit nonam vicesimamque et quartamdecimam: v. II. II 66, III 22. Quartadecimani Vitellio quidem infensi erant, sed inde nondum consequitur eos Vespasiano favisse. Prae ceteris autem vicesimani tarde ad sacramentum adacti sunt; vid. Agr. c. 7.

Cap. 45. *postquam capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur:* advertas animum ad v. *videbatur* prudenter adiectum. Claudii enim triumphus iam actus erat, cum Caratacus captus et Romam adductus insigne novumque spectaculum populo Romano praebuit; v. XII 36 et 37. Sed magnifica scena et regia captivitas Claudiano triumpho supplementum et ornamentum circumdedisse videbatur.

in matrimonium regnumque: h. e. *ut maritus et rex esset. pro adultero libido reginae et saevitia:* quomodo *saevitia* reginae adulterum iuvare potuit et sustentare? Scilicet huic adversantes saevitia sua persequi et continere in obsequio Cartimandua studuit.

46 Turbata per eosdem dies Germania, et socordia ducum, seditione legionum, externa vi, perfidia sociali prope adflicta Romana res. Id bellum cum causis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. Mota et Dacorum gens nunquam fida, tunc sine metu abducto e Moesia exercitu. Sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta in vicem hostilia accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur. Iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent. Adfuit, ut saepe alias, fortuna populi Romani, quae Mucianum viresque Orientis illuc tulit; et quod Cremonae interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat.

47 Nec ceterae nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, mo-

1. *torbata* litt. *o* superscr. *v* Mª. 2. *seditione* Mª: *et sedit.* G; idem mox *et perfidia.* 3. *romanas* Mª: G *Romana.* 7. *hostiliā* Mª. 8. *danuuii* Mª: *danubii* G. cf. 2 63. 11. *utrimque* Mª: *utrinque* G. 12. *saepelias* Mª: G *saepe alias.* 13. *mucianunum* Mª. 16. *prep.* Mª. *copis* Mª. 20. *quodam* Mª: G *quondam.*

Cap. 46. *socordia ducum, seditione legionum, externa vi, perfidia sociali*: ex quattuor sermonis membris ἀσυνδέτως positis bina iungenda sunt, quorum altera domesticam culpam a ducibus et legionibus profectam, altera externam comprehendunt. *mox memorabimus*: H. IV 12 sqq.

Dacorum gens nunquam fida: hoc sibi quasi praecepit memor eorum quae in Domitiani Caesaris rebus de bellis cum Dacorum gente varia fortuna gestis mox narraturus erat. *utraque Danuvii ripa*: sua ripa sive sinistra ac Romana Moesicae provinciae sive dextra.

sextam legionem: haec Orientis legio (ei cognomen *Ferrata*) non confundenda cum sexta Hispanica cui nomen Victrici; cf. H. II 83 et Ind. hist. s. nom. *legio.*

ac ne — ingrueret: pendent haec a verbo *opposuisset*, et Muciani rationem denotant (*und damit nicht auswärtige Massen von beiden Seiten hereinbrächen*). Itaque verba *Cremonensis victoriae gnarus* causam continent cur Mucianus sextam legionem opponere Dacis *posset*, sequentia rationem explicant, qua

verat. Is fuit Anicetus Polemonis libertus, praepotens olim, et postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellii nomine adscitis gentibus quae Pontum accolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendae manus ductor, Trapezuntem vetusta fama civitatem, a Graecis in extremo Ponticae orae conditam, subitus inrupit. Caesa ibi cohors, regium auxilium olim; mox donati civitate Romana signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Graecorum retinebant. Classi quoque faces intulit, vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus. Camaras vocant, artis lateribus, latam alvum sine vinculo aeris aut ferri connexam; et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur, pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est. Advertit ea res Vespasiani animum, 48

1. *libertus prepotens libertus* M^a : alter *libertus* omissus in G. 3. *inp.* M^a. 4. *adc.* M^a. 5. *temnendae* GM^a : *tenendae* R et Ies. *vetusta* (in fine versus) *mama* M^a : correxit Lipsius. 6. *grecis* M^a. 9. *grec.* M^a. *classis* GM^a : correxit Rhenanus. 10. *lectissima* M^a : G *lectissimas*. 11. *mucianūs biz.* M^a. 12. *contempti* M^a : *contemptī* G et Oxonienses. *febricatis* M^a. 13. *latā alvom* M^a. 14. *conexā* M^a, *connexā* G. 16. *utrimque* M^a : *utrinque* G. 17. *appellare* M^a, *appellere* G. *incpositum* cum lin. M^a.

permotus id facere vellet cuperetque.

Cap. 47. *Anicetus Polemonis libertus:* Polemo eius Polemonis filius fuit, cuius mentio II 56 in rebus Tiberii Caesaris. Polemo II Nerone imperante decesserat, et tum regnum eius in formam provinciae redactum est; v. Sueton. Ner. 18. *Verterat* quod statim sequitur intellectu passivo accipiendum est.

haud temnendae manus ductor: temnendae verbi forma pro *contemnendae* a poetis sumpta; vid. Forcellinius s. v. Virgilius Aen. X 737 : *pars belli haud temnenda. Ductor* pro duce cum aliquo contemptu. *regium auxilium olim:* h. e. olim a rege conscripta cohors, quae in socialibus militibus Romanorum esset. *mox donati:* pro auxiliaribus legionarii facti sunt, pro hastis spathisque pila gladiosque accepere.

classi quoque faces intulit: classem recte intelligit Ernestius naves in portu Trapezuntio sine milite relictas : nam nonnisi *lectissimas Liburnicarum omnemque militem* Mucianus Byzantium adegerat (H. II 83). Waltherus *classis*

ut vexillarios e legionibus ducemque Virdium Geminum, spectatae militiae, deligeret. Ille incompositum et praedae cupidine vagum hostem adortus coëgit in naves; effectisque raptim Liburnicis adsequitur Anicetum in ostio fluminis Chobi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. Ac primo rex minis armisque supplicem tueri; postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur, fluxa, ut est barbaris, fide pactus Aniceti exitium perfugas tradidit, belloque servili finis impositus.

Laetum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus, Cremonensis proelii nuntius in Aegypto adsequitur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu urbem quoque externae opis indigam fame urgeret. Namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.

49 Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam

4. *cohibi* GM[a]. 9. *inp.* M[a]. 13. *urbem quoque* G: M[a] *urbemque.* *nanque* M[a]. 17. *hac* G: M[a] *ac.* *nutatione* M[a]: *mutatione* G.

faces (haec ille probat) per metaphoram dictas existimat, ut *classis faces inferre* idem sit quod *classe infestare.* Sed pauca ac rudia barbarorum navigia *classis* appellari non poterant, neque Aniceti paratus bellici sed raptus et incendia caedesque nunc memorantur: de navibus a barbaris raptim aedificatis mox demum refertur.

latam alvum sine vinculo aeris aut ferri conexam: converte Theodisce *einen breiten Bauch, ohne Verband von Erz oder Eisen zusammengefügt.* Scilicet contemptim narrator dicit illa navigia fere tota constare *alvo.* Ceterum *alvum* liberius pendet ex *vocant.* Similes naves II 6 et G. 44 describuntur.

Cap. 48. *vexillarios e legionibus:* aliquot vexilla militum legionariorum, non totam legionem aut plures legiones cum aquilis suis.

Chobi: Cobum nominat Plinius VI 4: *flumen Cobum e Caucaso per Suanos fluens; Χῶβον* Arrianus in peripl. Pont. Eux. In libris Tacitinis peregrinum nomen eo corruptum est, ut transposito *h* forma procuderetur accedens proxime ad verbum *cohibere. Chobus* supra Phasis ostia in Pontum influit.

namque et Africam: si Aegypti commeatus urbi externae opis indigae deessent, ex Africa provincia advehi copiae frumenti potuere; quapropter etiam hanc provinciam invadere Vespasianus parabat famem Romae molitus.

Cap. 49. *totius orbis nutatione:* cf. Plin. Paneg. 5: *cogi porro non*

agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili, seu felicitas in tali ingenio avaritiam superbiam, ceteraque occulta mala patefecit. Ut captam, Italiam persultare; ut suas, legiones colere; omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere. Utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat. Eo suffragio turbidissimus quisque delecti; nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur. Quae seditiosa, et corrumpendae disciplinae, mox in praedam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus; quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse. Ceterum propinqua hieme et humenti- **50**
bus Pado campis expeditum agmen incedere: signa aquilaeque victricium legionum, milites vulneribus aut aetate graves, plerique etiam integri, Veronae relicti; sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur. Undecima legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia quod defuisset. Sex milia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Pompeius Silvanus consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum legionis

4. *uim* GM[a] : tacite correxit Lipsius. 5. *inb.* M[a]. 9. *nichil* M[a]. 11. *umentibus* M[a]. 13. *voln.* Or. 16. *adiuncxerat* M[a]. 18. *dilectus* M[a].

poteras, nisi periculo patriae et nutatione rei publicae. Redit narratio unde digressa est c. 36.

viam sibi ad potentiam struere: struere valet *munire*, quod nos dicimus *bahnen.* Iam *via* ad potentiam et struitur et praemunitur sive praeparatur, sed vim struere ad potentiam, ut est in codicibus, Latine dici nemo facile demonstraverit. *Vim* ex compendio *viā* emersit. Conf. H. V 4 extr.

interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat: centuriones in proeliis occisos non ipse supplevit, sed militi gregario deligendos permisit.

mox in praedam vertebat: in praedam valet ut ipsi praeda inde fieret; *mox* mutationem rei ante factitatae producit. Nimirum ordines centurionum nomine tenus a militibus destinabantur, sed re vera in arbitrio Antonii erant, ut qui aspirare ad eam dignitatem vellent, hunc pecunia promptum sibi facerent.

quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse: Mucianus socium magis imperii quam ministrum agens eiusmodi superbiam severius quam princeps vindicare cupiebat. Conf. H. III 53, IV 11. Sed tamen nihil gravius passus est Antonius; v. ad H. IV 80.

Cap. 50. *cohortes alaeque et e legionibus lecti:* qui postremo nominantur, sunt vexillarii vel vexillares, h. e. singuli legionum globi et manipuli; cf. annot. ad I 38. *profligato iam bello:* v. ad H. II 4.

legatum. Is Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat, ad omniaque quae agenda forent quieta cum industria aderat. Ad has copias e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: classem Dalmatae supplevere. Exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant, et teneri praesidiis Apenninum rebantur. Et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen est) flagitantium. Nec pecuniam aut frumentum providerant; et festinatio atque aviditas prae-
51 pediebant, dum quae accipi poterant rapiuntur. Celeberrimos auctores habeo tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat. Distulerant tamquam maiora meritum quam quae statim exolverentur; nec quidquam ultra traditur. Ce-

2. *ad* deest GM[a], adest apud Puteolanum; editio Spirensis *ad omnia*. 3. *copia se classicis* M[a]. 5. *supplevere* M[a], *supplere* B et pr G. 7. *cunctates* M[a], *contantes* pr G, *cunt.* corr G. 8. *presidiis appenninum* M[a], *praesidiis apeninum* G. *legione* GM[a]: correxit Lipsius. 11. *prep.* M[a]. 14. *gregarios* litt. *o superscr. v* M[a]. 17. *quanquā* M[a] et G (per comp.): *quam quae* Puteolanus. 18. *quidquam* M[a]: *quicquam* G.

undecima legio: miles provinciae Dalmaticae quam tenebat Pompeius Silvanus: H. II 11 et 67 coll. c. 86. *sex milia Dalmatarum:* intellige cohortes leves sive sociales. *Pompeius Silvanus:* H. II 86.

clavarium: 'quod praetextum et originem habuit quasi ad militares clavos, de quibus res iam nota. Simili forma *unguentarium* Plinius dixit Ep. II 11: *praeterea acceperat sestertium decem milia, foedissimo quidem titulo, nomine unguentarii,* donationem scilicet a provincialibus factam in legatum' (immo in proconsulem Africae) 'ad unguenta. Sic in Suetonii Vespas. 8 *classiarii petunt constitui aliquid sibi calcearii nomine*'. Lipsius. Verba *donativi nomen est* tamquam aliena suspecta fuere Castalioni Observ. dec. II 5, approbante Ernestio. Sed ut ipsa militia legionaria plerisque Romanorum tunc res insolita facta erat, ita eiusmodi admonitio non absurde proferri poterat.

providerant: h. e. apparaverant vel curaverant ut adesset.

et festinatio atque aviditas praepediebant: haec ad excusandos quodammodo duces adduntur: festinatio enim et aviditas militis intelligitur.

Cap. 51. *adversus fas nefasque*

terum et prioribus civium bellis par scelus inciderat. Nam proelio quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat. Tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis paenitentia fuit. Sed haec aliaque ex vetere memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solatia mali poscet, haud absurde memorabimus. Antonio ducibusque partium praemitti equites 52
omnemque Umbriam explorari placuit, si qua Apennini iuga clementius adirentur; acciri aquilas signaque et quidquid Veronae militum foret, Padumque et mare commeatibus compleri. Erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius, et certiora ex Muciano sperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius, et ni praesens urbe poteretur, expertem se belli gloriaeque ratus, ad Primum et Varum media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens, atque ita compositus ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret. Plotium Griphum nuper a Vespasiano in senatorium ordinem adscitum

2. *aput* M^a. 4. *sisennā* M^a: G *sisenna.* *aput* M^a. 6. *vetere* GM^a, non *veteri.* 7. *solacia* M^a. 9. *umbriam* an *cimbriam* in pr M^a, distingui non potest, superscriptum est *u.* *appennini* (non *appenini*) M^a, *apenini* G. 10. *quidquid* GM^a, non *quicquid.* 13. *nanque* M^a. 14. *pres.* M^a. 15. *potiretur* vulgo: M ubique, M^a plerumque offert *poteretur.* 16. *caeptis* M^a. 17. *ex ventu* M^a: G *ex euentu.* 19. *adscitum* editor: codices *additum.*

inreverentiam: h. e. adversus id quod divinis legibus aut permissum est aut non licet. Celeberrimos auctores paulo ante memoratos Messalam et Plinium esse putaverim.

Pompeianus miles: res accidit a. 667; cf. Livii Epitoma 79. Valerius Max. V 5 4. Orosius V 19.

ut Sisenna memorat: in libris *Historiarum* sive *Rerum Romanarum* L. Cornelius Sisenna id memoravit. De Sisenna v. Velleius II 9, Cicero de Legibus I 2 et in Bruto 64, Sallustius Iug. 100. Conf. C. L. Rothii *L. Cornelii Sisennae vita.* Basil. 1834.

Cap. 52. *nimius iam Antonius, et certiora ex Muciano sperabantur:* nonnulli ex ducibus moras nectebant duabus de causis, quod Antonium increscere ac nimium fieri nolebant, et quod certiora ex Muciano mandata mox ventura sperabant: nam adhuc *media* et ambigua scriptitaverat. Falso Ernestius: 'spem maiorem praemiorum habebant in Muciano, maioris virtutis, dignitatis et gratiae apud Vespasianum viro'.

ac legioni praepositum, ceterosque sibi fidos apertius monuit. Hique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere. Quibus epistulis Vespasiano missis effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque eius
53 aestimarentur. Aegre id pati Antonius, et culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus eviluissent pericula sua. Nec sermonibus temperabat, immodicus lingua et obsequii insolens. Litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse; suis stimulis excitos Moesiae duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersaepta Germanorum Raetorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis. Casum Cremonae bello imputandum: maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse. Non se nuntiis neque epistulis, sed manu et armis imperatori suo militare. Neque officere gloriae eorum qui alia interim composuerint. Illis

2. *hique* GM^a^, non *iique*. 3. *eplis* cum lin. M^a^. 6. *eviluissent* (non *eviluissint*) M^a^. 7. *inm.* M^a^. 8. *littera* M^a^: G *litteras*. 12. *intersepta* (M^a^), *intercepta* G. 15. *bellū* correctum in *o* M^a^. *inp.* M^a^. 18. *eplis* cum lin. M^a^. 19. *alia* editor: Mª *Asiam*, G *asyā*.

in senatorium ordinem adscitum: *in senatorium ordinem additum*, ut est in codicibus, neque Tacitus alibi ausus est, neque Latine dicitur, non magis quam apud nos licet *in den Senatorstand beigegeben* vel *beigethan* pro *in den Senatorstand berufen*. Latinum est *ordini senatorio addi*, ut H. III 25 *Rapaci legioni additus*, vel H. I 87 *addidit classi urbanas cohortes*, et perinde passim. Nunc sententia et usus linguae postulat *adscitum*, assimilandi aberratione in peius mutatum. Sic *adsciscí* vel *adscitus in senatum* H. II 53; *in commilitium* I 60, H. III 5; *in cognomentum* I 31, II 60; *in numerum patriciorum* XI 25; *in penates* H. I 15; *in societatem* H. IV 24.

Muciano volentia: conf. annot. ad XV 36.

Cap. 53. *intersaepta Germanorum Raetorumque auxilia*: conf. annot. ad c. 8.

gloriae eorum qui alia interim composuerint: pessime corruptum est quod libri et editiones hoc loco offerunt, *qui Asiam interim composuerint*: Asia enim, h. e. provincia Romana in litore Asiae, statim ab initio in partibus Flavianorum fuit, neque quidquam ibi turbatum est quod componendum esset. Neque *componere* est *pacem servare*, ut dicit Orellius,

Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse; suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in inritum labores, si praemia periculorum soli adsequantur qui periculis non adfuerint. Nec fefellere ea Mucianum: inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque inplacabilius nutriebat.

At Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis 54
occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque; cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures, ac, si liceret, vere narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hostium augendae famae deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo; quos omnis Vitellius secreto percontatus interfici iussit. Notabili constantia centurio Iulius Agrestis, post multos sermones quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit ut ad vires hostium spectandas quaeque apud Cremonam acta forent ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium temptavit, sed mandata imperatoris

6. *graue* M[a]: G *graues*. 7. *inpl.* M[a], non *impl.* 12. *aput* M[a]. 14. *uulg.* M[a], non *volg.* 17. *omnis* M[a]: *oms* G. *percunct.* Or.: pr G *percont.* cf. ad 4 17. 21. *aput* M[a].

sed turbata ordinare et in solitum statum reducere. Neque haec referri possunt ad res Ponti turbatas (c. 47 — 48): nam Pontus in Oriente est, in Asia non est. Haud dubie forma *Asiă* describentis vitio pro *alia* admissa est: respicit Antonius Moesiam a Muciano compositam (c. 46).

validissimam terrarum partem: v. annot. ad Agr. c. 24.

Cap. 54. *quippe confitenti — ingravescebat:* Tacitus cum haec scripsit, Vitellium tamquam acri morbo correptum ac medicos suos stulte frustrantem ideoque in dies *ingravescentem* sibi cogitavit. Temere ad hanc translationem offendit Ernestius.

vere narraturi: h. e. *ex vero* vel *iuxta verum* narraturi. *Plures* intelligendum est de hominibus, non de sermonibus.

centurio Iulius Agrestis; similia Othonis principatu a milite gregario facta traduntur a Suetonio Oth. 10, Plutarcho Oth. 15, Dione apud Xiphil. LXIV 11. *suumque animum:* h. e. consilium a se sponte initum.

suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. Missi qui locum proelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique vera esse quae adferret, atque ultro corruptum arguenti, ‘quandoquidem’ inquit ‘magno documento opus est, nec alius iam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas.’ Atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. Quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere.

55 Vitellius, ut e somno excitus, Iulium Priscum et Alfenum Varum cum quattuordecim praetoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Apenninum iubet. Secuta e classicis legio. Tot milia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceterae cohortes ad tuendam urbem Lucio Vitellio fratri datae. Ipse nihil e solito luxu remittens, et diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat; foedera sociis, Latium externis dilargiri; his tributa dimittere, alios immunitatibus iuvare; denique nulla in posterum cura lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat; stultissimus quisque pecuniis mercabatur; apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari neque accipi salva re publica

3. *adgrestis* M^a^. 9. *Alfenum* M^a^: *alphenum* G. 11. *appenn.* M^a^. *secutae classicis* M^a^, *sequuta est class.* G: correctum inest B et Oxoniensibus. 12. *lectae quis* M^a^: *lecta equis* G. 14. *L.* M^a^. *nichil* M^a^. 16. *faedera* M^a^. 17. *ternis* M^a^: G *externis*. 19. *volgus* Or. *aderat* AG: M^a^ *haberat*.

Cap. 55. *Iulium Priscum et Alfenum Varum:* erant cohortibus praetoriis praefecti; v. H. II 92, III 36.

secuta e classicis legio: haec legio nunc primum e classicis (Misenensibus) conscripta est; interpretare Theodisce *es folgte eine Legion aus Schiffsoldaten.* Prima classicorum in Hispaniam missa erat: H. II 67 et 86.

lecta equis virisque: ablativus definiendo verbo *lecta* servit (*auserlesen, mochte man Rosse oder Mannschaft betrachten*). Cf. XII 40: *valida et lecta armis iuventus.*

Latium externis dilargiri: *Latium* breviter dixit pro *iure Latii*, quae civitas erat sine iure suffragii et honorum, connubio et commercio concesso ceteris, iis qui domi magistratus gesserant etiam aditu ad honores et curiam urbis; v. annot. ad XV 32. *his tributa dimittere:* *dimittere* pro usitato *remittere* posuit, quia hoc ipsum proxime fuerat: *nihil e solito luxu remittens.*

poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi et infidis consiliis obnoxius. Contionanti (prodigiosum dictu) 56
tantum foedarum volucrum supervolitavit ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu, longe, nec ubi feriri hostias mos est, confossus. Sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, inprovidus consilii, quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urguendo trahendove bello modus, alios rogitans, et ad omnis nuntios vultu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. Postremo taedio castrorum, et audita defectione Misenensis classis, Romam revertit, recentissimum quodque vulnus pavens, summi discriminis incuriosus. Nam cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis.

5. *faed.* M^a. 7. *ui* M^a: *ubi* correxit Lipsius. 9. *inpr.* M^a: *impr.* G. *consiliis* M^a: G *consilii.* 10. *urguendo* M^a: *urgendo* G. 11. *voltu* Or. 13. *recentississimj* ultimae syll. superscr. *v* cum lin. M^a. 14. *quoque* M^a: G *quodque* (per comp.) *summis* M^a: G *summi.* 15. *appenn.* M^a.

qui Mevaniam insederat: Mevania Umbriae civitas, ad radices Apennini posita, claustra eius Italiae partis fuit quo Flaviani nondum penetraverant. Nam hi a parte maris Adriatici ad Apenninum accesserant (c. 52).

multos ambitione, plures formidine trahebat: verbum *trahebat* molestum tardumque Vitellii agmen denotat. Multis senatoribus comitatum sui tamquam honorem deferebat, alios secum ire voluit, quia suspecti erant.

Cap. 56. *prodigiosum dictu:* haec et loco suo et orationis forma glossam me iudice sapiunt, ad verba *ut nube atra diem obtenderent* supra versum vel in margine scriptam, mox huc non bene retractam. Dixeritne alius quis *prodigiosum dictu* pro *mirum dictu* vel *mirum relatu* nescio: Tacitus id alibi non admisit. Rem ipsam amplius enarravit Dio ap. Xiphil. LXV 16.

sed praecipuum — ostentum erat: gravissima voce et non sine facetiis hominem notavit qui aequos et iniquos iuxta offenderet, decus imperii et dignitatem principis nusquam sustineret.

nam cum transgredi Apenninum — in aperto foret: e Mevania si castra Vitellius movisset et montium iuga transgressus esset,

Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspera quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet.

57 Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio per ignominiam a Galba dimissus ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistulis pretium proditionis ostentans. Praeerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei constans neque strenuus in perfidia. Et Apinius Tiro praetura functus ac tum forte Minturnis agens ducem se defectoribus obtulit. A quibus municipia coloniaeque impulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis civilibus miscebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. Data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Iulianus praeerat. Ut collata utrimque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso Tarracinam occupavere, moe-

1. *arguere* GM^a: correxit Lipsius. 2. *aspera* GM^a: *aspere* Bipontini. *quidquam* M^a: *quicquam* G. 7. *uespani eplis* (cum lin.) *p̄tium* M^a. 9. *perfidia* M^a: *perfidiā* G. *fortē inturnis* M^a: G *forte minturnis*. 11. *inp.* M^a. 13. *claudiūs* M^a. 14. *misensem* M^a. 17. *utrinque* nunc M^a.

Flavianos ad radices Apennini, alios ad Fanum Fortunae inventurus facile opprimere potuit.

ut aspera quae utilia: h. e. ut aspera essent Vitellii auribus quae utilia: mox subiectum et structura mutatur.

Cap. 57. *Claudius Faventinus*: nominatur in titulo lapidis Romani (*ara Casali*), etiam, ut videtur, apud Muratorium p. 543 3, ubi CAL. FAVENTINO fortasse perperam exscriptum pro CLAV. FAV.

neque strenuus in perfidia: h. e. neque cum defecisset strenue novas partes amplectens. Haec referuntur, ut intelligantur quae statim de novo praeter hunc duce classis narrantur. *Neque strenuus in perfidiam*, ut in G, non aptum est: nam *in perfidiam* valet *ita ut perfidus esset*. Sed perfidiae defectionisque culpa non liberum fuisse Apollinarem tam haec narratio quam quae infra (c. 76—77) sequitur ostendit.

et gladiatores quibus Iulianus praeerat: Plinii verborum (XXXVII 11 §. 2) admonuit Lipsius: *vidit enim eques Romanus, missus ad id* (succinum) *comparandum a Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis*.

collata utrimque castra: collata sunt castra, ut proelio inter partes decerneretur, sed pro pugna defectio mox placuit.

moenibus situque — quam ipso-

nibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam. Quae ubi 58 Vitellio cognita, parte copiarum Narniae cum praefectis praetorii relicta Lucium Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit.

3. *praetoriis* Mª: G *praetoriy.* *L.* Mª.

rum ingenio tutam: ipsi (αὐτοί) sunt Tarracinae cives, quibus *moenia situsque* opponuntur. Recte sic veteres interpretes, nullo successu nova moliente Walthero, qui *ipsos* Iulianum et Apollinarem copiasque dici affirmat et Tacitum obscurum reddit. Scilicet adduntur haec a Tacito, ut patefiat quomodo Flaviani Tarracinam oppidum bene munitum et adhuc in partibus Vitellii sine mora occupare potuerint. De situ Tarracinae cui vetus nomen *Anxur* Horatius Serm. I 5 26: *impositum saxis late candentibus Anxur.*

Cap. 58. *parte copiarum Narniae — relicta*: Mevaniam duobus fere castris septentrionem versus et propius Apenninum sitam omisit et exercitu in via Flaminia meridiem versus moto ipse Romam profectus est (c. 56 et 59)', parte copiarum Narniae relicta, ut Flavianis Apenninum transgressis aditus ad urbem obstrueretur, cum ceteris Lucium Vitellium fratrem ingruenti per Campaniam bello opposuit.

vocari tribus iubet: tribus temporibus Caesarum fuisse vilissimam populi Romani partem excussis doctrinae suae thesauris pronuntiavit eruditissimus Casaubonus ad Suetonii Octavianum cap. 101, eamque opinionem et Ernestius Wolfiusque ad Suetonii Neronem c. 44 propagaverunt, et nuper Theod. Momsenius *de Tribubus* ('die Tribus in administrativer Beziehung'. Altona 1844) p. 194—201 strenue vindicare conatus est. Sed primis duobus a Chr. seculis id secus fuisse Tacitus et alia antiquitatis testimonia ostendunt. Etenim qui hoc loco citantur ad delectum militarem, iis paulo post *libertini* et c. 80 *vulgus urbanum* opponuntur: *vulgus* autem *urbanum* vel *plebs sordida* (H. I 4) vel *imperita plebs*, etiam *vulgus* absolute (H. I 50) eos complectitur qui frumento publico aluntur, dum qui suo aere sustinere se possunt, neque tamen ordini patrum equitumve aut libertinorum corpori ascripti sunt, *populi pars integra* (H. I 4), saepe *populus* simpliciter a Tacito vocantur (H. I 36 et 40 et 82). Hanc honestiorem populi partem *tribus* fuisse non modo verba huic annotationi praeposita sed alii etiam loci Tacitini me iudice demonstrant. Sic Nero ex Campania Romam reversus *obvias tribus* (h. e. lautiorem civium partem), *festo cultu senatum* invenit (XIV 13). Dum vulgus vel plebs communium curarum expers notatur (H. I 89), *tribus* curant rei publicae adversa aut secunda. Hinc mortuo Germanico *populus per tribus concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant* (III 4). Eaedem a vulgo discretae memorantur in testamento Augusti. Is enim *legavit* (Suetonii verba Aug. 101) *populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium.* Idem, quamquam minus distincte, narrat Tacitus I 8: *legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringenties tricies quinquies — dedit.* His in locis cives urbis Romae, ordine senatorio et equestri excepto, partim *populo* partim *plebe* vel *tribubus* contineri videmus. Populo grandis pecuniae vis, tribubus exigua legata est. Sed cum magna civium urbis Ro-

Ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis refovebatur, dum vulgus ignavum et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat. Hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet, dantes nomina sacramento adigit.

2. *refobebatur* M[a]. *volgus* Or. *nichil* M[a]. 5. *dante* M[a], h. e. pro *dantē* sive *dantes*, ut in C: G et Oxonienses *data*.

mae pars ex pauperibus essent, iique principis beneficio prae ceteris indigerent, in Augusti testamento nomine *populi* pauperes, *tribuum* nomine locupletiores designatos fuisse colligere licet. Ac sane *tribus* non vilissimam sed honestiorem civium partem fuisse certius apparet ex titulo, quem Gruterus p. 244 4 posuit: *Imp. T. Caesari Divi f. Vespasiano Aug. plebs urbana, quae frumentum publicum accepit, et tribus.* In testamento Augusti qui est *populus* in hac inscriptione *plebs urbana* appellatur: nomina enim hac aetate non constant, et *plebs* vulgus pauperum, *populus* tribuum copia ibi tantum discrete vocantur a Tacito, ubi utraeque partes simul commemorantur; v. annot. ad H. I 35. Ex illo documento luculente perspicitur tribus *largitionum* neque indigas neque participes fuisse, reliqui autem populi vitam frumento publico sustentatam esse. Accedat aliud quo idem confirmatur. Suetonius de Nerone c. 44 haec narrat: *mox tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente certum dominis servorum numerum indixit.* Adeo locupletiores urbis incolae mollitia fracti erant aut ab immani principe abhorrebant, ut ex tribubus a Nerone citatis nemo ad militiam sustinendam idoneus prodiret. Nero igitur dominis, h. e. *tribulibus* qui aderant, certum numerum servorum indixit. Sed qui certum numerum servorum praestare poterant, eos non ex infima plebecula sed ex ditioribus fuisse pro certo habendum. Quapropter ad sumptus extraordinarios tribus, non plebs sordida, pecuniae stipes conferebant. Suetonius Aug. c. 57: *in restitutionem Palatinae domus incendio absumptae veterani, decuriae, tribus — pecunias contulerunt.* Iam causa apparet, cur Augustus *populo* grandem, *tribubus* exiguam pecuniam legaverit. Nimirum quos ille dum vixit frumento adiuvit, eosdem post mortem grandi argenti vi donavit. Tribules vero quamvis ad vitam agendam eodem adiumento non indigerent, tamen honoris causa tricies quinquies sestertium acceperunt, ut eo subsidio exolverentur quae ad res tribuum ordinandas et administrandas necessaria essent. Quippe pecunia tribubus destinata non singulis tribulibus numerabatur, sed communibus sumptibus reservata est a vicorum magistris vel tribuum curatoribus. Conf. Sueton. Tiber. c. 76: *dedit et legata plerisque, inter quos virginibus Vestalibus, sed et militibus universis, plebique Romanae viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.* Plinius Panegyr. c. 25: *nisi vero leviter attingi placet locupletatas tribus datumque congiarium plebi* (pauperi). Plebs utroque loco est populi pars tribubus haud contenta et ob paupertatem a re publica alenda frumento et iuvanda nummis viritim distributis. Populi pars tribubus descripta interdum *plebs urbana quinque et triginta tribuum*, interdum absolute *quinque et triginta tribus* appellantur. Conf. in-

Superfluente multitudine curam delectus in consules partitur. Servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit. Equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta verterat in favorem; ac plerique haud perinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur. Nec deerat ipse vultu voce lacrimis misericordiam elicere, largus promissis, et quae natura trepidantium est, immodicus. Quin et Caesarem se dici voluit, aspernatus antea; sed tunc superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor iuxta audiuntur. Ceterum ut omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt, dilabi paulatim senatores equitesque, primo cunctanter et ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine, donec Vitellius pudore inriti conatus, quae non dabantur, remisit.

Ut terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum 59
ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. Erectus

1. *dilectus* Mª. 4. *officia metu* Mª et G (a man. sec.): correctum in Bodl. et ab Heinsio. 5. *ac* Mª : *et* G. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) Mª: *pinde* G. 7. *uultu* Mª, non *uoltu*. 8. *inm.* Mª. 11. *volgi* Or. 12. *caepta* Mª. 13. *se senectores* Mª : G *senatores*. 14. *contempti mesti ne* Mª: correxit Pichena. 16. *maeuania* Mª : *meuania* G. 18. *erectus* Mª: *ereptus* BG et alii.

scriptio apud Fabrettium p. 395 et Gruterum p. 246 8. Utrumque titulum Orellius transcripsit n. 3064 3065. Prior descriptus est ex monumento, quod *plebs urbana quinque et triginta tribuum* Germanico Caesari posuerunt *aere conlato:* alterum monumentum *quinque et triginta tribus* Traiano fecere *quod liberalitate optimi principis commoda earum, etiam locorum* (in circo) *adiectione, ampliata sint.* Ad monumenta Caesaribus ponenda sordida plebecula nihil contulit neque conferre quidquam potuit: tribus autem eiusmodi impensis erogandis sufficiebant. Tribus aemulabantur, in has transire libertini cupiebant, ut licet videre ex Tacit. XIII 27. Hinc colligendum puto in tribus receptos esse qui suo aere et sine publico frumento vitam tolerare possent, tam a libertinorum multitudine quam a plebe sordida discretos. Discriminis auctor fuit Iulius Caesar; v. Dio XLIII 21. Suetonius Caes. 41: *ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.* Imitatus est Augustus et sordidam populi partem numero ducentorum milium definivit. Dio LV 10: *ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν εἰς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε.*

Samnis Pelignusque et Marsi aemulatione, quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. Sed foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus; et vix quieto agmine nives eluctantibus patuit quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiae; eoque inter duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere; et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valetudinem causabatur: Domitiano aderat animus; sed custodes a Vitellio additi, quamquam se socios fugae promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat.

1. *elignusque* Mª. 3. *faeda* Mª. *appenn.* Mª. 4. *nive se luctantibus* Mª: correxit Rhenanus, ante quem *nive se eluct*, ut in G. 10. *flauiano* Mª: G *Flauio*. 17. *respectus uarūs* Mª; G *respectu suarum*. *nichil* Mª.

Idem Dio pauperes denotavit LX 25 in rebus Claudii: τῷ δήμῳ τῷ σιτοδοτουμένῳ πέντε μὲν καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἅπασι δέδωκεν. Ili intelligendi sunt, cum *plebi congiarium* datum a Tacito refertur III 29, XII 41, XIII 31, XIV 11. O. 17. Si quando de parvo tribulium censu mentio iniicitur, ut apud Martialem IX 50 7 et 58 8, e contrario respicitur opulentia ordinum equestris et senatorii. Post ordines sed iis proximae tribus, tum libertini et plebs sordida. Statius Silv. IV 1 25: *moribus atque tuis gaudent turmaeque tribusque purpureique patres.* Has tres partes etiam Horatius recenset A. P. 248: *offenduntur enim quibus est equus et pater* (senatores) *et res* (tribus). Hic rerum status tunc videtur mutatus esse, cum princeps Caracalla civitatem Romanam omnibus provinciis dilargitus est.

aspernatus antea: v. II. I 62. *mox contemptim et sine discrimine: contemptim* est cunctatione nulla adhibita, *sine discrimine*, sive aderat Vitellius sive non aderat.

Cap. 59. *possessa Mevania:* cf. ad c. 8 *possessa ipso transitu Vicetia.* *per transitum Apennini conflictatus exercitus:* via Flaminia a Fano Fortunae profecti Flaviani Apenninum transcenderant.

vix quieto agmine nives eluctantibus: quietum agmen opposuit ei quod ab hostibus lacessitur petiturve. *Eluctari* est luctando superare ac dicitur de iis quae multo labore superantur. Cf. Agr. 17.

Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem 60
dies sumunt, donec aquilae signaque legionum adsequerentur, et locus ipse castrorum placebat, late prospectans, tuto copiarum aggestu, florentissimis pone tergum municipiis. Simul colloquia cum Vitellianis decem milium spatio distantibus et proditio sperabatur. Aegre id pati miles, et victoriam malle quam pacem. Ne suas quidem legiones opperiebantur, ut praedae quam periculorum socias. Vocatos ad contionem Antonius docuit esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent, acres, si desperassent. Initia bellorum civilium fortunae permittenda: victoriam consiliis et ratione perfici. Iam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniae oram descivisse; nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio quam quod inter Tarracinam Narniamque iaceat. Satis gloriae proelio Cremonensi partum, et exitio Cremonae nimium invidiae. Ne concupiscerent Romam capere potius quam servare. Maiora illis praemia, et multo máximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quaesissent. His ac talibus mitigati animi. Nec multo post le- 61
giones venere. Et terrore famaque aucti exercitus Vitellianae cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad

2. *aquilas*, litteris *as* correctis in *ae* Mª. 3. *latae* Mª. 4. *adg*. Or. 8. *concionem* nunc Mª. 11. *pfici* cum *p* caudato (*profici*) Mª, *proficisci* G: correxit Lipsius. 12. *misen* (in versus fine) *sem* Mª. *capiniae* Mª: G *cāpaniae*. 16. *ne* G: *nec* Mª. 17. *maior* Mª: G *maiora*. 21. *nuntiabant* Mª: emendatum inest G et apud Puteolanum.

Cap. 60. *ut Carsulas venere:* Apenninum transgressi omnia prona sibi ipsamque Mevaniam vacuam invenerant. Inde Carsulas decem milibus passuum distantes a Narnia, ubi Vitelliani, venerunt.

victoriam consilio et ratione perfici: coeptam esse victoriam Antonius concedit, absolutam esse negat, utrumque recte. Hanc sententiam convenientem ceteris unice praebet Lipsii *perfici*. Pro eo *profici* ortum est compendio scripturae perperam soluto. Neque probanda Doederlinii suspicio: *in victoriam consilio et ratione profici:* nam *in rem profici nihil* aut *aliquid* Latine dicitur, nude *profici in rem* non dicitur.

Cap. 61. *Interamnam proximis campis:* a via Flaminia paulum aversa erat et ad sinistram sita Romam euntibus: v. H. II 64.

in castra refugi: sunt castra Vitellianorum Narniae posita.

Varus: est *Arrius Varus:* cf. c. 6. *donec Priscus et Alfenus — exolverent:* *donec* particula iuncta cum subiunctivo voluntatem gregarii militis remanendi in Vi-

transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est Interamnam proximis campis praesidio quadringentorum equitum teneri. Missus extemplo Varus cum expedita manu paucos repugnantium interfecit; plures abiectis armis veniam petivere. Quidam in castra refugi cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi praesidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum versa fides, ac reliquum perfidiae certamen. Crebra transfugia tribunorum centurionumque. Nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus et Alfenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exolverent.

62 Isdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent: nam pervasisse in Germanias Valentem et veteres illic novosque exercitus ciere credebant. Visa caede in desperationem versi. Et Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniae, equestri familia. Procax moribus, neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam petere. Ludicro Iuvenalium sub Nerone velut ex ne-

9. *paena* Mª. *uerba* GMª: correxit Freinshemius. 12. *Alfenus* Mª: *alphenus* G. 22. *peteret* Mª: G *petere*. *iuvenum* GMª: *iuvenalium* Lipsius.

tellii partibus, donec fieri posset, indicat. Cf. H. I 13: *Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur.* Adde H. I 66 et 79, II 24 et 49 et 54 et 67, III 9, IV 72. Si nihil nisi temporis terminus indicatur, indicativus subsequitur, velut VI 44: *donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exolvit.* Cf. H. I 63 et 82, II 15 et 61 et 84, IV 66 et 78.

Cap. 62. *Urbini:* Fabius Valens in fuga sua ad Stoechadas Massiliensium insulas delatus, ibique Liburnicis a Paulino missis captus (c. 43), ad exercitum Flavianorum Fanum Fortunae transportabatur. In eo itinere Urbini, Umbriae oppido non procul a Fano Fortunae, caesus est: exercitus enim ab eo loco iam moverat.

neque absurdus ingenio: sale facetiisque valebat. Cf. XIII 14 et 45.

ludicro Iuvenalium: in Mª et hinc in ceteris libris mediae syllabae *ali* omissae sunt, bene suppletae a Lipsio ex XIV 15, XV 33, XVI

cessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe. Legatus legionis et fovit Verginium et infamavit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbae proditor, Vitellio fidus et aliorum perfidia inlustratus.

63 Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine decore sed sub signis vexillisque, in subiectos Narniae campos descendere. Flavianus exercitus, ut ad proelium intentus ornatusque, densis circa viam ordinibus adstiterat. Accepti in medium Vitelliani, et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. Pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi. Relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. In eundem modum et Mucianus composuit epistulas; quibus plerumque fidere Vitellius, ac de numero servorum, electione litorum loqui. Tanta torpedo invaserat animum ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur. 64 At primores civitatis Flavium Sabinum praefectum urbis secretis sermonibus incitabant,

10. *adsisterat* M[a] : G *adstiterat.* 12. *substitere* M[a]: G *subsistere.* 18. *eplas* cum lin. M[a].

21. Tacitus enim *ludicrum iuvenum* pro *ludicro Iuvenalium* sine obscuritatis vitio admittere non potuit, quia illud nomen proprium erat ludorum a Nerone equestri *iuventuti* destinatorum. Neque Annales Taciti, cum haec scripsit, compositi iam erant: eo magis verum eius ludicri nomen requirebatur. Orellio et Doederlinio *iuvenum* placuit.

interfecit: v. II. 17.

Cap. 63. *id quoque — vexillisque:* haec complexus sum et duobus commatis tamquam enuntiatum secundarium a ceteris disiunxi. Vulgo distinguunt *id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque in subiectos* cet., verum ita verba *Vitellianus miles transiturus in partes* iusta cum ceteris iunctura carent.

seque ac liberos snos Vespasiano permisisset: Primus et Varus lene verbum *permisisset* adhibent, gravius *tradidisset* vel *dedidisset* vitare malunt.

Cap. 64. *et omnia prona victoribus:* haec novam causam audendi continent. Alia est structura verborum II. 11 82: *sufficere videbantur adversus Vitellium pars*

victoriae famaeque partem capesseret. Esse illi proprium militem cohortium urbanarum, nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus. Ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, et maestis undique nuntiis trepidas; populi mobilem animum, et si ducem se praebuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum qui urbem occupasset. Id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sa-

65 binum haberentur. Haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. Erant qui occultis suspicionibus incesserent, tamquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur. Namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat, et credebatur adfectam eius fidem praeiuvisse domo agrisque pignori acceptis; unde, quamquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio, mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus, eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per conditionem armis agitare. Saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes

5. *mestis* M[a]. 6. *ducem se* M[a]: G *se ducem*. *preb.* M[a]. 12. turbato ordine post v. *senecta* M[a] (etiam ABGR) interponit *seu ferebatur lecticula* c. 67 — *in Capitolium accivit* c. 69, unde redit ad *erant qui:* luxata reposuit Puteolanus. 13. *invidiae* M[a]: G *inuidia*. 14. *namquae* M[a]. 18. *interplatio* M[a]. 20. *ponensisque* M[a]. *condicionem* Or.

copiarum — ac nihil arduum fatis. Victores Flavianarum partium sectatores vocantur. *esse illi proprium militem:* nunc quattuor urbanae cohortes (H. II 93), cum ante tres fuissent (IV 5 cum annot.). Vigilum cohortes septem erant, de quibus v. IV 5 et annot. ad XII 27.

Cap. 65. *praeiuvisse* interpretatur Ernestius *ante* vel *olim iuvisse;* sed ita praepositio non solum prorsus otiosa est (nam *olim* hoc factum esse sponte liquet), sed etiam in incerto scriptor reliquit, quomodo ex eo negotio offensae oriri potuerint: nam quod Sabinus domum agrosque pignori accepit, cum fratris affectam fidem iuvaret, id aequum iustumque erat. Sed in eo fraternus animus desiderabatur, quod Sabinus affectam fidem fratris cupide et prius quam extrema necessitas urgeret iuvisse credebatur, ut quovis modo domo agrisque potiretur. Hoc notionis

habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. Vultus procul
visentibus notabantur, Vitellii proiectus et degener, Sabinus
non insultans et miseranti propior. Quodsi tam facile suo- 66
rum mentes flexisset Vitellius quam ipse cesserat, incruentam
urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum ut quisque
Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, discrimen
ac dedecus ostentantes, et fidem in libidine victoris. Nec
tantam Vespasiano superbiam ut privatum Vitellium pateretur:
ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia.
Ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum: sed
quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? Nunc
pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti:
sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis
eius, non denique exercitibus securitatem nisi extincto aemu-
latore redituram. Fabium illis Valentem captivum et casibus

1. *voltus* Or. 3. *proprior* M^a^: G *propior.* 6. *condiciones* Or. 9. *lauros* M^a^: G *laturos.* 10. *sanẽ senem* M^a^. 12. *promittis. et* M^a^: *promitti: Sed* G. 14. *aemulatore redituram* G (hic *emulatore*) et Oxonienses: M^a^ *aemulatore dituram.* 15. *captium* M^a^: G *captiuum.* *casibus dubiis* G et Oxonienses: M^a^ *captis diebus.*

praepositio *prae* verbo addit, ut analogia ostendit. Sic *praecipere bellum* (I 55) est prius incipere quam omnia ad id parata erant; sic *laus velut in herba praecepta* (O. c. 9) est *prius capta* quam capi rite potest. Cf. I 48, II 35, XIV 3 et 22, XV 59. H. I 62, III 9. De re Sueton. Vesp. 4. Doederlinius coniecit *prave iuvisse.*

Cluvium Rufum: is comitatui principis adiectus erat Lugduni, ubi Vitellium omissa Hispania assecutus est; v. H. II 65 coll. Ind. histor.

Silium Italicum: qui postea *Punicorum* carmen scripsit. Plinius Epist. III 7: *laeserat famam suam sub Nerone; credebatur sponte accusasse: sed in Vitellii amicitia sapienter se et comiter gesserat.*

Cap. 66. *nec tantam Vespasiano superbiam ut — pateretur:* privatum pati Caesarem imperio exutum, nec timere aemulum sed contemnere, non tam *superbia* erat quam *animi altitudo*, sed hortatores de superbia loquuntur, ut Vitellium de spe sua et fiducia magis deiiciant: superbiam enim a Vespasiani moribus omnino abesse apud omnes constabat.

ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia: quam intelligant *misericordiam*, clarum ex c. 84 extr. *filio eius Germanico:* cf. H. II 59, IV 80.

aemulatore redituram: in M^a^ syllaba *re* omissa est ante *dituram*, quod eadem antecedit, ut XII 50 *tempore bellaturos* pro *tempore rebellaturos* in omnibus libris perperam scribitur. Lipsius ex coniectura dedit *aemulatu redituram*, sed tum *aemulatus* non ad Vitellium et Vespasianum, sed ad aemulationem exercituum amicorumque Vitellii ac Vespasiani perti-

dubiis reservatum praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. Non a Caesare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos, nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. Quin, ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. Perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil atrocius eventurum quam in quod sponte ruant. Moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium
67 et contumelias effundant an per virtutem. Surdae ad fortia consilia Vitellio aures. Obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi et fessa aetate parens;

5. *altiore* M^{a}: G *altiores*. *uitelli* M^{a}. 6. *ut res* M^{a}. 7. *totae gregiae* M^{a}, *tot aegregiae* G. *degeret* M^{a}: G *deceret*. 8. *auddcia* M^{a}: *audatiā* G. 9. *nichil* M^{a}. 13. *obruebantur* M^{a}: G *obruebatur*. 15. *coniugis* M^{a}: *coniugi* G.

net. Verum Vitellii amici non hoc volunt, sed homini trepido ingerunt ipsum manifesto periculo obiici, si cum Vespasiano pacisceretur. Waltherus dedit *exstincto aemulato redituram*, ut *aemulatūs* sit *qui aemulatur*, quasi dicere Lătine liceret *extincto hortato* pro *extincto qui hortatur.*

specimen partium Mucianus: quo tamquam praecipuo auctore partes nosci possent. Cf. VI 37: *columen partium Abdagaeses.*

Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret: fuit cum crederem fuisse *L. Vitellii:* nam de hoc in censura Claudii collega principis familiares nunc loquuntur; qui cum imperante Claudio omnia posset (XI 3, XII 4 et 5 et 42; Sueton. Vit. 2), Vespasianum aspirantem tunc ad capessendos honores *clientem* hominis tam potentis contemptim appellant qui nunc ad filium illius verba faciunt. Sed re diligentius pensitata perspexi, audaci et ingeniosa imitatione exprimi sermonem, qualem de re Aulo Vitellio notissima amici habuere. Theodisce dicas: *der Schützling eines Vitellier, während der Vitellier Amtsgenoss mit Claudius gewesen.* Non vere Orellius: 'refero ad consulatum A. Vitellii ipsius a. u. 801, quo Vespasianus fere quadragenarius facile Vitellium postea imperatorem interdum salutare et volebat et solebat'. Obstant, ut omittam alia, verba *cum Vitellius collega Claudio foret.*

Cap. 67. *fessa aetate parens:* v. H. II 64 et 89. De eius fine atrociora rettulit Suetonius in Vitellio 14, ad incredibilia saepe inclinans: *suspectus et in morte matris fuit, quasi aegrae praeberi cibum prohibuisset, vaticinante Chatta muliere — ita demum firmiter et diutissime imperaturum, si super-*

quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam. Quintumdecimum kalendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu Palatio degreditur, maesta circum familia. Simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandae et intempestivae; miles minaci silentio. Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor 68
quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paulo ante dominum, relicta fortunae suae sede, per populum, per urbem exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. Repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae; nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant; Piso et Galba tamquam in acie cecidere. In sua contione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus, cedere se pacis et rei publicae causa — retinerent tantum memoriam sui, fratremque et coniugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur —, simul filium protendens, modo singulis modo universis commendans, postremo fletu praepediente adsistenti consuli (Caecilius Simplex

2. *nichil* M[a]. *filia* M[a]. 3. *quintumdecimum* editor: XV. M[a]. cf. ad 6 50. *Kl.* cum lin. M[a]. *Ian.* cum lin. M[a]. 4. *legiones* M[a]: G *legionis*. *cohortium quaeque se* M[a]. 5. *famia* M[a]: G *familia*. *seu* GM[a]: *simul* Puteolanus. 8. *inm.* M[a]. 9. *ro* (in versus fine) *num* M[a]. 13. *occulte* M[a]. 15. *milites* (in paginae fine) *milites* M[a]. 16. *mest.* M[a]. 18. *suā* superscr. *i* M[a].

stes parenti extitisset. De Sextiliae bona fama praeter Tacitum Suetonius Vitell. 3.

legionis: est legio ex classicis conscripta (c. 55), primum missa Mevaniam, dein Narniae relicta et paulo post dedita. *Palatio degreditur:* conf. Suetonius Vit. 15, Dio LXV 16.

Cap. 68. *occultae Gaium insidiae:* Suetonius Calig. 56—58. *nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant:* idem Ner. 48.

in sua contione: h. e. *pro Rostris in foro.* *Caecilius Simplex erat:* v. H. II 60. Caecilii collega Quintius Atticus fuit: H. III 73 et 75.

exolutum a latere pugionem — ut in aede Concordiae positurus insignia imperii; iuxta Suetonium (c. 15 extr.) post exustum Capitolium haec facta sunt: *tunc solutum a latere pugionem consuli primum, deinde illo recusante magistratibus ac mox senatoribus singulis porrigens, nullo recipiente*

erat) exolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium, reddebat. Aspernante consule, reclamantibus qui in contione adstiterant, ut in aede Concordiae positurus insignia imperii domumque fratris petiturus discessit. Maior hic clamor obsistentium penatibus privatis, in Palatium vocantium. Interclusum aliud iter, idque solum quod in Sacram viam pergeret patebat. Tum consilii inops in Palatium rediit. Praevenerat rumor eiurari ab eo imperium, scripseratque Flavius

69 Sabinus cohortium tribunis ut militem cohiberent. Igitur tamquam omnis res publica in Vespasiani sinum concessisset, primores senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. Illuc de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. Longius iam progressus erat quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma impellebant. Sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. Modicum ibi proelium inproviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tu-

6. *interclausum* M^{a}, *inter clusum* G. *in sacra uiam* M^{a}, *insacra uia* G: emendatum in Spir. et rursus a Lipsio. 7. *prev.* M^{a}. 8. *iurari* M^{a}: *eiurari* G. 10. *uespasianis* M^{a}. *concessisset* editor: M^{a} *cecississet*, G *cessisset*. 16. *inp.* M^{a}. 18. *paucis* M^{a}: G *pauci*.

quasi in aede Concordiae positurus abscessit. Aedes Concordiae ad forum Romanum: cf. Liv. IX 46, Plinius XXXIII 6.

Cap. 69. *tamquam omnis res publica in sinum Vespasiani concessisset*: ante maxima pars rei publicae in sinum Vespasiani iam cesserat: nunc *omnis* concessisse visa est. Itaque recte reposui *concessisset* pro vulgato *cessisset*, secutus librum Mediceum, in quo *cecississet*, h. e. correctis levibus vitiis *cōcessisset* sive *concessisset.* Non satis apta sunt exempla quibus ad vindicandam scripturam *cessisset* usus est Waltherus, I 1: *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere;* II 23: *mare omne in austrum cessit.* Plin. Paneg. 6: *confugit in sinum tuum concussa res publica.*

Germanicarum cohortium: Germanicae praetoriae cohortes h. l. nominantur, quod Germanico milite maximam partem compositae erant; v. H. II 93 et 94. Has cohortes tres tantum Romae adfuisse non recte Rupertius ex c. 78 *tris cohortes* probatum ivit; v. ibi annot. *circa lacum Fundani*: no-

tissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque; quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere. Subierunt obsidium etiam feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos neque propinquos sed bellum secuta. Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit; eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium in Capitolium accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret. Noctem adeo quietam egit, ut digredi sine noxa potuerit: quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat, et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat. Luce prima Sabi- 70
nus, antequam in vicem hostilia coeptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus ad Vitellium misit cum mandatis et questu quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse, ad decipiendos tot inlustres viros. Cur enim e Rostris fratris domum, imminentem foro et inritandis hominum oculis, quam Aventinum et penates uxoris petisset? Ita privato et omnem principatus speciem vitanti convenisse. Contra Vitellium in Palatium, in ipsam

1. *pres.* Mª. 2. *nomina aut* Mª: G *nomina.* 4. *subier* cum lin. Mª. 5. *maximae* Mª. *gratilia* GMª: correxit Ernestius ex Plinii Epist. 3 11. 7. *socordi custodia* Mª: *custodia socordi* G. 10. *ipso se Ini* Mª, *ipsos ni* G: correxit Pichena. 11. *digredi* GMª, non *degredi.* 13. *inber* Mª. 15. *caeptarent* Mª. 17. *quaestu* Mª. *simulatione* Mª: *simulationē* G. 18. *ill.* Or. 19. *inm.* Mª. 22. *contēnisse* Mª: *conuenisse* G.

minatur in titulo ap. Orellium Inscr. Lat. n. 567.

mixto milite: mixtus Sabini miles erat, quod *vigiles* atque *cohortes urbanae* (lege capitis initium) eum sectabantur. Ernestium *mixto* cum aliis male tentantem non bene refutavit Waltherus. Is sinistre locum ex H. II 14 attulit: ibi enim *mixtis* est pro *admixtis* vel *immixtis*, quae significatio hoc loco admitti nequit, quia ante non memorati sunt quibus miles admixtus esse dici posset. De arce Capitolii v. ad c. 71.

Verulana Gratilla: alia est Pomponia Gratilla apud Plin. Epist. III 11, V 1, sed Plinii *Gratilla* ad scripturam emendatam tuendam nihilo minus apta est. A gratus fit *gratillus,* ab hoc *Gratilla.*

ut digredi sine noxa potuerit:

imperii arcem regressum; inde armatum agmen emissum; stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem; ne Capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se et unum e senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicatur; iam Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. Si conventionis paeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem: quantum occisis uno sene et uno iuvene proficì? Iret obviam legionibus, et de summa rerum illic certaret: cetera secundum eventum proelii cessura. Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem esse modestiam suam. Et monuit Martialem ut per secretam aedium partem occulte abiret, ne a militibus internuntius invisae pacis interficeretur. Ipse neque iubendi neque vetandi potens, non iam imperator sed tantum belli causa erat. Vixdum
71 regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor. Cito agmine forum et imminentia

2. *ced.* Mª. 5. *captivitabus* Mª: G *captiuitatibus.* 6. *germanisque* Mª: G *germaniis que.* *britt.* Mª. 7. *condic.* Or. 9. *seque* Mª: *se quẽ* G. 13. *caetera* Mª. 15. *nimius ardor* BGMª: *nimio ardori* Puteolanus. *inp.* Mª. 17. *amilitibus* G: Mª *militibus.* 18. *iuuendi* Mª. 21. *inm.* Mª.

falso *degredi* commendavit Ernestius: nam digredi et festinare ad exercitum Flavianum Sabinus poterat, *degredi* autem et morari circa Capitolium sine noxa non potuit. Cf. c. 78: *digressus Narnia Vespasiani exercitus.*

Cap. 70. *simulationem prorsus:* senem loquacem et rerum momenta verbis terentem multa cum arte Tacitus pinxit. Conf. 75: *sermonis nimius erat* sqq.

unum e senatoribus: converte *ein einziger Senator.* Aliud est quod paulo ante legitur *e primipilaribus*, h. e. *primipilari*, quemadmodum *e senatoribus* est senator. Simili vi mox *uno sene et uno iuvene* dictum est. *iudicatur:* vitavit verbum magis solitum *diiudicatur.* Perinde H. IV 14.

Hispaniis Germaniisque et Britannia: componit terras longissime sitas. Hispania atque Germania binis provinciis discretae erant, unde numerus multitudinis: *Britannia* autem, quia uni legato consulari parebat, singularis numeri forma effertur.

pacem et concordiam victis utilia: cf. annot. ad I 46.

foro templa praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi, dextrae subeuntibus; in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant. Neque illis manus nisi gladiis armatae; et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur. Faces in prominentem porticum iecere. Et sequebantur ignem, ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revulsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. Tum diversos Capitolii aditus invadunt, iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. Nec sisti poterant scandentes per coniuncta aedificia, quae, ut in multa pace, in altum edita solum Capitolii aequabant. Hic ambigi-

1. *colle* M[a]: G *collem*. 8. *revolsas* Or. 11. *Tarpeia* M[a], *Tarpei* G et Bodl. Ies. 13. *que* M[a]. 14. *sonum* M[a]: G *solum*. *eq.* M[a].

Cap. 71. *erigunt aciem per adversum collem:* a foro Romano clivum Capitolinum ingressi iam erigunt aciem et sic ad primas Capitolinae arcis fores penetrant.

Capitolinae arcis: arcem *Capitolinam* dicit ipsum *Capitolium* (hinc statim *Capitolii fores*, tum *diversos Capitolii aditus*, dein *solum Capitolii*), hoc est montis Capitolini collem maiorem, a parte meridionali et occidentis non procul a Tiberi, in quo templum Iovis. Alter Capitolini montis collis ac minor, in septentrionem procurrens et a flumine aversus, *arcem Romanam* sive arcem urbis sustinebat. Conf. Strabo V 3 2, Dionysius Antiq. Rom. II 15, Livius V 47, Gellius V 12. Bunsenii Descriptio urbis Rom. t. III A p. 14 sqq. Beckeri Enchirid. Ant. Rom. t. I p. 386 sqq. Tacitus utrumque collem nominat XI 23: *quid si memoria eorum oreretur qui, inspectante Capitolio et arce Romana, manibus eorundem prostrati sint?* Inter utrumque collem spatium illud depressum cui nomen *inter duos lucos*, de quo Liv. I 8, Dionysius II 15.

diversos Capitolii aditus invadunt: h. e. ab ea parte quae aversa erat a foro et clivo Capitolino. *Diversus* est *contrarius*. Interpretare: *darauf stürzen sie sich von der entgegengesetzten Seite auf die Zugänge zum Capitolium.* Illi aditus a parte occidentis duo, alter remotior a flumine iuxta lucum asyli, alter propior qua Tarpeia rupes centum gradibus adibatur.

propior atque acrior — ingruebat: propior fastigio Capitolii atque propugnatoribus ibi collocatis.

nec sisti poterant — aedificia: his verbis tertia classis ingruentium Vitellianorum describitur: alii enim gradibus Tarpeiae rupis, alii iuxta asylum, alii per tecta aedificiorum Capitolio proximorum ascendebant.

ignem tectis oppugnatores iniecerint: intellige tecta aedificiorum

tur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, nitentes ac progressos depulerint. Inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus; mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam aluerantque. Sic Capitolium, clausis foribus, indefensum et indireptum

72 conflagravit. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus, pignus imperii, conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi. Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum cau-

1. *obp.* M[a]. 2. *fama, nitentes* Doederlinius et Orellius: M[a] *famā nitentes*, G et Bodl. *fama est, quo nitentes.* *depulerint* BGM[a] et alii: *depellerent* Bodl. et Puteolanus. 3. *adp.* M[a]: *app.* G. 4. *vertere* M[a]: G *uetere.* *traxer — aluerque* cum lineolis super litteras *r* M[a]. 7. *faed.* M[a]. *rei.p.* M[a]. 9. *optimū* M[a]: G *OPTIMI.*

quae in plano sita solum Capitolii aequabant.

in porticus adpositas aedibus: hae *aedes* non sunt *aedificia* Capitolio coniuncta, sed sedes Iovis, Iunonis, Minervae. Quia plura aedificia universim denotantur, non unum aliquod templum, recte de *aedibus* loquitur hic noster, quamquam mox (c. 72 extr.) *aedem* posuit, cogitans de templo Iovis optimi maximi. Cf. annot. ad II 49, et II. IV 53: *altitudo aedibus adiecta.*

sustinentes fastigium aquilae: *aquilas* (ἀετούς, ἀέτωμα) intelligas tigna molem fastigii vel tecti fastigiati sustinentia (*die Giebel-Balken*). Ne de aquilis naturali forma et opere artificis apposito in tecto legentes cogitarent, ut fecit Böttiger (*Amalthea* I p. 73), narrator providit verbo *sustinentes fastigium.*

Cap. 72. *id facinus:* viri gravis indignatio valide prorumpit et usque ad verba *pro patria bellavimus* spirare pergit. Ubi scribit *arserat et ante Capitolium* sqq., nondum rediit ad ordinem tranquillae narrationis, sed eo demum pervenit inde a *voverat Tarquinius* cet. Olim non bene nimisque libere de hoc loco disputavi, nunc opportune correcturus.

propitiis, si per mores nostros liceret, deis: v. annot. ad H. I 3.

dedita urbe: urbem Romam re vera Tuscis deditam esse ex testimoniis veterum scriptorum acute explicatis ostendit Niebuhrius in Hist. Rom. I p. 606—609 ed. tert. Male nonnulli editores Tacitum oratorie, non historice, locutum esse opinantur. Ad rei veritatem proferendam et approbandam Niebuhrius usus est Plinio XXXIV 39, Plutarchi Quaest. Rom. p. 267 e. Prior refert: *in foedere quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsenna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agri cultu uterentur.*

sis, quo tantae cladis pretio? Stetit *incolume, quamdiu* pro patria bellavimus. Voverat Tarquinius Priscus rex bello Sabino, ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi Romani res sufficerent. Mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis extruxere. Sed gloria operis *patrati* libertati reservata: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia quam immensae postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent. Isdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio Lucio Scipione Gaio

1. *p̄tio* Mª. *pretio — bellavimus* editor: vulgo *pretio stetit? pro patria bellavimus?* 4. *quan* Mª. 5. *dein* Mª: G *deinde*. 7. *patrati* est ab editore. 8. *puluilius* Mª: *puluillus* G. *consule* Mª: *consul* G. *iīm.* Mª. 10. *quadringentorum quindecim* Mª: *CCCCXV.* G. 11. *L.* Mª. *C.* Mª.

stetit incolume, quamdiu *pro patria bellavimus:* iam locus paene desperatus conclamatusque si non omnino convaluit, certe eo sanitatis redactus videtur, quo pervenire potest. Scilicet omnes turbae inde natae sunt, quod verbum *stetit* cum praegressis falso iunctum est, cum pertineat ad sequentia. Hiatum sic fere expleverim, ut in verborum contextu indicatum est: ipsa verba non praesto. In vulgata scriptura (*quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio stetit?*) inanis quam maxime quaestio, quibus armorum causis *steterit* Capitolium: immo quibus armorum causis incensum sit, indignando quaerere debuit narrator. Non minus falso quaeritur, quo tantae cladis pretio id steterit, quod non stetit sed deflagravit. Haud dubie dicere voluit tanta clade pretiosissimi templi nihil lucri adeptos esse neque victores neque victos. Postremo in vulgata succedit quaestio (*pro patria bellavimus?*), qua otiosior et magis inepta cogitari nequit.

voverat Tarquinius Priscus — futurae magnitudinis: haec et cetera usque ad finem capitis adduntur, ut probetur sententia, nihil Capitolio accidisse, quamdiu Romani adversus externos bellaverint, bellis autem civilibus cladem eius inchoatam esse. De re conf. Liv. I 38: *aream ad aedem in Capitolio Iovis, quam voverat bello Sabino, iam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis.* Quae ascripsi, ut pateat comparanti singula Livium Tacito ducem in his fuisse.

mox Servius Tullius sociorum studio: Servius *sociorum studio* fanum Dianae in Aventino fecit (v. Liv. I 45, Dionys. Antiquit. Rom. IV 16), de Capitolio Servii opera aedificato nihil alibi refertur: immo ex regibus nemo auctor operis nisi uterque Tarquinius. Livius I 55: *Tarquinios reges ambo, patrem vovisse, filium perfecisse.* Sed quod praecipue erroris a Tacito commissi cogitationem suggerit, est additum *sociorum studio:* nam commune Latini nominis templum non Capitolium fuit, sed *fanum Dianae.* Capitolium *pignus imperii* fuit, non foederis societatisve. De alienae manus additamento quo-

Norbano consulibus flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad
73 Vitellium mansit. Ea tunc aedes cremabatur. Sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit. Quippe Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat: ex diverso trepidi milites, dux segnis et velut captus animi, non lingua non auribus competere: neque alienis consiliis regi, neque sua expedire; huc illuc clamoribus hostium circumagi; quae iusserat, vetare, quae vetuerat, iubere. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exe-

1. *norbana* M^a. *cos.* cum lin. M^a. 3. *inter tanta caesarum* G et alii: M^a *inter ta caesarum* (non *caesrum*), *inter tot Caesarum* Pichena. 7. *velut* M^a: G *veluti*. 10. *iuuere* M^a.

minus cogitemus, habitus narrationis prohibet. Etiam alibi minus diligentem in *episodiis* Tacitum deprehendimus.

Tarquinius Superbus — extruxere: v. Liv. I 53 et 55 et 56. Dionys. IV 59—61.

sed gloria operis patrati *libertati reservata: gloria operis* duobus Tarquiniis debebatur, sed operis perfecti et ad finem perducti libertati reservata est. Quapropter *patrati* ante *libertati* fuisse et similitudine soni omissum admodum verisimile est. Sic c. 64: *gratiam patrati belli penes eum qui urbem occupasset.*

Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit: tertio post reges exactos anno sive ab u. c. 247. Consentit cum Tacito Dionysius Antiq. Rom. V 35. Livius autem Horatium primum consulem anno primo post reges exactos dedicantem Capitolium producit II 8, item Polybius III 22. *ea magnificentia:* ablativus rem eodem tempore obtinentem, non ex verbo (*dedicavit*) consequentem denotat.

quadringentorum quindecim annorum: vera ratio quadringentos viginti quinque annos ab a. 247 usque ad 671 colligit, sed Tacitus decennio aberrare potuit.

hoc solum felicitati eius negatum: Plin. N. H. VII 44 (43): *hoc tamen nempe felicitati suae defuisse confessus est, quod Capitolium non dedicavisset.*

Lutatii Catuli nomen — mansit: a Catulo dedicatum est a. 685. Livii Epitoma 98. Gellius II 10. Suetonius Caes. 15, Aug. 94. Plutarchus Poplicol. 14. Dio XXXVII 44. Dio XLIII 14 narrat, senatus decreto Caesaris nomen pro Catulo substituendum fuisse, sed id decretum eventum habuisse non videtur.

inter tanta: in vestigiis libri M^a *inter ta* syllaba *tan* a praegressa *ter* hausta est. *Tanta Caesarum opera* illa sunt quae in foro et circa Capitolium a Caesaribus facta sunt.

Cap. 73. *ea tunc aedes cremabatur:* ad ordinem narrationis intermissae revertitur. *non lingua non auribus competere: competere* est compos esse, ut in Annalibus (III 46): *neque oculis neque auribus satis competebant,* ubi cf. annot.

qui. Postremo abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant. Inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine ferro flammisque miscent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt, et Quintium Atticum consulem, umbra honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat. Ceteri per varios casus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti et inter sarcinas abditi. Fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent. Domitianus prima inruptione 74
apud aedituum occultatus, sollertiā liberti lineo amictu turbae sacricolarum inmixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem iuxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum patre disiecto aeditui contubernio, modicum sacellum Iovi Conservatori aramque posuit casus suos in marmore expressam;

4. *insignis* M[a]: G *insignes*. 6. *caept.* M[a]. 10. *fidē* M[a]. 15. *inm.* M[a]. 18. fortasse fuit *et casus suos in marmore expressos*. G *casusque suos in marmore expressit*.

et cuncta sanguine ferro flammisque miscent: Vitelliani si minus auctores, at causa Capitolii incensi fuerunt: iidem re semel inchoata usque ad excidium perstiterunt. Hinc causa intelligitur cur a scriptoribus parum accurate narrantibus totius calamitatis culpa Vitellianis ascribatur, veluti a Plinio N. H. XXXIV 17, Iosepho B. Iud. IV 11 §. 4, Dione ap. Xiphil. LXV 17.

quod edicta in populum — iecerat: vanus homo edictis suis ex Capitolio in populum demissis impetum ruentium frangi speraverat.

fide clientium: hos in turba cohortium plebisque urbanae in Capitolium progressos esse cogites.

audaciam pro latebra haberent: Ernestius laudavit Sallustii Catil. 58: *audacia pro muro habetur.*

Cap. 74. *apud aedituum:* est aedituus templi Capitolini. Sueton. Dom. 1: *inrumpentibus adversariis et ardente templo apud aedituum clam pernoctavit, ac mane Isiaci celatus habitu interque sacrificulos vanae superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit.* In his *Isiaci habitu* est qui apud Tacitum *lineus amictus.* Ab eo vestitu Isiaci *linigeri* dicuntur. Iuven. VI 533: *qui grege linigero circumdatus et grege calvo.*

aramque posuit casus suos in marmore expressam: haec sana esse non videntur. Nihil quod conferri possit apud Tacitum est aut alium sermonis pedestris scriptorem. Unus Valerius Flaccus (Ar-

mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit. Sabinus et Atticus onerati catenis et ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur, frementibus qui ius caedis et praemia enavatae operae petebant. Clamore a proximis orto sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. Stantem pro gradibus Palatii Vitellium et preces parantem pervicere, ut absisteret. Tum confossum collaceratumque et absciso capite
75 truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. Hic exitus viri haud sane spernendi. Quinque et triginta stipendia in re publica fecerat, domi militiaeque clarus. Innocentiam iustitiamque eius non argueres; sermonis nimius erat: id unum septem annis quibus Moesiam, duodecim quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitae alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. Quod inter omnis constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat. Caedem eius laetam fuisse Muciano accepimus. Ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos, quorum alter se fratrem

3. *voltuque* Or. 4. *enavatae* AB: *enovatae* M[a], *nauatc* G. 5. *a* deest M[a]: adest G. cf. c. 70 extr. 7. *p̄ces parentem* M[a]: *p̄ces parantem* G. 8. *conlac.* M[a]. 10. *re.p.* M[a]. 17. *paenes* M[a]. 19. *direpta* M[a]: *dirempta* G.

gon. I 491 *casusque tuos expressa, Phalere, arma geris*) simile exemplum structurae Graecae habet, sed est poeta Graecos continuo imitatus, et Tacitus ab eiusmodi deliciis plerumque abstinuit. Augetur offensio quod in Taciti verbis duo accusativi admodum sinistre iunguntur, id quod ne Valerius quidem ausus esset. Accedit quod additum *in marmore* pro Taciti brevitate non ipsa ara marmorea apte intelligi potest, sed tabula marmorea aut opere anaglypho incisa aut titulo inscripta significata videtur. Itaque notam particulae *et* a praecedente littera *t* (*posuit*) absorptam et verbum *expressam* ex scripturae compendio perperam pro *expressos* resolutum esse coniecerim.

enavatae operae: enavatae uno hoc loco legitur, sed iuxta analogiam bene conformatum est. Idem dicendum de v. *collaceratumque.*

Cap. 75. *stipendia in re publica fecerat:* stipendia in re publica sunt magistratus militares, non vulgaria militum munia.

quod inter omnis constiterit: coniunctivus modestiam asseverantis exprimit.

ferebant plerique etiam paci consultum: pax opponitur *turbis civilibus* quae nunc obtinent, *etiam paci* refertur ad tempus otiumque mox futurum.

imperatoris, alter consortem imperii cogitaret. Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus quis Capitolium incendisset se reum Atticus obtulerat, eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse et a partibus Vitellii amolitus videbatur.

Isdem diebus Lucius Vitellius positis apud Feroniam **76** castris excidio Tarracinae imminebat, clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant. Praeerat, ut supra memoravimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis quam ducum similes. Non vigilias agere, non intuta moenium firmare: noctu dieque fluxi et amoena litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro, donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis plus invidiae quam virium partibus addebat. **77** Interim ad Lucium Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, si praesidium acciperet, vacuam arcem traditurum, multa nocte cohortes expeditas summis montium iugis super caput hostium sistit. Inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit. Sternunt iner-

4. *sibe* M^a^. 5. *temporis* M^a^: G *tempori*. 7. *L.* M^a^. 8. *Terracinae* nunc M^a^, infra *Tarracinae*. 11. *pollinaris* M^a^: G *apollinaris*. 18. *L.* M^a^. *uergilii* M^a^, *uirgilii* G: *Verginii* Puteolanus. 20. *traditurum* Bekkerus: M^a^ *tradi futurum*, G et alii *furtim traditurum*. 22. *inermos* M^a^: G *inermes*.

Cap. 76. *isdem diebus:* antequam ad exercitum Flavianorum redit, res Vitellianorum non procul a Campaniae finibus gestas exequitur, ad narrationem c. 57 et 58 omissam reversus. *positis apud Feroniam castris:* Feronia tribus milibus passuum a Terracina; cf. Horatii Serm. I 5 24.

amoena litorum personantes: lascive in litoribus clamantes ut sonus redderetur. Virgil. Aen. VI 171: *cava dum personat aequora concha;* 418: *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci personat.* Ad Virgilii locos advertit Doederleinus.

Cap. 77. *tenebris pavore:* sic distinxi concinnitatem partium sermonis secutus: nam, duobus nominibus iuxta positis statim respondent duo nominum paria, in quibus alterum ab altero pendet, *sonitu tubarum, clamore hostili.*

fuere qui — incessebant: corruptela libri Medicei *incesserant* orta ex antiqua uncialium scriptura, ubi B et R et facile et saepe com-

mos aut arma capientes, et quosdam somno excitos, cum tenebris pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes neque inulti cecidere. Ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine inplicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris; reliquae in litore captae, aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Iulianus ad Lucium Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur. Fuere qui uxorem Lucii Vitellii Triariam incessebant, tamquam gladio militari cincta inter luctum cladesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset. Ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percontatus statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. Quod salutare non modo partibus Vespasiani sed rei publicae fuit. Nam si recens victoria miles et super insitam pervicaciam secundis ferox Romam contendisset, haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret. Quippe Lucio Vitellio quamvis infami inerat industria; nec virtutibus, ut boni, sed quomodo pessimus quisque, vitiis valebat.

78 Dum haec in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus festos Saturni dies Ocriculi per otium

3. *inulti* GM^a: *multi* editi ante Rhenanum. 4. *inpl.* M^a: *imp.* G. 6. *liburnice* M^a. *pref.* M^a. 7. *reliquas* M^a, *relique* G. *aut* G: M^a *ut*. 8. *L.* M^a. 9. *faed.* M^a. 10. *L.* M^a. *incessebant* editor: M^a *incesserant*, G *incesserint*, Ernestius *incesserent*. 11. *cinctā* M^a. 12. *sev.* M^a. 13. *percunct.* Or. 17. *parvā* M^a. 18. *L.* M^a. 19. *bonis* M^a: G *boni*. 21. *hec* M^a. 22. *festo* M^a: G *festos*. *Ocriculi* M^a: alii *Otriculi* aut *Ariculi*.

mutantur. Modus indicativus eodem modo positus Agr. 28: *ac fuere quos — indicium tanti casus inlustravit*. *Incesserint*, quod in libris interpolatis est, de re facta et perfecta sententiam iudiciumque scribentis simul enuntiat, id quod ab hoc loco alienum. Ernestii coniectura (*incesserent*) iusto longius abit a M^a.

lauream gestae prospere rei: Agr. 18 *ne laureatis* (epistulis) *quidem gesta prosecutus est*. Plinius XV 40: (laurus) *Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris, et militum lanceis pilisque*. Ceterum Tacitus vulgarem locutionem *rei bene gestae* vitavit, nova substituta.

Cap. 78. *digressus Narnia Vespasiani exercitus*: v. cap. 58 et 63. *Festi Saturni dies* inde a XVI kal. Ianuarias agitari coepti sunt.

agitabat. Causa tam pravae morae, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent tamquam dolo cunctantem post secretas Vitellii epistulas, quibus consulatum et nubilem filiam et dotales opes pretium proditionis offerebat. Alii ficta haec et in gratiam Muciani composita. Quidam omnium id ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum quam inferre, quando validissimae cohortes a Vitellio descivissent, et abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur. Sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta, qui sumptis temere armis munitissimam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem adversus tris cohortes tueri nequivisset. Haud facile quis uni adsignaverit culpam, quae omnium fuit. Nam et Mucianus ambiguis epistulis victores morabatur, et Antonius praepostero obsequio, vel dum regerit invidiam, crimen meruit; ceterique duces dum peractum bellum putant, finem eius insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus praemissus ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat, donec obsessi
Capitolii fama cunctos simul exciret. Antonius per Flaminiam 79

1. *prave* M[a]. 3. *eplas* cum lin. M[a]. 4. *p̄tium* M[a]. 5. *gratia* M[a]. 7. *validissime* M[a]. 8. *abscisis* GM[a]: *abscissis* Oxonienses. 14. *eplis* cum lin. M[a]. 15. *regeret* M[a]: correxit Pichena, ante quem *tegeret*, ut in G et Oxoniensibus.

adversus tris cohortes: haec ab iis qui Antonii Primi causam tuentur rhetorice potius quam ad fidem rerum pronuntiatum est: nam milites qui Capitolium et copias Sabini expugnavere quique mox etiam victoriam exercitus Flaviani aliquantisper morati sunt, haud dubie plures fuere quam tres cohortes. Vitellius enim Mevaniam occupaturus ex sedecim cohortibus millenariis praetorianorum a se scriptis (H. II 93) quattuordecim cum omnibus equitum alis et legione classica ad obsidendum Apenninum praemisit, ad urbem tuendam ceteras cohortes (quattuor urbanas, duas praetorias) Lucio Vitellio dedit: H. III 55. Sed ipse taedio castrorum cum eo exercitu Narniam discessit, ubi partem copiarum cum praefectis praetorii reliquit, sex cohortes et quingentos equites et Lucium Vitellium fratrem ingruenti per Campaniam bello opposuit, ceteros secum in urbem reduxit: H. III 58. Hinc patet eius exercitus, qui Vitellio ad Apenninum proficiscenti (H. III 55 et 56) parebat, certe tertiam partem Romae fuisse, cum Capitolium expugnaretur. Ut igitur Antonianae causae defensores rem ultra verum augent, ubi dicunt *munitissi-*

ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit. Illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere urbem, maesta omnia accepit; plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre proelium adversum fuerat. Namque incautum et tamquam ad victos ruentem Vitelliani, interiectus equiti pedes, excepere. Pugnatum haud procul urbe, inter aedificia hortosque et anfractus viarum; quae gnara Vitellianis, incomperta hostibus metum fecerant. Neque omnis eques concors, adiunctis quibusdam qui nuper apud Narniam dediti fortunam partium speculabantur. Capitur praefectus alae Iulius Flavianus; ceteri foeda fuga conster-
80 nantur, non ultra Fidenas secutis victoribus. Eo successu
studia populi aucta; vulgus urbanum arma cepit. Paucis scuta militaria; plures raptis quod cuique obvium telis, signum pugnae exposcunt. Agit grates Vitellius, et ad tuendam urbem prorumpere iubet. Mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus, ut praetexto rei publicae concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere, aspernante milite conditiones pacis. Vulneratur praetor Arulenus Rusti-

4. *prel.* M^a. 5. *nanque* M^a. 8. *inconp.* M^a. 10. *aput* M^a. 11. *Iulius* A: M^a *tulius*, G .*T.* in rasura. *faeda* M^a. 13. *volgus* Or. 14. *rapti* M^a: G *raptis*. 15. *uitelliũ* M^a. 16. *vocatis* superscr. *o* M^a. 17. *rei.p.* M^a. 20. *condiones* M^a. *voln.* Or. *arulenius* GM^a.

mam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem, ita hostium copias minores quam fuere describunt.

Salaria via: haec a porta Collina in Sabinos duxit. Festus: *Salaria propterea appellabatur, quod impetratum fuerit, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari.* Adde Plin. XXXI 41 extr.

Cap. 79. *Saxa rubra* (*rothe Stein*): vicus in via Flaminia prope urbem. *Iulius* pro vulgato apud recentiores *Tullio* reposui, proxime secutus librum Mediceum (in eo *Tulius* vel potius *tulius*), et nomen illud in ducibus sociorum admodum frequens. *Fidenas:* per hanc civitatem via Salaria quinto lapide Romam tendebatur. De forma *Fidena* dictum ad IV 62.

Cap. 80. *vulgus urbanum*, h. e. populi pars tribubus non descripta: tribus enim iam ante (v. c. 58) delectu habito arma ceperant. Quod hoc loco *vulgus urbanum*, id H. I 4, III 74 *plebem sordidam* appellavit, eique *populi partem integram*, i. e. tribus, opposuit. Conf. annot. ad c. 58.

scuta militaria: scutum pertinet ad arma tegendo corpori, quibus statim adiunguntur *tela* ad

cus. Auxit invidiam, super violatum legati praetorisque nomen, propria dignatio viri. Pulsantur comites, occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus: et ni dato a duce praesidio defensi forent, sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. Aequioribus animis accepti sunt qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed duci plus auctoritatis. Miscuerat se legatis Musonius Rufus eque- 81
stris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus; coeptabatque permixtus manipulis, bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque, et aliis minitantibus, omisisset intempestivam sapientiam. Obviae fuere et virgines Vestales cum epistulis Vitellii ad Antonium scriptis. Eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura. Virgines cum honore dimissae; Vitellio rescriptum Sabini caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia. Temptavit tamen Antonius vocatas 82

2. *pulsantur* editor: M^a^ *palantur*, G *pallantur*. 6. *eq.* M^a^. 10. *caept.* M^a^. 12. *tedio* M^a^. 15. *eplis* cum lin. M^a^. 16. *supmo* M^a^. *certamine* M^a^. *interiecissecissent* M^a^. 19. *direpta* M^a^: G *dirempta*.

petendum hostem destinata. *Arulenus Rusticus*: v. ad Agr. 2.

pulsantur comites, occiditur proximus lictor: comites legati iratus miles trudendo aspernatur; inde ad lictorem legato proximum sive ad intimum comitem progreditur, qui turbam dimovere ausus occiditur. Quod librariorum errore per libros traditum est *palantur comites*, hoc ad describendam verum eius rei eventum minime aptum est: nam *palari* (*umherschweifen*, *irren*) tam a ceteris Latinitatis auctoribus quam a Tacito dicuntur, qui sua culpa vel sponte dispersi vagantur, non qui ab aliis in fugam pelluntur. Tacit. I 30 et 51, IV 48; H. I 68, III 17, IV 18 et 60 et 70 et 77. Itaque reposui quod a vulgata proxime abesse et narrationi unice convenire videbatur. In *ἀρχετύπῳ* levi aberratione si fuit PALSANTVR inversa V littera in A, pro illo ut substitueretur *palantur* proclive fuit.

in exteras gentes: paulo fortius est quam *apud exteras gentes.* Sic H. II 26 *in vulgus*, ubi praecedit *apud paucos.* Simile legati Romani periculum narratur I 39; ibi aquilifer legionis vim extremam arcet.

usque in exitium: h. e. ut exitium legati consequeretur.

Cap. 81. *Musonius Rufus:* cf. annot. ad XIV. 59. *et virgines Vestales:* v. Sueton. Vitell. 16.

ad contionem legiones mitigare, ut castris iuxta pontem Mulvium positis postera die urbem ingrederentur. Ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret. Sed omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant. Simul fulgentia per colles vexilla, quamquam imbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripertito agmine pars, ut adstiterat, Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit; tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat. Plebs invectis equitibus fusa; miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit. Proelia ante urbem multa et varia, sed Flavianis consilio ducum praestantibus saepius prospera. Ii tantum conflictati sunt qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos, per angusta et lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestae acies. Pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria: Vitelliani despe-

2. *mului* M^a^, *miluiū* G. cf. ad H. 2 89. *posterā* M^a^. 3. *prel.* M^a^. 6. *inb.* M^a^. 7. *tripertito* M^a^: G *tripartito*. 8. *adsisterat* M^a^, *ad sisteret* G, *astiterat* Puteolanus. 11. *pres.* M^a^. *occurit* M^a^. 12. *prest.* M^a^. 13. *sep.* M^a^.

dirempta belli commercia: Ernestius laudavit Virg. Aen. X 532: *belli commercia Turnus sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.*

Cap. 82. *iuxta pontem Mulvium:* de eius situ cf. ad XIII 47.

plebs invectis equitibus fusa: plebem ante pericula procacem via Flaminia prorupisse et in *medium* Vespasiani agmen incidisse ut cogitemus cetera suadent.

trinis et ipse praesidiis occurrit: exercitus oppidis tuendis destinati cum vulgo *praesidia* vocentur, tria praetorianorum agmina nunc hoc nomine denotantur. Cf. Agr. 25: *diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.*

qui in partem sinistram urbis — flexerant: hi non sunt equites Petilii Cerialis usque ad Fidenas reiecti, sed id agmen exercitus Flaviani quod *per Salariam Collinae portae propinquabat.* Cum scribit *in partem sinistram*, eos respicit qui *iuxta ripam Tiberis* quique *via Flaminia* incesserunt. A vero aberrat Beckerus Enchirid. Antiq. Rom. t. I p. 585. *Ad Sallustianos hortos* explicationis causa additum: nam illi horti dextri erant in Salaria via Romam ingredientibus, in convalli Quirinalis et montis Pincii; cf. Beckerus p. 583.

concurrere et in campo Martio infestae acies: est agmen Flavia-

ratione sola ruebant; et quamquam pulsi, rursus in urbe congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in 83
ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. Quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur: nam milite ad sanguinem et caedes obverso spolia in vulgus cedebant. Saeva ac deformis urbe tota facies. Alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes; quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum, prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla semel Cinna victoribus; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae. Velut festis

3. *hos rursus* M^a, in mg. a rec. m. post *hos* additur *modo; hos modo* G et Oxonienses, etiam editores usque ad Iac. Gronovium. 7. *volgus* Or. 8. *lacies* M^a: G *facies*. *alii pr.* M^a: correctum inest G. *volnera* Or. 9. *popineque* M^a. *cruoret et* M^a. 10. *quidquid* M^a: *quicquid* G (per comp.). 12. fortasse fuit *et ante*. 13. *silla* M^a.

norum quod in ripa Tiberis processit et praesidium Vitellianum huic oppositum.

rursus in urbe congregabantur: tria agmina extra urbem suo quidque loco pulsa in urbe rursus congregabantur. Iam apte lascivientis populi furor et immanis libido notatur.

Cap. 83. *hos, rursus illos:* eadem brevitate H. III 22 *his, rursus illis exitiabile.* *scortis similes:* sunt viri muliebria patientes.

conflixerant ante armati exercitus: particula *et* per litteram *t* verbi proxime praecedentis (*conflixerant*) hausta esse videatur. Sic solet Tacitus in rebus ex vetere memoria repetitis, veluti paulo ante (c. 72): *arserat et ante Capitolium.* Idem c. 51: *ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat.*

festis diebus: dies festi sunt Saturni, Ocriculi ab exercitu Vespasiani coepti atque etiamnum in urbe celebrati.

exultabant fruebantur: sunt verba, quae in ludicro certamine de spectatoribus dici solent; Theodisce *sie jauchzten auf, überliessen sich dem Genusse.* Fruebantur autem quamvis diro spectaculo tamquam amoeno et sibi grato. De libidine expleta et voluptate ab ipso spectante populo rapta noli cogitare: ad id licentiae miles tantum excessit.

Cap. 84. *in oppugnatione castrorum:* castra sunt praetoria, sinistra portam Collinam ingredientibus.

praecipuo veterum cohortium studio: veteres cohortes dicit praetorianos a Vitellio dimissos (H. II 67), qui novas a Vitellio scriptas

diebus id quoque gaudium accederet, exultabant fruebantur, nulla partium cura, malis publicis laeti.

84 Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quae acerrimus quisque ut novissimam spem retinebant. Eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem tormenta, aggeres falcesque, quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. Urbem senatui ac populo Romano, templa dis reddita: proprium esse militis decus in castris. Illam patriam, illos penates. Ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare, suprema victis solatia amplectebantur. Multi semianimes super turres et propugnacula moenium expiravere. Convulsis portis

3. *obp.* M[a]. 5. *prec.* M[a]. 7. *falcesque* editor: codices *facesque.* *quidquid* M[a]: *quicquid* G. 8. *periculis* M[a]: G *periculi.* *consumari* M[a]. 11. *paen.* M[a]. 13. *faed.* M[a]. 14. *sup̄ma* M[a]. *solacia* M[a]. 15. *convolsis* Or.

(H. II 93) tamquam iniuste et in suam iniuriam subiectas contemnebant odioque persequebantur.

testudinem tormenta, aggeres falcesque: sic haec distinguenda esse monitum ad XI 6. *Testudo* est *arietaria* (quippe admovetur), quam vocat Vitruvius X 19, magna vinea (*Schutzdach*) cum ariete ad concutiendum murum, non qualis describitur c. 27 et 28, facta scutis militum supra humeros elatis (*Schilddach*). *Aggeres* intellige acervos terrae raptim congestae ad tormenta ibi collocanda. Sed quid *faces*, ut vulgo scribitur? Num obsessores sua ipsi castra incensuri sunt? Immo sedem sibi propriam recuperare volunt. Num facibus propugnatores de vallo deturbaturi sunt? At illi inanibus telis, quales faces, minime cessuri erant. Faces in usu obsessorum ad opera obsidentium delenda, ipsis obsidentibus inutiles, nisi si delere incendio volunt quae expugnata sunt. Tacitus haud dubie *falces*, h. e. falces murales ad destruendas pinnas et detrahendos lapides ex muris circa castra ductis, perinde ut H. III 27, posuit: librarii litterulam unam omiserunt.

ni statim recipiantur: haec dicunt veteres cohortes, quia castra sibi inique erepta putant (*wenn das Lager nicht sogleich wieder erobert werde*).

inquietare victoriam — solatia amplectebantur: verbo finito et obiecto inde suspenso (*suprema victis solatia amplectebantur*) universim enuntiatur quod tribus enuntiatis cum infinitivo iunctis per partes expressum est. Germanice convertas: *Die Vitellianer beunruhigen den Sieg, verzögern den Frieden, beflecken Paläste und Altäre mit Blut, kurz es waren die letzten Trostmittel der Besiegten, nach welchen sie griffen.* Qua in re hoc

reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.

Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem Aventinum in domum uxoris sellula defertur, ut si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram vel quo maturius ludibrio eximeret, an

6. *Tarracinam* GM^a, non *Terrac.* 8. *pres.* M^a. 12. *latebras* M^a: G *latebra.* 13. *Placido* M^a: *placito* G. *poene* M^a. 14. *faedum* M^a. 16. *abstulerant* litt. *n* superscr. *t* M^a. 17. *ludibrio* GM^a: B *ludibus.*

praecipue tenendum est, non describi his verbis extremam illam castrorum expugnationem et desperationem, qua reliquiae Vitellianorum in castris cadebant: nam in castris neque domus erant neque arae visebantur, si unam in principiis positam excipiamus. Intelligas igitur aras templorum urbis et domos procerum, ad quas multi Vitellianorum profugientes aut ipsi se interfecerunt aut a victoribus iugulati sunt. Scilicet quae ante (c. 83) de Flavianis Vitellianisque simul relata sunt, ea copiosius et paulum immutata nunc de victis Vitellii partibus exponuntur. Ad castrorum expugnationem Tacitus revertitur verbis: *multi semianimes* cet.: *turres* enim et *moenium propugnacula* sunt quibus castra circumdata erant.

contrariis vulneribus, versi in hostem: versi in hostem ἐπεξήγησις est verborum *contrariis vulneribus:* nam *contraria vulnera* sunt, quae contra hostem obversis infliguntur quaeque *adversa* Sallustius vocavit Catil. 61: opponi possunt *aversa vulnera*, a fugientibus tergo vel in poplitem excepta.

Aventinum in domum uxoris: sibi Tacitus constat narrans congruentia c. 70: sed dissentit Suetonius Vitell. 16: *Aventinum et paternam domum clam petiit. Aversa Palatii pars* est domus Tiberiana: v. ad H. I 27.

pudenda latebra: hanc Suetonius c. 16 depingit in minutis rebus diligens: *confugitque in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane lectoque et culcita obiectis.* Dio LXV 20.

tribunum adpetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit
85 ac statim confossus est. Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. Una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit. Ac deinde ingestis vulneribus concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem.
86 Patria illi Luceria. Septimum et quinquagesimum aetatis annum explebat. Consulatum sacerdotia, nomen locumque inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere qui ipsum non noverant. Studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quaesita perinde adfuere quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas; quae, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum contineri putat, meruit magis quam habuit. Rei publicae haud

1. *adp.* M^{a}: *app.* G. 6. *una vox* GM^{a}: B *vox una.* 8. *volneribus* et mox *volgus* Or. 9. *pravitatẽ* M^{a}. 10. *patrem illi luceriã* M^{a}: correxit Oberlinus. G et alii *pater illi .L. Vitellius*, et sic editi ante Oberlinum. *etatis* M^{a}. 13. *eidẽ tulere* GM^{a}: tacite correxit Rhenanus. 17. *magnitudinẽ* M^{a}. 18. *continere* M^{a} et ceteri: correxit Acidalius. *rei.p.* M^{a}.

ducebatur: hoc proprie dictum accipe, h. e. laqueo trahebatur; v. Suet. l. c. *religatis post terga manibus, iniecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est.* Dio c. 21.

Cap. 85. *offerre contumeliis:* eas copiose describit Sueton. c. 17. Tacitus exigua omittit, potiora prudenter eligit.

Cap. 86. *Luceria:* Apuliae urbs est; vid. Liv. IX 2, Plin. III 16, Strabo VI c. 1 §. 14 et c. 3 §. 9. Conf. Sueton. Vitell. 1: *tempore deinde Samnitici belli, praesidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriae.* Ibi *Luceriae* legendum esse, ut suasit Oberlinus, *Apuliae* commemoratio demonstrat: *Nuceria* enim Samnitium civitas fuit, de qua Liv. IX 41.

consulatum sacerdotia, nomen locumque: sic distinguendum; v. ad XI 6.

contineri putat: quod libri praebent *continere putat*, modice corruptum est, neque id Latinis pro *continere se posse putat* dicere licuit.

meruit magis quam habuit: merere h. l. significatu deteriore positum est, veluti cum dicimus *corpore pecuniam merere, stipendia merere: er hat sich Freunde mehr gewonnen als er im Besitze derselben gewesen ist.* Quippe qui modo amici facti erant magnis muneri-

dubie intererat Vitellium vinci: sed imputare perfidiam non possunt qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent.

Praecipiti in occasum die, ob pavorum magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

1. *uinci* G : Mª *uicinis*. 4. *precipit* Mª : G *precipiti*. 9. *Corneli Taciti liber XVIIII. explicit. Incipit uicesimus.* Mª.

bus, iidem Vitellium subito mutabilem aut contempserunt aut veriti sunt, ut narratum H. II 92.

sed imputare perfidiam — descivissent: hoc dicit, quod Vitellius de imperio deiectus sit, rei publicae salutare fuisse, sed in eo casu nullam virtutem et meritum eorum agnoscendum esse, qui Vitellium Vespasiano prodiderint, Alienum Caecinam et socios designando (H. II 100 sq.): hos enim a Galba principe probo et innocente ad Vitellium longe deteriorem descivisse atque ostendisse sibi melioris imperatoris curam non fuisse. Itaque *imputare perfidiam* est tamquam egregium facinus approbare (*ihre Treulosigkeit in Rechnung bringen*), quo significatu idem verbum in Historiis I 38 et 55 et 71, II 60. Admodum incerta ad h. l. protulit Doederlinius, qui *impútare* explicat exprobrare vel obiectare, dein addidit: 'oblique perstringit opinor nescio cuius viri clari vel nobilis scriptoris de Vitellio iudicium, quem nominare aliqua de causa noluit, qui cum ipse duplicis perfidiae reus esset, simplicem Vitellii defectionem, si qua fuit, severius iusto incessiverat'.

praecipiti in occasum die: Liv. IV 9: *praecipitique iam die*, X 42: *praeceps in occasum sol*, XXV 34: *praecipiti iam ad vesperum die.*

Domitianum: Sueton. Dom. 1: *post victoriam demum progressus et Caesar consalutatus honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit.* Conf. H. IV 3 et 39.

LIBER QVARTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—11: initia novi principatus et status urbis. Interfecto Vitellio victores implacabili odio victos consectantur (1). Nomen sedem-

que Caesaris Domitianus accepit, sed ex paterna fortuna tantum licentiam usurpavit: summa potentiae in Antonio Primo. Lucius Vitellius se cum suis cohortibus arbitrio victoris permisit, dein interfectus est (2). *Capuae domus illustres afflictae legione tertia hiemandi causa ibi locata. Romae senatus Vespasiano cuncta principibus solita decrevit, tandem laetus et spei certus* (3). *Duces partium praemiis donati; Capitolium restitui placuit. Per eam occasionem Helvidius Priscus sententiam aliquoties prompsit, idque magnae gloriae et magnae offensae principium; vita eius et studia, et quali fortuna sit usus* (4—6). *Inter ipsum et Marcellum de mittendis ad principem legatis acre iurgium* (7—8). *Secutum aliud certamen: nam aerarii curam consul designatus cum principi reservaret, Helvidius arbitrio senatus agendum censuit; alia Helvidii sententia nimis libera* (9). *Publius Celer accusatus* (10). *Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. Calpurnius Galerianus occisus, Iulius Priscus praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus se ipse interfecit* (11).

Cap. 12—37: belli Germanici initia et progressus. Eius belli causae penes Batavos et Iulium Civilem (12—13). *Cum iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocatur, compositae seditionis auctores nomina dare popularibus dissuadent, Civilis primores gentis ad defectionem et arma hortatur* (14). *Canninefates partem insulae Batavorum colentes consilia sociarunt; horum dux Brinno accitis trans Rhenum Frisiis duarum cohortium hiberna irrumpit et excindit, ceterae cohortes in superiorem insulae partem congregantur* (15). *Iam Civilis Canninefates Batavos Frisios adversus Romanos ducit, prospero proelio vincit* (16). *Germani legatos misere auxilia offerentes Civili; ipse Galliarum societatem arte donisque affectavit* (17). *Flaccus Hordeonius, superioris Germaniae legatus, primos Civilis conatus per dissimulationem aluit, tum adversus hostem Munium Lupercum cum duabus legionibus misit. Fugati sunt Romani et legiones in castra quibus Veterum nomen se receperunt* (18). *Isdem diebus Batavorum cohortes iussu Vitellii in urbem pergentes nuntius a Civile Mogontiaci assequitur; spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere ut Civili iungerentur, in eo itinere castris Bonnensibus propinquantes Gallum primae legionis legatum fundunt* (19—20). *Cohortium adventu iusti exercitus ductor Civilis suos in verba Vespasiani adigit, mox hostem palam induit et Vetera expugnare conatur* (21—23). *Flaccus cognito castrorum obsidio Voculam cum vexillis legionum auxilio mittit, ipse navi secutus Bonnam venit, inde in coloniam Agrippinensium. Odiis militum impar Dillio Voculae permisit summam rerum, cui additus Herennius Gallus. Sed duces seditione militum varie impediti* (24—27). *Interea Civilem immensis auctibus universa Germania extollit, iamque vastari Ubios Trevirosque, et alia manu Mosam transiri iubet, obsidium legionum Veteribus se defensantium urget* (28—30). *Haec ante Cremonense proelium in Germania gesta, cuius eventum litterae Antonii Primi docuere. Civilis aperte desciscere a Romanis ausus Alpinium Montanum*

Trevirum in eadem traxit. Milites eius improviso impetu Voculam aggressi primo vincunt, mox pelluntur. Romanus nova pugna legiones et Vetera obsidione liberavit, sed Vocula omissis fugientium tergis victoriam corrupit (31—34). Civilis Vetera rursum circumsedit, etiam Geldubam prope sitam cepit, Vocula Novaesium concessit. Miles equestri proelio haud procul Novaesio superatus a Civile vertit iras in duces; Flaccus occiditur, Vocula per tenebras evasit. Adventante Civile legiones fugiendo sibi consulunt, dein secutae Voculam Mogontiacum obsidione Germanorum liberaverunt. Treviri adhuc fidi Romanis et hostili in Germanos animo (35—37).

Cap. 38—53: res urbis et ceterarum provinciarum. Vespasianus iterum ac Titus filius consulatum absentes inierunt. Ex Africa et de Lucio Pisone proconsule falsi rumores. Domitiani praetoris nomen epistolis edictisque praepositum, vis penes Mucianum. Is Antonii potentiam abolet, tertiam legionem in Syriam remittit, partem exercitus in Germaniam ducendam tradit. Restituti Caesare referente honores Galbae. Celer damnatus et Sorani ab ipso eversi manibus satisfactum. Alii delatores in senatu verbis lacessiti, in his Regulus frater Messalae a Montano, Marcellus ab Helvidio (38—44). Habita in senatu cognitio ob contumeliam illatam senatori (45). Militaris seditio prope exarsit, quam mitigavit Mucianus; funus censorium Flavio Sabino ductum (46—47). Piso Africae proconsul falso diffamatus interficitur (48—50). Vespasianus, dum prosperi undique nuntii concurrunt, adversam de moribus Domitiani famam accepit; Titi pietas deprecantis pro Domitiano. Urbis inopiae Vespasianus misso frumento succurrit (51—52). Cura restituendi Capitolii in Lucium Vestinum collata et coepta (53).

Cap. 54—86: bellum Germanicum et Gallicum acrius exardescit, sed copiis et ducibus ex Italia missis reprimitur. Audita per Gallias Germaniasque mors Vitellii bellum duplicavit: Civilis enim in populum Romanum aperte ruere, Vitellianae legiones imperatorem Vespasianum nolle; etiam Galli animos sustulere. Interfecto Hordeonio duces Gallorum conspirationem in civitate Ubiorum iniere; tentantur etiam Romanae legiones et nutant. Caeso Vocula vinctisque Gallo et Numisio legatis legionum ipsas pro imperio Galliarum Iulius Classicus adegit (54—59). Tutor Agrippinenses valida manu circumdatos, quantumque militum in superiore provincia in idem sacramentum impellit. Classicus Vetera ad deditionem invitat. Obsessi missis ad Civilem legatis vitam orantes iuravere, ut praescriptum, pro imperio Galliarum, mox a Germanis obtruncantur. Veledae virginis Bructerae auctoritas (59—61). Legiones sexta decima e Novaesio, prima e castris Bonnensibus in coloniam Trevirorum tendere iussae (62). Agrippinenses magno periculo sapienter se expediunt (63—65). Civilis societate Agrippinensium auctus Belgicae Galliae aliquot populos in fidem accepit (66). Interea Iulius Sabinus et Lingones a Sequanis fidem erga Romanos servantibus victi (67). Muciani missu egregii duces Petilius Cerialis et Annius Gallus datis ad

id viribus approperant, Mucianus ipse cum Domitiano in expeditionem accingitur. Qua fama et suopte ingenio Galliarum civitates ad mitiora inclinant. Tutor ad Bingium fusus (68—70). Cerialis Mogontiacum venit, unde ad Mosellam fluvium profectus Valentinum non procul a colonia Trevirorum victum cepit, Treviros militari alloquio castigat et erigit (71—74). Civilis autem et Classicus suo milite Cerialem noctu invadunt, castra irrumpunt, sed ducis Romani constantia et fortitudine repelluntur (75—78). Agrippinenses ad fidem erga Romanos reversi cohortem Civilis Tolbiaci dolo necaverunt (79). Romae Mucianus Vitellii filium occidi iubet. Antonius ad Vespasianum proficiscitur (80). Vespasiano in urbe Alexandriae multa miracula eveniunt; per eam occasionem de origine Serapidis (81—84). Domitianus et Mucianus ad bellum profecti antequam Alpibus propinquarent, prosperos ex Germania nuntios accepere. Muciano satius visum cum Caesare Lugduni subsistere (85). Ibi creditur Domitianus Cerialis fidem tentasse; abs quo elusus studium litterarum et amorem carminum simulavit (86).

1 Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat. Armati per urbem victores inplacabili odio victos consectabantur. Plenae caedibus viae, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos; si quem procerum habitu et iuventa conspexerant, obtruncare; nullo militum aut populi discrimine. Quae saevitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. Nihil usquam

1. *caep.* M[a]. 2. *inpl.* M[a]: *impl.* G. 4. *quenque* M[a]. *sors* GM[a]: corr. in B, etiam in C., si fides Broterio; is certe ex Beroaldo perperam refert *fors*, et illo auctore Waltherus cum Orellio. cf. Bentleius ad Horat. Serm. I 6 54. 6. *obtruncaret* M[a]: G *obtruncare.* 7. *seuit.* M[a].

Cap. 1. *armati per urbem victores:* arma ferre in urbe insolitum; hinc nomen *armati* praepositum ceteris. *caedibus:* Graece est *σφαγαῖς.* Numerus multitudinis copiam et molem denotat.

ac mox augescente licentia: imago aquae sive undarum augescentium locutionem obtulit. Verba *scrutari ac protrahere abditos* opposita prioribus *passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat.*

si quem — discrimine: hoc tertium additur, ut absoluta fiat species miseriarum; *proceros habitu et iuventa* milites esse opinabantur ex procera Germaniae iuventute in legiones aut cohortes ascitos. Cf. Germ. 4 et 20, H. IV 14.

dein verterat in avaritiam (*demnächst war sie umgeschlagen in Habsucht*): tempore plusquamperfecto perapte significatur, *saevitiam* cessisse ac satis expletam esse,

secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum vel, si resisteretur, causa caedis; nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta conclamationes, et fortuna captae urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandae victoriae impares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis; pax et quies bonis artibus indigent. Nomen sedemque Caesaris Domitianus 2
acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat. Praefectura praetorii penes Arrium Varum, summa potentiae in Primo Antonio. Is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere. Ceteri modestia vel ignobilitate ut in bello obscuri, ita praemiorum expertes. Civitas pavida et servitio parata occupari redeuntem Tarracina Lucium Vitellium cum cohor-

2. *domum* Mª: G *domuũ*. 3. *e* GMª: *ex* Puteolanus. 4. *pessimis* Mª, *proximi* G, in marg. *pessimi*. 5. *fortuna* G: Mª *fortunae*, Vertranius *forma*. 7. *accendo* Mª: G *accendendo*. 8. *inp.* Mª. 15. *ignouilitate* Mª. 17. *tarracinã* Mª. *L.* Mª.

avaritiam autem eius locum occupasse.

domuum: domos (*Palais*) intellige procerum ac divitum aedes; v. annot. ad I 73. *nec deerat — prodere*: conf. H. III 58: *nec deerat ipse — elicere.* Perinde H. I 36, IV 11.

lamenta conclamationes: conclamationes intellige clamores victorum, conspectis Vitellianis vel Vitellianorum amicis qui cum lamentis rapiebantur ad caedem, se et suos exhortantium. Nam sic opposita componuntur ex more Tacitino. Quod ut fieri facilius possit, commate seiunxi opposita ab enuntiato subsequente.

fortuna captae urbis: scripturam *fortuna* Ernestius in hunc modum impugnavit: '*fortuna captae urbis* ante declarata'. Sane fortuna captae urbis ante declarata est: nunc vero, cum pax restituta videretur, nihilo minus captae urbis fortunam durasse a scriptore expositum. Medicei scriptura *fortunae* prava assimilatione in peius flexa est ob sequens *captae*. Mire Waltherus et pedisequi opinantur fortunas urbis vindicari posse verbis Ciceronis pro Rosc. Am. 20: *ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis*; post red. in senatu 14: *bonos viros lugere malui meas fortunas quam suis desperare.* Scilicet priore loco de pluribus loquitur et recte ponit *fortunas*, altero *meas fortunas* accommodavit proximis *quam suis desperare.* Atque hoc licuit, quia cogitat de variis vitae suae casibus: sed nunc de certa quadam fortuna sermo est.

tibus extinguique reliqua belli postulabat. Praemissi Ariciam equites; agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere, et miles infelicia arma haud minus ira quam metu abiecit. Longus deditorum ordo, saeptus armatis, per urbem incessit, nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. Paucos erumpere ausos circumiecti oppressere; ceteri in custodiam conditi, nihil quisquam locutus indignum, et quamquam inter adversa, salva virtutis fama. Dein Lucius Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus.

3 Isdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, discordibus municipiorum animis magis inter semet quam contumacia adversus principem. Viso milite quies; et minoribus coloniis impunitas. Capuae legio tertia hiemandi causa locatur, et domus inlustres adflictae, cum contra Tarracinenses nulla ope iuvarentur.

1. *arciani* Mª: G *aricia̋*. 5. *septus* Or. 6. *voltu* et mox *volgi* Or. *plasus* Mª: G *plausus*. 7. *inm.* Mª. 8. *oppressere* Faërnus: Mª *praessere*, G *pressere*. 16. *inp.* Mª. 17. *illustres affl.* Or.

in turbas et discordias: h. e. *ut turbae fiant et discordiae.* Quae sequuntur *bonae artes*, eas nos dicimus *gute Eigenschaften.*

Cap. 2. *sedemque Caesaris:* est Palatium quo Domitianus, post victoriam ad *paternos penates* deductus, (H. III 86) mox transmigraverat; *acceperat* referendum ad senatus consultum die proximo post urbem reciperatam factum.

stupris et adulteriis: cf. Agr. 7. Sueton. Dom. 1.

occupari redeuntem: occupari est *intercipi* priusquam ad urbem accederet, ne novae turbae fierent. De Lucio Vitellio H. III 76—77.

Ariciam: ad viam Appiam, quae Terracinam ducebat, et *Aricia* et *Bovillae*, illa ab urbe sextodecimo lapide, hae decimo.

paucos — oppressere: vocalis *o* a praegressa (*circumiecti*) hausta eoque forma *pressere* nata est. Nam sermonem esse de caede eorum qui erumpere ausi sunt, ostendunt verba *ceteri in custodiam conditi.* Corrigo igitur quod dixi ad XVI 9, *pressere* h. l. scriptum esse pro *coërcuere.* Sed *premere* neque Tacitus neque alii scriptores posuere pro eo quod est *interimere* vel *caedere*, ut ostensum ad XVI 9, neque nunc sine obscuritatis vitio potest dixisse. Ascivi igitur lenem Faërni medelam.

adversis abstractus: conf. ad IV 13.

Cap. 3. *Capuae: Capua Vitellio fida* H. III 57. *Tarracinenses:* H. III 76.

Tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. Solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus in isdem anulis quos acceptos a Vitellio gestabat.

At Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit, laetus et spei certus: quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Aegyptum Iudaeam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur. Addidere alacritatem Vespasiani litterae tamquam manente bello scriptae. Ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia. Nec senatus obsequium deerat: ipsi consulatus cum Tito filio, praetura Domitiano et consulare imperium decernuntur. Miserat et Mucianus epistulas ad 4

2. *solacio* M[a]. 3. *uergilii* M[a], *uirgilii* G: *Virginii* Puteolanus. 13. *caeterum* M[a]. 14. *R P.* M[a]. 15. *consularẽ* M[a]. 16. *eplas* cum lin. M[a].

quos acceptos a Vitellio: Vitellius qui h. l. memoratur est princeps, non Lucius Vitellius, quamquam ipse, sed nomine principis, annulos et dignitatem equestrem isti servo concesserat. Lucium Vitellium Tacitus non sine praenomine vocasset.

cuncta principibus solita: quae hinc usque ad finem capitis 10 referuntur de imperio Vespasiani a patribus decreto, de honoribus principi et filiis amicisque collatis, de restituendo Capitolio, de legatis ad principem mittendis, de publica paupertate, de Publio Celere puniendo, haec uno senatus die, et quidem proximo post urbem reciperatam, acta sunt. Id cum ex ipsa narratione constat, tum ex verbis c. 10 *proximus dies causae destinatur* intelligitur. *Solita principibus* sunt *imperium, tribunicia potestas, nomen Augusti* cet. Cf. H. I 47, II 55. Ipsum consultum senatus *lex* vocata est, atque legis tunc latae fragmentum, repertum in tabula aenea Romae in Basilica Lateranensi, editum a Grutero p. 242 aliisque, in fine huius tomi expressum est.

quippe sumpta per Gallias — Syriamque: paucis verbis quae acciderant ab extremis Neroniani principatus mensibus usque ad alterum reciperatae Romae diem complectitur, *sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma* dicens Vindicis bellum et affectatum a Galba imperium, *motis ad bellum Germanis* Vitellii coepta, *mox Illyrico* Antonii Primi res gestas significando, reliquis *Aegyptum — Syriamque* illa in memoriam revocando quae Tiberius Alexander et Vespasianus ac Mucianus coeptaverant.

senatum, quae materiam sermonibus praebuere. Si privatus esset, cur publice loqueretur? Potuisse eadem paucos post dies loco sententiae dici. Ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate. Id vero erga rem publicam superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium donatumque Vespasiano iactabat. Ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erat. Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civium data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco et Arrio Varo praetoria insignia. Mox deos respexere; restitui Capitolium placuit. Eaque omnia Valerius Asiaticus consul designatus censuit: ceteri vultu manuque, pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. Ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem. Falsa abe-

1. *senatūs* M^a. 4. *rem.p.* M^a. 7. *erat* litt. *a* superscr. *n* M^a: G *erant.* 8. *civium* Walther: *civilium* M^a, *civili* G. 11. *respere* M^a: G *respexere.* *restitui* GM^a: *restituique* ACR. *Capitolium placuit* GM^a: *placuit Capitolium* Rhenanus.

praetura Domitiano et consulare imperium decernuntur: Sueton. Domit. 1: *honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus: nam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit.*

Cap. 4. *cur publice loqueretur:* attractionis et assimilationis (ad proxima *si privatus esset*) venia utitur pro *cur publice loqui* (cf. ad H. IV 76). Sic etiam c. 69. Aliter se habet H. IV 62: *quale illud iter? quis dux viae?* Nam verbum cum desit, accusativus legentem turbaturus erat. Inter secundam et primam directae orationis personam aliqua dubitatio XI 19 *cur hostem conciret? (cur — concis* aut *concit?)* XIII 42: qua *sapientia — ter milies sestertium paravisset (paravit* aut *paravisti).*

paucos post dies: cogitant patres de Muciani adventu et praesentia in senatu. *adulatio in aperto erat:* prave in M^a *erant* a correctore pro *erat,* prioris manus scriptura, substitutum est; *erat* aptius contraria membra distinet.

de bello civium data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur: fingebatur proprie et sueta significatione positum est: nam revera in Sarmatas expeditionem nullam susceperat Mucianus, sed Dacis (nunc illi *Sarmatae* generis nomine vocantur) rebellantibus sextam legionem opposuit: H. III 46. Verum et proprium Muciani meritum in civili bello partum erat animo et alacritate promptisque consiliis. Sed harum rerum nulla mentio in senatusconsulto: immo quoniam more vetusto triumphalia ob bellum civile non concedebantur, expeditio in Sarmatas praemii causa esse ferebatur.

ut honorificam in bonum principem: ipse de sua sententia ia-

rant, et studiis senatus attollebatur. Isque praecipuus illi dies, magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.

Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus 5
viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus, Carnico e municipio, [Cluvio] patre qui ordinem primipili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret,

3. *quia* G: M[a] *q* cum lineola, id est *quae* vel *qua*. 5. *Carnico e* editor: M[a] *regione Italiae Carecinae* et sic G, nisi quod *tarracinae*. 6. *cluuios patrē* M[a]: *cluuio patre* G. *Cluvio* glossam seclusit editor. 8. *ut* ante v. *nomine* deest M[a], adest in G.

ctavit, honorem a se quaeri bono principi. Sic ille c. 7: *pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi quos innocentissimos senatus habeat.* Vera distinctio in codice Guelferbytano, qui duplex punctum (hoc illi pro puncto) habet post *principem.* Plerique editores commate ibi contenti sunt, alii *ita* ante *falsa* interposuere, acceptum ex interpolato codice A.

et studiis senatus attollebatur: quod senatus in studia et partes diductus erat, aliis sententiam Helvidii probantibus, aliis repudiantibus, id incitamentum ei fuit quo acrius tueretur quae vera et bona ipsi videbantur. Non recte Orellius: 'se applaudere sententiae tam generosae manu vultuque significabat senatus'. Longe aliud tradit Tacitus c. 8 extr. Ego de *studiis* dixi ad Annales III 63. Locis ibi ascriptis adde proximum (c. 6): *ea ultio — senatum in studia diduxerat.*

magnae offensae initium et magnae gloriae fuit: gloriam sibi paravit prima sua sententia, qua nominatim ad Vespasianum legatos eligendos esse censebat (c. 6), *offensam* contraxit altera et potissimum tertia (9), *ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus.*

Cap. 5. *quia iterum:* primum in hoc opere meminit Helvidii H. II 91.

viri saepius memorandi: in his libris praeturam IV 53 memoravit et orationem in Marcellum c. 43, exilium caedemque in sexto nobis deperdito executus est: cf. Suetonius Vesp. 15. Dio ap. Xiphil. LXVI 12. In Annalibus a seniore Tacito compositis iuvenis Helvidii res et magistratus exposuit XII 49, XIII 28, XVI 28 et 33 et 35. Cf. annot. ad c. 6. Lipsius Helvidium a Tacito XII 49 nominatum alium fuisse ab hoc nostro statuit: quippe hunc quaestorem fuisse demum sub Nerone, praetorem sub Vespasiano, illum legatum legionis praetorium sub Claudio: sed non omnes legati legionum praetorii fuere, ut clarum ex II 36, neque XII 49 traditum a Tacito hoc est, Helvidium legatum legionis fuisse, sed ipsum legatum missum esse cum legione; erat legatio iuveni militari extra ordinem data, ut videtur.

Carnico e municipio: municipium Carnicum est *Iulium Carnicum* in sedibus Carnorum et radicibus Alpium Carnicarum positum. Plin. N. H. III 23: *Raetorum et Euganeorum Verona, Iulienses Carnorum.* Nomen *Tarracinae*, ut est in editionibus antiquis, non verum esse

sed quo firmior adversus fortuita rem publicam capesseret. Doctores sapientiae secutus est qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant. Quaestorius adhuc a Paeto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit, civis senator, maritus gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum con-
6 temptor, recti pervicax, constans adversus metus. Erant

1. *rem.p.* M[a]. 2. *sapientium* M[a]: *sapientie* G. 6. *nichil eque* M[a].

additum *municipio* arguit: ita enim urbem notissimam et saepe aliis in locis a se nominatam Tacitus non erat memoraturus. Ad veri vestigia nos duxit Bezzenberger coniectura *origine Iulio Carnico e municipio*, sed haec stilum Tacitinum minime sapiunt. Glossam esse *regione Italiae* cum Ernestio mihi certum est. Sed *Carnico e* postquam iunctum erat *Carnicoe* vel *Carnice* (= *Carnicę*, h. e. *Carnicae*), litteris aliter dispositis et *e* propter delicatam Italorum pronuntiationem inserta (*Car-e-cinae*), emersit monstrum scripturae *Carecinae*.

[*Cluvio*] *patre qui — duxisset*: coniunctivus dignitatem vel ordinem patris describit; talem fuisse patrem dicit cui ordo primipili ducendus tribueretur. Sed ea structura constare nequit, nisi si nomen *Cluvii* amovebitur: eo retento debet esse *duxit* vel *duxerat*, quod tamen reponere nemo audebit, *duxisset* autem manifestum vitium offerret. Neque Helvidii pater *Cluvius* vocatus est, nisi filius aliud nomen assumpsit, quod ipsum non credibile in novo homine, sed *Helvidius*. Pugnat adversus *Cluvium* etiam consuetudo scriptoris: nam Tacitus parentes parum illustres hominum qui claritudinem familiis suis intulerunt generatim designare, non vocare nomine solet. Sic de Tito Vinio H. I 48: *pater illi praetoria familia, maternus avus e proscriptis*. Perinde in altero opere III 30: *Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa*; 75: *Capito Ateius — avo centurione Sullano, patre praetorio*; IV 61: *Quintus Haterius, familia senatoria*; VI 39: *fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis*. Hanc rationem, ut patris dignitatem memoraret, nomen omitteret, etiam nunc Tacito placuisse, id ex modo subiunctivo certissime cognoscitur. Sed unde *Cluvius* venit? Hunc libri ἀρχετύπου glossator accepit ex H. IV 43: *Helvidius — a laude Cluvii Rufi orsus*; laudem ille prave intellexit *laudationem* et hanc a filio habitam esse credidit.

qui sola bona quae honesta — adnumerant: paucis sed admodum plene Stoicorum moralem doctrinam complexus est. *gener delectus*: v. XVI 28 et 29 et 35.

libertatem hausit: h. e. libertatem cupide petivit; cf. A. 4: *se in prima iuventa studium philosophiae acrius — hausisse*; H. I 51, III 2.

civis senator, maritus gener, amicus, cunctis: sic distinguenda sunt membra, ut communia iungantur: nam *civis senator* Helvidii rationem erga rem publicam, *maritus gener* erga proximos, *amicus* erga eos quorum similes mores exprimit.

Cap. 6. *erant quibus adpetentior famae videretur*: ex his sua

quibus adpetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur. Ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseae accusare adgreditur. Ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat: nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, et egregiis utriusque orationibus testatum. Mox dubia voluntate Galbae, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus, variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium.

Ceterum eo senatus die quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad principem legatos. Hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium. Priscus eligi nominatim a magistratibus iuratis, Marcellus urnam postulabat; quae consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli studium 7
proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. Paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quaerente Helvidio quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret: esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagi-

1. *adp.* Mª: *app.* G. 8. *dep̄cantium* Mª: G *deprecantibus.* 14. *nurnam* Mª: G *urnam.* 16. *crederentur* Mª: G *crederetur.* 18. *quer.* Mª.

et Helvidio iniqua hauserunt Suetonius et Dio in locis ante indicatis. Tacitino more de Helvidio Plinius Epist. VII 19 (quem idem IX 13 celebrat alius est, a Domitiano occisus), Arrianus Diss. Epict. I 2, IV 1. Schol. Iuvenal. V 36: *Helvidius Priscus, post damnationem soceri Paeti Thraseae, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus a Galba non aliter quam libero civitatis statu egit. Hic tam industrius fuit, ut cum sub Nerone Achaiam quaestor administrasset, civitates quaedam quas non adierat inclamarent αἱ ἡμεῖν* (l. καὶ ἡμῖν) *πρέπον. Hic postea Vespasianum ita studio libertatis offendit ut putaret, id optante avunculo Claudio, pristinum libertatis statum posse revocari: quo nomine reus, ac praeter spem absolutus est.*

quando — exuitur: sententia antiquitus celebrata et a Dioscoride ad Platonem relata ap. Athen. XI p. 507 D: ἔσχατον τὸν τῆς δόξης χιτῶνα ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῷ ἀποδυόμεθα, ἐν διαθήκαις, ἐν ἐκκομιδαῖς, ἐν τάφοις.

Marcellum Eprium — adgreditur: senatus consultatio et acris disceptatio h. l. memorata in finem anni post Christum 68 (821 ab urbe) incidit, h. e. ante id tem-

tiorum urgueretur. Sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. Pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures imperatoris imbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio; quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. Hoc senatus iudicio velut admoneri principem quos probet, quos reformidet. Nullum maius boni imperii instrumentum quam bonos amicos esse. Satis Marcello quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit: frueretur praemiis et impunitate, Vespasianum melio-
8 ribus relinqueret. Marcellus non suam sententiam impugnari, sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur; sufficere omnes obsequio. Id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus novo principatu suspensus et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum quibus natus sit,

1. *urgueretur* M[a]: *urgeretur* G. 2. *uitā* M[a]. 3. *rei.p.* M[a]. 6. *inb.* M[a]. 10. *inp.* M[a]. 11. *inp.* M[a]. 12. *inpunitatē* M[a]: G *impunitate.* 13. *inp.* M[a]. 20. *voltus* Or.

poris, quo Historiae Tacitinae inchoantur. Idem certamen iuvenis Tacitus in sermone suo *de Oratoribus* c. 5 celebravit.

ceterum: hac particula Tacitus revertitur ad narrationem c. 4 extremo intermissam. *quo de imperio Vespasiani censebant:* v. dicta ad c. 3.

Cap. 7. *proprius rubor*: *proprius* idem est quod *suus*, ut Cicero dicturus fuit; *rubor* pudorem significat, effectu posito pro causa.

per altercationem: nomen est eiusdem significationis cuius *iurgium* (Wortwechsel).

Sentio: non obscuri cuiusdam hominis, sed viri illustris et a Nerone caesi mentionem iniectam esse liquet. Sentii autem partes sub Nerone nullae. Malim igitur *Anteio*, ut littera *s* ex *Sorano* huic voci adhaeserit (*Santëio*); inde *Sentio* in M[a] et aliis, in reliquis *Senecio* vel *Senetio*. Anteius quidem non a Marcello perversus est (v. XVI 14), sed ab *Antistio Sosiano;* verum id ne de Sorano quidem dici potest, quem Ostorius Sabinus (XVI 30) in perniciem egit.

Cap. 8. *ne ambitioni aut inimicitiis locus esset: ambitio* respicit eos qui legationem obire cu-

quam civitatis formam patres avique instituerint; ulteriora mirari, praesentia sequi; bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus adflictum: saevitiam Neronis per eiusmodi imagines inlusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exilium. Denique constantia fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu qui simul servierit. Suadere etiam Prisco ne supra principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem, praeceptis coërceret. Quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Haec magnis utrimque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. Vicit pars quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem. Et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiae, si ipsi eligerentur. Secutum aliud 9

3. *qualescūque* M^a^. 4. *eiusmodi* M^a^: *huiusmodi* G. 12. *utrimque* M^a^: *utrinque* G. 14. *mallebat* M^a^. 15. *eode* M^a^.

piunt, *inimicitiae* dicuntur de illis a quibus legati eliguntur.

patres avique: etiam praesentem rei publicae statum non nudius tertius institutam esse, sed diu iam placuisse ac valuisse significat. *Ulteriora* fere idem quod alias *prius aevum* et *priores*, h. e. quae fuerint ante principatum ab Augusto ordinatum.

quam aliis exilium: voce *aliis* Helvidium invidiose notat. *se unum esse ex illo senatu: unum* propria pronominis vi (*ein einziger*) posuit, ut multos eadem secum conditione esse asseveraret.

suadere etiam Prisco — modum libertatis placere: est maligna benivolentia, in qua voluntas et studium adeo immodicum adversario suggeritur, ut vel ab inimico in viam reduci debeat.

Cap. 9. *secutum aliud certamen:* res eodem consessu deliberatas tradere pergit. Itaque non apte ante haec vulgo in novis editionibus inciditur.

nam tum a praetoribus tractabatur aerarium: hoc monuit, quod a Claudii principatu usque ad annum a Christo quinquagesimum sextum non *praetores*, sed *quaestores* aerario praefuerant, ut docetur in Annalium opere (XIII 29), tunc cum haec scripsit nondum composito. Si ulla re in suspicionem cadere ea verba possunt, ut visum est Ernestio, hanc ego in nomine *praetoribus* quaeram. Scilicet non *praetores*, sed *praetura functi* a Nerone et sequentibus imperatoribus praepositi sunt. Hos et nunc et perinde in Annalibus (I 75) *praetores aerarii* dici non mirum, sed eosdem nude *praetores* nominari, ut hoc altero loco factum videmus, paulum quidem me offendit, sed tamen sententiam cohibeo.

adiuvaret Vespasianus: conf.

certamen. Praetores aerarii (nam tum a praetoribus tractabatur aerarium) publicam paupertatem questi modum impensis postulaverant. Eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat: Helvidius arbitrio senatus agendum censuit. Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur. Censuerat Helvidius ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit: fuere qui et meminissent. Tum invectus est Musonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumventum arguebat. Ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. Sed vilis et nocens reus protegi non poterat: quippe Sorani sancta memoria; Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amici et eius, cuius se magistrum ferebat. Proximus dies causae destinatur. Nec tam Musonius

2. *erar.* M[a]. *inpensis* M[a]: G *impensius.* 6. *uulcacius* M[a]. *Tertullinus* M[a]: *tertulinus* G. 7. *absentes* M[a]: G *absente.* 14. *sca* cum lin. M[a]. 16. *amici et eius* editor: M[a] et ceteri *amicitiae.*

Sueton. Vespas. 15. *deinde oblivio:* novum est et rarum *oblivium*, dum *oblivia* saepius admissa sunt; v. Mar. Victorin. p. 2469.

Cap. 10. *a quo Baream Soranum — arguebat:* rem multis annis post in Annalibus executus est Tacitus XVI 32.

proditor — ferebat: vitium manifestum codicibus traditum (*amicitiae*) ita tueri voluit Waltherus, ut verba *cuius se magistrum ferebat* significent *ad quam institutione sua Sorano auctorem se extitisse ferebat.* Secutus est Orellius. Sed quis unquam dixit *amicitiae magistrum* pro *auctore ad ineundam amicitiam?* Magister amicitiae est qui amicitiam docet: verum Celer non amicitiae sed sapientiae doctorem se haberi voluit. Quis denique *corruptorem amicitiae* iuste nobis explicabit? Aliquanto propius ad verum accessit Lipsius, coniectando *amici et* pro *amicitiae* monstratisque Iuvenalis (III 116) verbis, *Stoicus occidit Baream delator amicum discipulumque senex.* Sed in ea coniectura primum non liquet, quomodo Celer *corruptor* (*der Verführer*) amici vocari iure possit, tum nova oboritur difficultas ex versu Iuvenalis. Nam quî tandem Iuvenali licuit discipulum Celeris appellare Baream, qui nulla disciplina ab illo institutus est, aut oppositorum nominum iunctura (*discipulumque senex*) adolescentem designare eum qui Celerem aetate aut superabat aut certe aequabat? Nimirum *grandem aetate* Tacitus Baream XVI 30 vocavit. Quid multa? Et Taciti verba et Iuvenalis versiculus corrupta adhuc circumferuntur. Apud Iuvenalem lege *delator amicum* d i s c i p u l a m-

aut Publius quam Priscus et Marcellus ceterique, motis ad ultionem animis, expectabantur.

Tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud 11
victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non princeps in civitate essent, Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. Fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas rimandis offensis sagax verterat se transtuleratque. Ille unus ambiri coli. Nec deerat ipse, stipatus armatis, domos hortosque permutans, apparatu incessu excubiis vim principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius Gai Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne et decora ipsi iuventa rumore vulgi celebrabantur, erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta qui principatus inanem ei famam

1. *motis adulationib* (*nib* corr. in *nẽ*) Mª, *motis adulationibus* G: emendavit Lipsius. 3. *partes* Mª: G *patres*. 6. *malae* Mª. 7. *voltu* Or. 9. *stipatis* Mª: G *stipatus*. 12. *cedẽ* Mª: G *caedes*. 14. *volgi* Or. 15. *ei* G: Mª *et*.

que senex. Amicus Celeris Stoici est Barea Soranus, discipula est Servilia Sorani filia, perfido Celeris consilio eo inducta ut magis dilargiretur pecuniam eosque consultaret de incolumitate domus suae, et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil triste afferret. Conf. Tacit. XVI 30. Scholiasta Iuvenalis ad VI 552: *hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareae Sorani, quamquam ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni.* Iam si revertimur ad Tacitum a me ex ipsis vestigiis scripturae corruptae restitutum, intelligemus vocem *proditor* pertinere ad nomen *amici* Bareae Sorani, *corruptor* ad *eius cuius se magistrum ferebat.* Sic verum corruptorem habemus ignarae puellae, cui suasit vetita et perniciem allatura, habemus *senem* magistrum discipulae viginti annos natae (Tacit. XVI 30). Illud autem memorabile mihi visum est et notabile, hoc uno loco sermonis obscuri vitium apud insignem stili artificem deprehendi. Nam qui rem a Tacito significatam aliunde non compertam habet, is *eius* et *cuius* masculino genere dictum contra scribentis propositum accipiet.

Cap. 11. *unus ambiri coli:* cf. Dio LXVI 2. *is fuit filius Gai Pisonis:* dicit Gaium Pisonem coniuratione in Neronem concitata nobilitatum: XV 48—59. Conf. H. IV 49. *infamiae — superfuit: superfuit* valet *superstes fuit*, ut H. I 22 *superfuturum* pro *superstitem futurum.*

Asiaticus (*etenim is libertus*) — *expiavit:* in scriptura vulgata *Asiaticus enim* (*is libertus*) *expiavit* particula *enim* non habet quo iuste referatur, quam ego olim liberius explicui sententia a lectore supplenda: 'idem Asiatico non licuit'. Sic potius *autem* vel *sed* require-

circumdarent. Iussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem, Appia via, fuso per venas sanguine extinguitur. Iulius Priscus praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus se ipse interfecit, pudore magis quam necessitate. Alfenus Varus ignaviae infamiaeque suae superfuit. Asiaticus (etenim is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

12 Isdem diebus crebrescentem cladis Germanicae famam nequaquam maesta civitas excipiebat; caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias, non ut mala loquebantur. Id bellum quibus causis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus, simulque insulam iuxta sitam occupavere, quam mare [Oceanus] a fronte,

2. *quadragensimum* Mª. 3. *Appia via* Mª: *via Appia* G. 5. *Alfenus* Mª: G *Alphenus*. 6. *infamieque* Mª. *Asiaticus (etenim is libertus)* editor: vulgo *Asiaticus enim (is libertus)*, et sic codices sine uncinis. 9. *mesta* Mª. *cesos* Mª. 15. *iuxta sitam* Walchius: *iuuata sit an* Mª, *inter vada sitam* G et Oxonienses et Vatic. 1958. *ocean;* (id est *oceanus*) Mª, *oceanũ* G: glossam seclusit editor.

batur: praeterea non sine dicendi infantia succedunt *is libertus*, quibus non opus post ea quae ante (H. II 59 et 95) relata sunt. Immo causa dicenda erat cur Asiaticus *servili supplicio* punitus, h. e. cruci affixus sit, et hoc fit adiectis verbis *etenim is libertus*. Vocis *etenim* in *enim* corrumpendae occasio haec fuit, quod parenthesis signis deficientibus *etenim* cum nomine *Asiaticus* perperam iungebatur et iam non Latine dici videbatur *Asiaticus etenim — expiavit*. Fortasse in codice unde descriptus Mª fuit *ē.enim*.

Cap. 12. Iam ab urbe in remotam terrarum partem rapit legentes, apte interpositis quae de primordiis belli Germanici (c. 12—37) eodem hoc anno flagrantis memoranda erant, de incrementis et reliquiis relaturus in rebus anni sequentis c. 54—79 et V 14—26. Conf. Dio LXVI 3. Iosephi Bell. Iud. VII 4 §. 2. Frontin. Strateg. IV 3.

nequaquam maesta: nimirum maioribus malis et praesentibus modo conflictati et suarum rerum etiam tum satagentes remotas parum respiciebant.

donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum: hic rerum habitus obtinuit aliquanto ante Iulii Caesaris administrationem provinciae Gallicae. Caesar enim Batavos iam invenit in sedibus a se partis B. G. IV 10. Conf. Taciti Germ. c. 29.

insulam iuxta sitam: recte Walchius (in Meletem. crit. Ien. 1809 p. 16) *iuxta* elicuit ex Medicei vestigiis *iuuata*. *Iuxta* breviter scripsit pro *ad dexteram*. Altera scriptura *inter vada* non congruit

Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis, societate validiorum, attriti viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere. Iulius Paulus et 13 Iulius Civilis, regia stirpe, multo ceteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit. Iniectae Civili catenae, missusque ad Neronem et a Galba absolutus sub Vitellio rursus discrimen adit, flagitante supplicium eius exercitu. Inde causae irarum, spesque ex malis nostris. Sed Civilis ultra quam barbaris solitum ingenio sollers, et Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit, missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere accita Vitellio auxilia et tumultus Germanici specie retentare legio-

2. *adtriti* M^a^, *atteriti* G. 4. *britt.* M^a^. *gloriā* M^a^. 5. *erant* GM^a^: correctum inest Harl. Reg. 6. *armae quosque* M^a^. 8. *Iulius* editor: Mª *Claudius*, G *cladius*. *multos* M^a^: G *multo*. 11. *adiit* B. 14. *haud annibalem* M^a^, *aut hanibalem* (in litura et a sec. manu) G. cf. H. 3 34. 17. *auerteret* M^a^: *auertere* pr G.

cum natura illius insulae, quae non *vadis* cincta est, sed altis fluminibus circumflua.

mare [*Oceanus*]: simulatque antiqua et vera scriptura ex M^a^ restituta est, glossa peritum fallere non potest. Suum *Oceanum* etiam mox (c. 15) addidit glossator. *Mare Oceanum*, ut in libris deterioribus, Tacitinum non est: nam in verbis I 9 *mari Oceano* alterum nomen est in appositione et servit explicationi. Nunc quod mare dicatur, ex adiunctis satis liquet.

Rhenus amnis — circumluit: Rhenum hoc loco dicit non modo eum qui proprie appellatur, sed simul Vahalem, qui cum Rheno insulam Batavorum circumluit. Cf. annot. ad II 6 et H. V 19.

nec opibus Romanis, societate validiorum, attriti: in libello eodem cum Historiis tempore edito, Germ. 29: *nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit.* Plerumque atteruntur invalidi cum validis societate iuncti: Batavis id non accidit.

diu Germanicis bellis exerciti: intelligas ea quae Drusus, Tiberius, Germanicus gessere; *mox* respicit tempora Claudii Caesaris et expeditionem Britannicam.

erat et domi delectus eques: *eques* opponitur cohortibus: nam in cohortibus non nisi pedes.

praecipuo nandi studio: effectum huius studii subsequens infinitivus *perrumpere* describit (*die mit vorzüglichem Eifer das Schwim-*

nes iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat, inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armato-
14 rum milia Italiam inrupissent. Igitur Civilis desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu iudicaturus, novare res hoc modo coepit. Iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. Rursus impubes sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia; et compositae seditionis auctores perpulere ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. Neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia haberi. Quando legatum, gravi quidem comitatu et superbo cum imperio, venire? Tradi se praefectis centurio-

2. *uespanum* M^a^. *rei p.* M^a^. 6. *caepit* M^a^. 7. *dilectũs* M^a^: G *delectum*. 8. *conquirendo* M^a^: *conquirendos* G. 9. *p̄tio* M^a^. *inp.* M^a^. 11. *compositi* GM^a^: correctum in Reg. 12. *dil.* M^a^. 13. *volgi* Or.

men betreiben, so dass die Schaaren mit Ross und Waffen in Reih' und Glied den Rhein durchbrechen). Cf. II 8. Agr. 18.

Cap. 13. *Iulius Paulus:* is Civilis frater erat, ut intelligitur ex c. 32. De Fonteio Capitone qui Paulum interfecit v. H. I 7.

Iulius Civilis: suo errore scriptor librarius libri Medicei, sono proximi nominis *Paulus*, ut videtur, in pravum deductus, *Claudium* nominavit pro *Iulio*: *Iulius* enim verum illi nomen non solum ab ipso Tacito Civili datum H. I 59, sed etiam a Plutarcho in Amatorio c. 25, a Frontino Strategem. IV 3 14.

sub Vitellio rursus discrimen adit: v. H. I 59. *simili oris dehonestamento:* uno oculo utebatur amisso altero. Cf. Liv. XXII 2, Iuven. X 158. Plutarch. Sertor. 1.

Primi Antonii litteris: cf. H. III 86, V 26.

Cap. 14. *iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocabatur:* v. H. I 61, II 97. *specie epularum sacrum in nemus vocatos:* conf. I 50—51. *neque enim societatem:* intellige *esse*; statim immutatur structura verborum.

praefectis centurionibusque: praefecti sunt cohortium auxiliarium, *centuriones* minores legionariorum duces. Cf. Agr. 22: *seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat.* Hi minores domini licentius agebant quam legatus

nibusque; quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. Instare delectum, quo liberi ab parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. Nunquam magis adflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam praedam et senes. Attollerent tantum oculos, et inania legionum nomina ne pavescerent. At sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientis. Ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi. 15 Magno cum adsensu auditus, barbaro ritu et patriis execrationibus universos adigit. Missi ad Canninefates qui consilia sociarent. Ea gens partem insulae colit, origine lingua virtute par Batavis; numero superantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra rettulimus, ac tum Mogontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni. Pater eius multa hostilia ausus Gaianarum expeditionum ludibrium impune

3. *ab* editor: M^a *ap*, G et vulgo *a*. 4. *sup̄mum* M^a. *affl*. Or. 5. *at tollerent* M^a. 7. *at*] litt. *t* legi vix potest in M^a. *Germanos* M^a, omittunt BG et Oxonienses. 8. *cupientis* ultimo *i* superscr. *e* M^a. 9. *inp*. M^a. 11. *ritus* M^a: G *ritu*. 12. *caninefates* M^a, sed duplex *n* praebet Mediceus antiquior Ann. 4 73 et M^a infra aliquoties. *consilias* M^a. 14. *pellexit* GM^a, non *perlexit*. *britt*. M^a. 16. *Mogontiaci* GM^a, non *Magontiaci*. *canin*. M^a. 17. *Brinno* M^a: G *brino*. 18. *inp*. M^a.

Germaniae inferioris cum gravi comitatu.

cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: si Romanis legionibus resistere ipsi non potuerint, hoc dicturos se esse, bellum pro Vespasiano adversus Vitellium motum esse. Cf. H. V 26.

Cap. 15. *universos adigit: sacramenti* nomen vel notio ex adiunctis intelligitur; cf. ad H. I 55.

ea gens partem insulae colit: ea pars fuit, quae in frontem Oceano, a dextro latere Rheno praetexebatur: nam proximi fuere Frisiis transrhenanis et in extrema insulae parte. Nominantur etiam IV 73, XI 18, a Velleio II 105.

ut supra rettulimus: v. H. II 69. *Gaianarum expeditionum ludibrium:* Germ. 37. Agr. 13. Suetonius Calig. 43—46. Dio LIV 21—23.

duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, inrumpit: quia proxima erant hiberna illa, *occupari* poterant antequam auxilium ferretur. Irrupit autem Brinno non classe (naves ante alteram victoriam defectoribus deerant; v. cap. 17) sed terra et ex sedibus Canninefatum, neque navium ulla significatio subest. Itaque vox *Oceano*, quae vulgo ante *irrumpit* additur, aut *διττογραφίας* errore nata ex *occupatu*, aut perperam

spreverat. Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit, impositusque scuto more gentis et sustinentium humeris vibratus dux deligitur. Statimque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, inrumpit. Nec praeviderant impetum hostium milites; nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur ac direpta castra. Dein vagos et pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant: quae a praefectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur: quippe viribus cohortium abductis Vitellius e proximis Nerviorum Gugernorumque pagis

16 segnem numerum armis oneraverat. Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos quod castella deseruissent: sese cum cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum, illi sua quisque hiberna repeterent. Subesse

1. *homine* Mᵃ, *omine* G: *nomine* Lipsius. *inp.* Mᵃ. 2. *umeris* Mᵃ. 4. *proxima occupatu* editor: *proxima occupata Oceano* Mᵃ, *proximo occupata oceano* G, *proxima occupatu Oceano* Lipsius et vulgo. 5. *pvidissent* cum *p* caudato (id est *providissent*) Mᵃ, sed paulo ante *praeviderant*. 6. *ac* Mᵃ: *et* G. 10. *superiorem — partem* Mᵃ: *superiore — parte* G et Oxonienses. 11. *insule* Mᵃ. 13. *Gugernorumque* editor: codices *Germanorumque*. 16. *sese* Mᵃ: *se* G. *Cannin.* Mᵃ: G *canin.*

addita est ab eodem qui c. 12 id nomen inseruit. A Tacito *Oceano* non esse etiam hinc cognoscitur, quod *Oceano* pro eo quod est *a parte Oceani* aut *per Oceanum* sive *in Oceano* Latine dici nequit.

signa vexillaque: signa cohortium, *vexilla* centuriarum.

Gugernorumque: Germanorum pagi, qui vulgo h. l. nominantur, nulli in proximo fuere, sed illi trans Rhenum agebant. Neque de incolis inferioris Germaniae, provinciae Romanae, cogitare licet: in eam enim varii populi coniuncti erant, et *pagi* non totius provinciae sed singularis civitatis gentisque nominantur. Neque de Tungris originis Germanicae gente recte acceperunt alii: eos enim constanter suo nomine Tacitus vocavit. Proximi vero Batavis et *Nervii* et *Gugerni:* v. H. IV 26, V 16 et 18. Itaque non dubitandum quin genitivus *Gugernorum* a librariis mutatus sit nomine ipsis magis cognito. Gugerni et Nervii Galliae Belgicae gentes fuere. Hinc parta victoria nulla *Germanorum* in captivis mentio iniecta est c. 17, sed nonnisi Galli nominantur, quo novo argumento comprobatur, *Germanorum* nomen h. l. vitio deberi. Rursus ipsi *pagi* Gugernorum nominantur H. IV 26.

Cap. 16. *cui praeerat:* hoc ex

fraudem consilio et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem eius belli sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quae Germani, laeta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiae parum cessere, ad vim transgressus Canninefates Frisios Batavos propriis cuneis componit. Directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno, et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc adpulerant. Nec diu certato Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit; perculsique milites inprovisa proditione a sociis hostibusque caedebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum e Batavis, tamquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. Mox contra tendere, et puppes hostili ripae obicere. Ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant donec universa quattuor et viginti navium classis transfugeret aut caperetur. Clara ea victoria in praesens, in posterum usui; armaque et **17** naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germaniae statim misere legatos auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat, captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo, cohortibus, abire an manere

2. *esse* G: M^a *ej* cum lin. transversa in *j*, id est *eius*. 5. *Cannin.* M^a: G *canin.* 6. *derecta* M^a: G *directa.* 7. *quasi* M^a: G *quas.* 8. *adp.* M^a: *app.* G. 10. *ced.* M^a. 11. *remigium* M^a: G *remigum.* *inp.* M^a. 12. *nautorum* M^a: G *nautarum.* 16. *pres.* M^a. 18. *Germaniae*] videtur fuisse *Germani.*

suo ore Civilis sermoni addit scriptor. *quae Germani:* Germani sunt auxiliares Frisii a Canninefatibus acciti.

Canninefates Frisios Batavos: Canninefates et Frisii illi sunt qui duce Brinnone tumultum excitaverant, Batavi Civilis cohors et si qui alii se aggregaverant. *directa ex diverso acies:* dicit aciem Romanam, in superiore insulae parte collectam et duce Aquilio ad Rhenum pugnantem.

et puppes hostili ripae obicere: ante naves in hostem *obversae* stabant, proditores *puppes* navium eo vertere quo ante prorae visebantur.

Cap. 17. *per Germanias Galliasque:* nomine *Germanias* complexus est superiorem et inferiorem in ripa sinistra Rheni et Germaniam proprie dictam.

Germaniae statim misere legatos: dicit Germaniae transrhenanae gentes, non superiorem inferioremque in laeva Rheni ripa, quarum fides nondum concussa. Sed Germania transrhenana alias apud Tacitum constanter numero singulari effertur et alter numerus pro-

mallent, data potestate. Manentibus honorata militia, digredientibus spolia Romanorum offerebantur. Simul secretis sermonibus admonebat malorum quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. Prima acie fusum victumque Romanum. Quid si Galliae iugum exuant? Quantum in Italia reliquum? Provinciarum sanguine provincias vinci. Ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Aeduos Arvernosque: fuisse inter Verginii auxilia Belgas, vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit. Esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Asiaque et suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos. Nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem sed Caesarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura etiam mutis animalibus datam, virtutem proprium hominum bonum. Deos fortioribus adesse. Proinde adriperent vacui occupatos, integri fessos. Dum alii Vespasianum alii Vitellium foveant, patere locum
18 adversus utrumque. Sic in Gallias Germaniasque intentus, si

12. *discipline* M[a]. 14. *siria asyaque* M[a]. 15. *gallias* M[a]: G *gallia*. *ante* G (per comp.): M[a] *an*. 17. *ces*. M[a]. 18. *naturā* M[a]. 19. *deos for* (in versus fine) *fortioribus* M[a]. 20. *arr*. M[a]. 22. *utrimque* M[a].

vincias Romanorum Germanicas vel has et antiquam Germaniam complectitur. Conf. H. IV 18 et 23 et 39 et 54. Agr. 28. Germania propria immenso locorum numero singulari nominatur, exceptis tamen duobus, hoc nostro et A. 15, neque causa cur Tacitus a numero multitudinis abstinuerit, in obscuro est. Quapropter h. l. *Germani*, non *Germaniae*, altero *Germaniam*, non *Germanias*, ab ipsa auctoris manu esse videatur.

esse secum veteranas cohortes: cohortes Batavorum Mogontiaci agentes et mox ad Civilem transgressas hic iam suas numerat. Interpretare: *mit ihm hielten es die alten geübten Cohorten.* De Batavorum fortitudine in pugna Bedriacensi v. H. II 43.

multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos: cogitat de tributis, quae Augustus septimum consul anno 727 Galliarum terris imposuit (Dio LIII 22), non de iis quae Iulius Caesar ante annos 120 instituerat.

destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit. Ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen trepidi nuntii adferebant, Munium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis praeerat) egredi adversus hostem iubet. Lupercus legionarios e praesentibus, Ubios e proximis, Trevirorum equites haud longe agentis raptim transmisit, addita Batavorum ala, quae iam pridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa. Sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Ubiorum Trevirorumque auxilia, foeda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani; et fuit interim

5. *Mummium* A. 8. *Trevirorum* GM[a], non *Trever.* *agentis* GM[a], non *agentes.* 10. *ptio* M[a]. 15. *pulsus* M[a]: G *pulsis.* 17. *cornū* M[a]. 20. *Treverorumque* nunc M[a]: G *treuirorum que.* *faeda* M[a].

Cap. 18. *is duarum legionum hibernis praeerat:* praeerat in hibernis quibus Veterum nomen; cf. c. 22. Legiones quinta et quintadecima fuere (c. 35) vel potius vexilla harum legionum auxiliis provincialium suppleta. Cf. H. I 55 et 61.

legionarios e praesentibus, h. e. ex hibernis Veteribus sumptos.

transmisit, i. e. traiecit in insulam Batavorum Vahalem transgressus.

in castra quibus Veterum nomen est: legionarii refugi Vahalem eodem ponte, quo in insulam transgressi erant, Vetera, quae in sinistra Rheni nondum divisi ripa, fugiunt.

oppidano certamine: eodem oppido uterque ortus erat, sed unde, nos ignoramus. Labeo in Frisios avectus regionem transrhenanam iam incoluit.

Cap. 19. *Batavorum [et Canninefatium] cohortes:* tot locis octo illae cohortes, legionis quartaedecimae auxilia, memorantur per hos libros, sed ubique *Batavorum cohortes* vel *Batavi* nominantur. Relege H. I 59 (*octo Batavorum cohortes*) et 64 (*Batavos*), H. II 27 (*cohortes Batavorum*) et 43 (*cum Batavis*) et 66 et 69 (*Batavorum*

effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est. Praefectus alae Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine aemulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares vel, si retineretur, semina discordiae praeberet, in Frisios avehitur.

19 Isdem diebus Batavorum [et Canninefatium] cohortes, cum iussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, et pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut adsequerentur, sed causam seditioni. Et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat quam ut acrius exposcerent quae sciebant negaturum. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere, ut Civili iungerentur. Hordeonius adhibitis tribunis centurionibusque consultavit num obsequium abnuentes vi coërceret. Mox insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu suppletae legiones angebant, statuit continere intra castra militem: dein paenitentia, et arguentibus ipsis qui suaserant, tamquam secuturus, scripsit Herennio Gallo legionis primae legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum

2. *pref.* Mª. 3. *emulus* Mª. *invidia* Mª: G *inuidiā*. 4. *avehitur* GMª: *advehitur* Reg. 5. *Cannin.* Mª: *canin.* G. *et Canninefatium* seclusit editor. 7. *p̄tium.* Mª. 8. *donativum*, non *donativom*, Mª. 11. *aliud* GMª, omittit B. 15. *auxiliorum auxiliorum* Mª. 16. *dilectu* Mª: G *delectu*. *angebant* GMª: *augebant* Spirensis. 17. *penitentia* Mª. 19. *herrennio* Mª: G *herennio*. *bonam* GMª.

cohortes), H. IV 15 (*Batavorum cohortes*). Etiam hoc ipso capite Batavi, item cap. 20 appellantur. Nusquam, exceptis his verbis, vestigium adest quo moneamur in illis cohortibus etiam Canninefates fuisse. Quapropter *et Canninefatium* ab aliena manu adscriptum esse iudico, et eius additamentum esse puto, qui Batavos et Canninefates communibus armis in Romanos invasisse modo legerat (c. 15 et 16) eoque utrosque ubique iunctos fuisse sibi persuaserat.

missus a Civili nuntius adsequitur: Batavi post cladem Othonis agmini Vitellii adiuncti (H. II 66), dein in Germaniam remissi erant (c. 69). Sed audita defectione Flavianorum cum auxilia Vitellius e Germania excivit (H. II 97), cohortes Batavorum verso itinere in urbem contendere iussae sunt. In eo itinere Civilis nuntius populares suos assecutus est Mogontiaci, ubi Hordeonius Flaccus legatus consularis superioris Germaniae; v. c. 15, de Hordeonio H. I 56.

augeri equitum numerum: ut ex

haesurum. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliisque litteris Gallum monuit nė terreret abeuntes. Unde suspicio sponte legatorum excitari bellum, cunctaque quae acciderant aut metuebantur, non inertia militis neque hostium vi sed fraude ducum evenire. Batavi 20
cum castris Bonnensibus propinquarent, praemisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. Nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellassent: longa atque inrita militia fessis patriae atque otii cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem legatum milites perpulerant, fortunam proelii experiretur. Tria milia legionariorum et tumultuariae Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus, omnibus portis rumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatae corporibus fossae; nec caede tantum et vulneribus, sed ruina et suis plerique telis interiere. Victores colonia Agrippinen-

2. *utrimque* M^{a}: G *utrinque.* 3. *inceptūs* M^{a}. *terreret* GM^{a}, *teneret* Rhenanus. 7. *bonnensibus* GM^{a}, non *bonens.* *herrennio* M^{a}: G *herennio.* 10. *irrita* Or. 11. *occurant* M^{a}. 12. *cunctem* M^{a}, *contantem* G. 16. *rumpunt* M^{a}: *erumpunt* G. fortasse fuit *prorumpunt.* *inp.* M^{a}. 18. *nostrorum aciem* GM^{a}: *aciem nostrorum* Rhenanus imprudenter. 19. *ballum* M^{a}. 21. *caedi* M^{a}: G *caede.* *volneribus* Or. 22. *interire* M^{a}: *interiere* G.

peditatu cohortium plures in equites allegerentur, aucta stipendia merituri.

Cap. 20. *castris Bonnensibus:* imperante Augusto et Tiberio principe legio prima in *civitate Ubiorum* vel ad *aram Ubiorum* tendebat (cf. ad I 39), quae post colonia Agrippinensium, sed tunc Bonna vel castra Bonnensia nondum erant. Interiecto tempore in regione Bonnensi nova castra posita, quae oppidi ibi nascentis occasionem praebuere.

tria milia legionariorum: etiam primae legionis multi milites in Italiam a Vitellianis abducti. Hinc eius legionis non nisi tria milia h. l. numerantur.

omnibus portis rumpunt: sanam esse scripturam non credo, sed optio inter *erumpunt*, ut in G, atque *prorumpunt* quod ego praetulerim; cf. 34: *illi omnibus portis*

sium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense proelium excusabant, tamquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsi consuluissent.

21 Civilis adventu veteranarum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit, mittitque legatos ad duas legiones quae priore acie pulsae in Vetera castra concesserant, ut idem sacramentum acciperent. Redditur responsum, neque proditoris neque hostium se consiliis uti: esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos; proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris poenas expectaret. Quae ubi relata Civili, incensus ira universam Batavorum gentem in arma rapit. Iunguntur Bructeri Tencterique et excita nuntiis Germania ad praedam
22 famamque. Adversus has concurrentis belli minas legati legionum, Munius Lupercus et Numisius Rufus, vallum murosque firmabant. Subversa longae pacis opera, haud procul castris in modum municipii extructa, ne hostibus usui forent. Sed parum provisum ut copiae in castra conveherentur: rapi permisere. Ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt

1. *bonense* GM^a. 3. *consiluissent* M^a. 11. *supmum* M^a. 12. *arbitrium* GM^a: *arbitrum* Bodl. a sec. m. et Puteolanus. *merita* M^a: G *meritas*. 13. *paenas* M^a. 14. *armă* M^a. 16. *concurrentis belli* GM^a: *belli concurrentis* Rhenanus. 18. *longe* M^a. 19. *im* M^a. 20. *ut* Lipsius: M^a *ui*, G et alii *ni*.

prorumpunt. Ex ,*prumpunt* (=*prorumpunt*) videtur resedisse *rumpunt.* Hoc a Tacito pro composito verbo admissum esse non probabit II 17 *illa rupturus*, h. e. perrupturus obstantes sive hostium aciem: nam ibi *rumpere* propriam suam vim habet. *veteres militiae:* v. annot. ad I 20.

Cap. 21. *perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret:* cum tumultus a Canninefatibus coepisset ac Civilis paulo post easdem partes amplexus esset, contumeliose Civilem *perfugam* nominant. Forma *arbitrium* pro *arbitrum* ex compendio prave resoluto me iudice nata est, perinde ac XIII 14. Nam quod Livius XXIV 45 *libera de quoque arbitria agere* et XLIV 15 *Rhodios — arbitria belli pacisque agere* (locos indicavit Forcellinius) scripsit, nihil valet ad *arbitrium* Tacito nunc vindicandum: Livius enim de arbitriis vere edendis loquitur, Taciti milites arrogantem simulatorem, qui histrionis in modum arbitri partes agat, conviciis petunt.

Cap. 22. *longae pacis opera:*

quae adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens, utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite. Simul naves in adversum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. Et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum tuebantur. Sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata et bello ministra aderat. Pars 23
castrorum in collem leniter exurgens, pars aequo adibatur. Quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque unquam id malorum ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. Inde non loco neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes. Post ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium inrita haerebant et desuper saxis vulnerabantur, clamore atque impetu inva-

5. *amnen* Mª. 6. *deprompte* Mª. *lucisque* Corb. et Lipsius: *luusgue* (non *iuusgue*) Mª, *iugisque* G, *lucisve* R. 7. *mixta* Mª: *iusta* G. *civili* Mª: G *ciuilis*. 8. *obp*. Mª. 10. *quinque* G: Mª *V*. *armatorum Romanorum* Mª: *armatorum* cum B Rhenanus. 13. *p̄mique* Mª. *Aug*. cum lin. Mª. 14. *obp*. Mª. 19. *irrita*, mox *voln*. Or.

h. e. opera quae tantum in pace struuntur et usui sunt, veluti nobilium divitumque domus, horrea, balnea, valetudinaria, popinae, alia eius generis.

utramque Rheni ripam — Germanorum catervis complet: ipse Civilis in sinistra ripa adversus Vetera incedebat, sed simul utramque Germanorum catervis complevit ad augendam speciem. *hinc veteranarum cohortium signa: hinc* est ab ea parte ubi robur Batavorum et cohortium signa, *inde* ubi Germanorum multitudo et signa gentium Germanicarum propria; v. Germ. 7.

mixta belli civilis externique facie: bellum civile dicit, quod auxiliaribus Romanorum armis signisque geritur, *externum* quod praeter octo cohortes Batavorum ceteri hostes inferunt.

quinque milia armatorum: componuntur ex una parte *armati*, ex altera *inermis* lixarum multitudo. Hoc qui tenuerit, non tolerabit Medicei *armatorum Romanorum*, ubi nomen inane *Romanorum* ex *armatorum* imprudenter repetito et pone syllabam *um* truncata (*rmatorum*), mox prave correcto provenit. De vocabulo *armatorum* et frequenti eius usu apud Tacitum

sere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. Scandebantque iam quidam, cum gladiis et armorum incussu praecipitati sudibus et pilis obruuntur, praeferoces initio et rebus secundis nimii. Sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi. Nec ulla ipsis sollertia: perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere, ut alii superstantes tamquam ex aggere proeliarentur, pars intus occulti muros subruerent. Sed excussa ballistis saxa stravere informe opus. Et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae, ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum imbellis turbae. Simul ex inopia proditio et fluxa ser-
24 vitiorum fides ac fortuita belli sperabantur. Flaccus interim cognito castrorum obsidio, et missis per Gallias qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculae duoetvicesimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret, ipse navi vectus, invalidus corpore, invisus militibus. Neque enim ambigue fremebant emissas a Mogontiaco Bata-

1. *adp.* M^a^ : *app.* G. *tustudinem* M^a^. 2. *scandebanque* M^a^. 7. *materias* GM^a^ : *machinas* Reg. 9. *occultis muro* M^a^ : G *occulti muros.* *ballistis* M^a^ : *balistis* G. 11. *astae* M^a^. *obp.* M^a^. 14. *inb.* M^a^. 17. *e* deest GM^a^ ; insertum est in Corb. et a Pichena auctore Mureto. *duoetvicensimae* M^a^. 19. *navi vectus* editor : M^a^ et alii *navibus*, G *pavidus.* 20. *ambiguae* M^a^. *p̄mebant* (*praemebant*) M^a^ et ceteri: tacite correxit Rhenanus. *Mogontiaco* M^a^ : *magonciáco* G.

dictum ad XII 33. *Armati Romani* iuste dicerentur, si aliarum gentium armati compositi essent.

Cap. 23. *obsideri premique Germanias: Germaniae* h. l. tam provincias Romanas in Gallica ripa quam Germaniae proprie dictae terram comprehendunt, ut monitum ad c. 17.

non loco neque munimentis labor additus: munimenta et vallum sine labore et parum diligenter posita erant, locus non praerupte excisus aut terrae aggestu in altum editus.

gladiis et armorum incussu: gladiis scutisque militum in vallo consistentium; *arma* intelligi clipeos vel *scuta* additum *incussu* argumento est; cf. c. 29, ubi *propellere umbone* idem denotat.

Cap. 24. *celeraret, ipse navi vectus, invalidus corpore, invisus militibus:* malo successu Pichena scribendum suasit: *ipse pavidus, invalidus corpore, inv. mil.,* quo gravius ulcus vix ac ne vix quidem obtegitur. Sic enim de Flacci e Mogontiaco profectione nullum verbum praecedit, et tamen ille

vorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. Non Primi Antonii neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse. Aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum obscura eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo iubere quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi. Quin potius interfecto traditore fortunam virtutemque suam malo omine exolverent. His inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro contione recitavit, vinctosque qui attulerant ad Vitellium misit. Sic mitigatis animis Bonnam, 25
hiberna primae legionis, ventum. Infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iussu directam adversus Batavos aciem, tamquam a Mogontiaco legiones sequerentur; eiusdem proditione caesos, nullis supervenientibus auxiliis.

6. *quidquid* M[a] : *quicquid* G. 8. *proditore* Ferrettus et Ursinus: malim *tardo ductore*. 9. *homine exsolverent* (non *exsolveret*) M[a]: G *omine exolverent*. 12. *bonam* M[a]: G *bonnā*. 14. *derecta* M[a]: G *directā*. 15. *Magontiaco* nunc M[a] et pr G, corr G *magontiace*.

mox Bonnam pervenisse scribitur. Plena sententiae lux redit tenebris, si *navi-bus* solvitur *navi rectus*. Scilicet pedibus aeger et invalidus corpore terrestris itineris molestiam parum tolerans navem conscendit, qua Bonnam pervectus est, dum legionarii in ripa proficiscuntur ibique fremunt, quae statim referuntur. Nunc demum in sequentibus iustus narrationis ordo emergit, qui alioqui magnis difficultatibus implicitus tenetur. In antiqua scriptura qualem cogitamus (*naui uectus*), subsequentis vocis priore syllaba a proxima hausta, resedit *nauitus*, unde pronum erat facere *navibus*.

e cubiculo et lectulo: dicunt cubiculum et lectulum navigii Flaccum Mogontiaco Bonnam deferentis. Etiam haec verba a correctione modo proposita lumen nanciscuntur.

interfecto traditore — malo omine exolverent: frementes milites Hordeonio Flacco paulo ante vitio verterant, quod cohortes Batavorum Mogontiaco emiserat eoque Civili tradiderat: idem de se ne fiat timent, ne propterea *traditorem* illum nominant. *Malum omen* Hordeonius est propter nomen infaustum: eius enim nomine recordatio verbi *flaccere* et *flaccescere* excitata est: H. IV 53; *ingressi milites quis fausta nomina felicibus ramis*. 82: *divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est*. Haec a me olim scripta repetivi, quod aliis ea placuisse video: nunc mihi non satisfaciunt, non modo quod *traditor* apud bonos Latinitatis auctores *proditor* non dicitur, sed magis ob vitium obscuritatis in *malo omine* involutum. Ipsa mali ominis causa eo nomine significata

Ignota haec ceteris exercitibus, neque imperatori suo nuntiari, cum accursu tot provinciarum extingui repens perfidia potuerit. Hordeonius exempla omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit, instituitque pessimum facinus, ut epistulae aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi quam ducibus legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret. Motusque Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem, adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuvabant: mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos armatae spe libertatis et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant. Quin idem ille arguebat ultro conscientiam ducis, tamquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur. Conscendit tribunal Vocula mira con-

2. *adc.* M[a]. 3. *exempla* editor: GM[a] et alii *exemplares*, AR *exemplaria*. 4. *britt.* M[a]. 5. *eplae* cum lin. M[a]. 7. *siditiosis* M[a]. 11. *arma* (non *armai*) M[a]: G *armatae*. 14. *indiderat* GM[a]: *indiderant* Puteolanus.

erat, quod latet in corrupto *traditore* vel *proditore*: nam proditor quoque malum omen per se non est. Iam si fuit *tardo ductore*, Hordeonius pedibus aeger et in lectulo stratus, tamquam alter Philoctetes, re vera malum omen erat. Corruptionis occasio non in obscuro est: nam prima syllaba nominis *ductore* a simili praecedente deleta, supererat *tardotore*, unde corrector *traditore* fecit. Ceterum forma enuntiati, quamvis a particula interrogante inchoati, magis est adhortativa quam interrogativa. Hinc *exolverent* dedit narrator, non *exolvi* (in directa rogatione *quin — exolvimus?*); vid. ad H. IV 76.

Cap. 25. *Bonnam, hiberna primae legionis, ventum:* Bonnam venerunt, Vocula cum exercitu electorum per ripam, Flaccus navi vectus. Hoc in vulgata scriptura capitis antecedentis non agnoscitur et narratio obscura est.

exempla omnium litterarum: *exemplares* codicis M[a] aliorumque scripturam ita natam esse existimo, ut ex voce *litterarū* resideret nescio quomodo improba terminatio *res* et voci *exempla* perperam iungeretur. Certe ex Frontonis *exemplares eorum excerptorum nullos feci* Epist. II 5 p. 160 ed. Rom. et ex Macrobii Somn. Scip. I 8 *exemplares virtutes* apud Tacitum *exemplares omnium litterarum* male defenduntur. *ἀπόγραφον* litterarum a rerum scriptore, quem hic noster imitari solet, *exemplum* vocatur, non *exemplar*: Sall. Catil. 34 et 44.

iracundia legionum: *legiones* nunc dicit *primam legionem* Bonna abductam et electos ex legionibus superioris exercitus. Apud Agrippinenses tunc nullae legiones ten-

stantia, prensumque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit. Et dum mali pavent, optimus quisque iussis paruere. Exin consensu ducem Voculam poscentibus, Flaccus summam rerum ei permisit. Sed discordes animos multa 26
efferabant, inopia stipendii frumentique et simul delectum tributaque Galliae aspernantes, Rhenus incognita illi caelo siccitate vix navium patiens, arti commeatus, dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent, eademque de causa minus frugum et plures qui consumerent. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque et vetera imperii munimenta desererent. Quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur.

Ingressis Novaesium sexta decuma legio coniungitur. Additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus; nec ausi ad hostem pergere, loco cui Gelduba nomen est castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. Utque praeda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus.

1. *prensumque* M^{a}: *prehensum que* G. 3. *exim* M^{a}. *consensũ* M^{a}. *flaccũ* M^{a}. 4. videtur fuisse *animis*. 5. *efferebant* GM^{a}: *efferabant* primus Beroaldus. *dil.* M^{a}. 13. *di* cum lin. M^{a}: G *dei*. 14. *Novaesium*] Orellius expressit vulgatam *Novesium*, nulla ad h. l. enotata scripturae discrepantia, sed *ae* in eo nomine notatum ab eodem H. 4 33 et 35 et 36 et 57 et 62 et 70 et 79, nihil relatum ad H. 4 77, 5 22. *sexta decuma*] M^{a} *xuj*, G *tercia decima*. 16. *cui* deest GM^{a}: suppletum in Reg. Harl. 20. *Vocula* M^{a}: *a Vocula* G et Oxonienses, *Voculae* A.

debant: nam ex legionibus inferioris exercitus duae (V et XV) in castris, quibus Veterum nomen, *prima* in hibernis Bonnensibus modo fuit, *sexta decuma* ingressis Novaesium demum iungitur.

Cap. 26. *discordes animos:* quod conieci *discordes animis*, non temere factum: sic enim internus animorum habitus discordia aegrotans et quae extrinsecus accesserint ad alendas turbas egregie ac more Tacitino componuntur. Conf. H. III 15: (Antonius) *discordes animis — adgredi* statuit.

vado arcerent: vado idem est quod *locis vadosis*, h. e. ubi facile transiri poterat. *Herennius Gallus:* fuit legatus primae legionis; v. c. 19 et 27 et 59 et 70 et 77.

sexta decuma: post primam legionem c. 19 nominatam et castris Bonnensibus hibernantem, tum post quintam et quintam decumam Ve-

27 Pars cum Herennio Gallo permansit. Forte navem haud procul castris, frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gallus misitque subsidio cohortem. Auctus et Germanorum numerus, paulatimque adgregantibus se auxiliis acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam sed perfidiam legati culpabant. Protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere iubent. Redit in Hordeonium invidia. Illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant, donec exitium minitantibus exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit; vinctusque adventu demum Voculae exolvitur. Is postera die auctores seditionis morte adfecit. Tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque. Haud dubie gregarius miles Vitellio fidus, splendidissimus quisque in Vespasianum proni. Inde scelerum ac suppliciorum vices et mixtus obsequio furor, ut contineri non possent qui puniri poterant.

28 At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. Ille, ut cuique proximum, vastari Ubios Trevirosque, et alia manu Mosam

6. *arripiunt* priori *r* ab eadem m. superscr. *b* M^a^. *tum imorem* M^a^. 9. *p̄tio* M^a^. 15. *patientieque* M^a^. 16. *splendissimus* M^a^. 19. *inm.* M^a^. 21. *Trevirosque* M^a^ et G (*treuiros que*), non *Treverosque*. *alia manu* GM^a^: *aliam manum* Freinshemius.

teribus tendentes (v. cap. 35) ex quattuor exercitus inferioris legionibus (vid. II. I 55) reliqua erat *sexta decuma*, et ipsa, ut ceterae omnes, non plena, milite externo suppleta. Nulla igitur dubitatio quin eius nomen vere h. l. expressum sit.

in proximos Gugernorum pagos: de *pagis Gugernorum* iam supra c. 15, si quidem recte nomen restitui, legimus. Inter *Ubios* et *Batavos* eos coluisse et ex h. l. liquet et a Plinio (N. H. IV 31) confirmatur: *hinc Ubii, Colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi.*

ductus a Vocula exercitus: ducem fuisse *Voculam* ex adiectis *pars cum Herennio Gallo permansit* sponte liquet; quo cum accedat quod libri nutant inter *Vocula, Voculae, a Vocula,* fortasse ex glossa id nomen ortum est.

Cap. 27. *perfidiam legati:* legatus est primae legionis Herennius Gallus. Huic irascuntur quod pauciores magnis hostium copiis obiecerit. Eadem occasione utuntur, ut veteri in Hordeonium invidiae satisfacere possint.

Cap. 28. *immensis auctibus:* metaphorice dictum, similitudine

amnem transiri iubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret. Actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria [Romanorum nomen] Agrippinenses vocarentur. Caesae cohortes eorum in vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievere Ubii quo minus praedas e Germania peterent, primo impune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contusis Ubiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire, detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. Nec finem labori nox attulit. Con- 29

1. *transiri* corr M[a]: *transire* pr M[a] et G. 3. glossam *Romanorum nomen* seclusit editor. 6. *predas* M[a]. 7. *inp.* M[a]. 11. *penetrarent* inter litteras *en* superscr. *t* M[a], unde G *penetraret*. 14. *concestis* M[a]: AG *congestis*.

sumpta a fluminibus undisque; cf. H. I 12, IV 63.

Morinos et extrema Galliarum: et extrema Galliarum per epexegesin addita: nam Morini in extrema parte Galliae Belgicae ad fretum Gallicum Britanniae obiectum. Virgil. Aen. VIII 727: *extremi hominum Morini;* Mela III 2: *ad ultimos Gallicarum gentium Morinos;* Plinius IV 30 et 31 et 37, XIX 2.

eiurata patria — Agrippinenses vocarentur: antiquum genti nomen fuit *Ubii*, novum *Agrippinenses*, quo libenter et cum studio vocabantur. Germ. 28: *Ubii —, quamquam libentius Agrippinenses — vocentur*. Novum nomen esse Romanum Romanis lectoribus tam notum, ut addita verba *Romanorum nomen* plane superflua sint et brevitatis amanti odiosa. Ad desidiam accedit insolentia structurae Latinis inauditae; ac tantum abest ut verba ex Germania (6 *idque ipsum inter se vocantur*) a Doederlinio mihi opposita adhiberi iuste possint ad haec vindicanda, ut, cum Latine dicamus *id assentior*, *id irascor*, eodem iure vitium *assentior proelium* pro *de proelio assentior*, et *virtutem irascor* pro *de virtute irascor* tueri quis posset. Neque ab eodem viro docto recte comparatur ex Sophoclis Phil. 605: *ὄνομα δ' ὠνομάζετο Ἕλενος*. Nam hic non est *nomen vocatur Agrippinenses*, quod idem ac *nomen eis est Agrippinenses*, ut Agrippinenses subiectum sit praedicati, ut grammatici loquuntur, sed *Ubii — Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur*, quod pessimae Latinitatis est. Nec vero locutio *nomen ego Ausonius*, quam comparat Iac. Gronovius, Latine dici *nomen vocari* probat. Itaque vix quidquam restat, nisi ut cum Guelferbytano *nomine* scribamus. Sed id quidem cum manifesto ex *nomen* ab interpolatore factum sit, equidem cum

gestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili, et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. Tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere artus. Nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. Ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere

3. *pspicuum* cum lin. transversa in litt. *p*, superscr. *c* cum lin. ab ead. m. Mª: G *conspicuam*. 4. *et fulgens* Mª. 7. '*casus incerti* omittit Mª, cuius margo *corsus incepiti*.' BEKKER. 'scilicet hoc lectionis monstrum in fine columnae exaratum est in frustulo membranae ibi adglutinato ab homine, qui archetypi litteras recte legere non poterat, unde scripsit *or* pro *a*, *ptti* pro *rti*.' BAITER. 8. *circumageret* Mª. 9. *artus* editor: *arcus* codices, *iactus* Acidalius, *armis* Lipsius. 10. *apud* (in versus fine) *apud Germanos* Mª. 11. *ignarus* Mª et ceteri: correxit Rhenanus, item Victorius in suo ed. Beroaldinae exemplo. 13. *adp.* Mª: *app.* G.

Grutero hoc additamentum ex margine antiqui cuiusdam libri Tacitinis insertum fuisse existimo.

quia procul ripa aberant: ibi nihil periculi imminere sibi arbitrabantur. Marcodurum nunc audit *Düren*, civitas ad Roeram (= Rûr) in Mosam se effundentem sita, media inter Coloniam et Aquisgranense oppidum.

molemque operum: sunt opera mole insignia (*massenhafte Werke*).

Cap. 29. *artus:* legebatur *arcus. Arcus* verum esse non posse Lipsius et Ernestius magis senserunt quam intellexerunt. Dicunt non crebra ea arma Germanis fuisse: id verum est et Taciti Germ. c. 6 comprobatur. Arcus enim inter arma hoc loco nulli, et *missilia* ibidem commemorata nihil cum arcu. Id quoque recte monuit Ernestius *tendi arcus* dici, *tendere arcus aliquo* non inveniri: quippe *tendere arcum* est attrahere nervum arcus (*den Bogen spannen*, non *richten*). Sed multo gravius est, quod ne Parthi quidem in hac oppugnatione *arcu* uti potuissent. Quid enim Germani conantur? Quippe alii moliendo scindere vallum, alii appositis scalis moenia ascendere tentant, caeco impetu tenebrisque circumvoluti. Sic ingruentibus arcus magis impedimento fuit quam usui. Itaque unde clamor acciderat, *circumagere corpora, tendere artus*, h. e. manibus pedibusque niti. Artus sunt extrema corporis, praecipue manus pedesque. Sic XIII 35: *ambusti multorum artus* (manus et pedes) *vi frigoris; XV 64 frigidus iam artus* (manus pedesque), *et cluso*

umbone, pilo sequi; multos in moenia egressos pugionibus
fodere. Sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit. Edu- **30**
xerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae
(is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi
asseres et incussae trabes perfregere, multa superstantium
pernicie. Pugnatumque in perculsos subita et prospera eru-
ptione. Simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura
struebantur. Praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans
machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora
singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra
castra effundebantur. Civilis omissa oppugnandi spe rursus
per otium adsidebat, nuntiis et promissis fidem legionum
convellens.

Haec in Germania ante Cremonense proelium gesta, **31**
cuius eventum litterae Primi Antonii docuere, addito Caecinae
edicto. Et praefectus cohortis e victis, Alpinius Montanus,
fortunam partium praesens fatebatur. Diversi hinc motus
animorum. Auxilia e Gallia, quis nec amor neque odium in
partes, militia sine adfectu, hortantibus praefectis statim a

4. *eq.* M[a]. *locũ* M[a]. 5. *incusse* M[a]. 6. *prospere ruptione* M[a]: G *prospera erupt.* 7. *prest.* M[a]. 10. *infra* M[a]: G *intra.* 11. *obp.* M[a]. 15. *cec.* M[a]. 16. *e uictus* (non *euictus*) M[a], *evictus* G: tacite correxit Rhenanus. 18. *neque odium* M[a]: *nec o.* G. 19. *militiae* M[a], *milicie* G: tacite correxit Rhenanus. *affectu* Or.

corpore adversum vim veneni. Adde II 21. II. II 28 et 70. Agr. 11. Heraeus p. 104 laudat hanc correctionem et falso ascribit Lipsio: is coniecit *armis.* De litteris *c* et *t* mutatis dixit Heraeus p. 101 sqq.

pilo sequi: pilis iactis secuti sunt quos scutorum incussu de muris iecerant.

Cap. 30. *praetoriae portae:* cf. ad I 66. *Asseres* statim memorati adversus turrem promoti et incussi ad modum arietariae machinae, trabes iactae sunt in summum tabulatum ad obsessores ibi stantes occidendos aut deturbandos.

et nutans machinamentum: est tolleno, de quo Festus: *tolleno dicitur machinae genus, quo trahitur aqua, in alteram partem praegravante pondere* (hoc apud Tacitum *verso pondere*). Veget. IV 21: *tolleno dicitur, quoties una trabs in terram praealte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur.* Inde hanc formam effeceris ⊤. De singulari tollenonis usu Livius XXIV 34 loquitur.

singuli pluresve hostium: cogita tollenonem saepius demitti in partem hostium, ibique a militi-

Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente
Hordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacramentum,
non vultu neque animo satis adfirmans; et cum cetera iuris
iurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut
32 levi murmure et plerumque silentio transmittebant. Lectae
deinde pro contione epistulae Antonii ad Civilem suspiciones
militum inritavere, tamquam ad socium partium scriptae, et
de Germanico exercitu hostiliter. Mox adlatis Geldubam in
castra nuntiis eadem dicta factaque, et missus cum mandatis
Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis
falsis velaret: si Vespasianum iuvare adgressus foret, satis-
factum coeptis. Ad ea Civilis primo callide: post ubi videt
Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas,
orsus a questu periculisque quae per quinque et viginti annos
in castris Romanis exhausisset, 'egregium' inquit 'pretium la-
borum recepi, necem fratris et vincula mea et saevissimas
huius exercitus voces, quibus ad supplicium petitus iure gen-
tium poenas reposco. Vos autem Treviri ceteraeque servien-

3. *voltu* Or. 6. *eplae* cum lin. Mª, *eple* cum lin. G. 7. *irrit.* Or. 8. *gelduban* Mª. 10. *absistere* Mª: *absisteret* G. 12. *caeptis* Mª. 15. *p̄tium* Mª. *laborum* Mª: *laboris* G. 16. *recipi* Mª: correctum in A, *cepi* G et alii. *seuiss.* Mª. 18. *paenas* Mª. *Treveri* Mª: G *treuiri.*

bus Romanis cum tollenone promotis singulos pluresve ex Germanis corripi, qui, dum libramento facto demissum caput retorquetur, in castra rapiuntur et effunduntur.

Cap. 31. *cuius eventum litterae Primi Antonii docuere:* ubinam docuere? Mogontiaci, Bonnae, Coloniae Agrippinensium, Novaesii, postremum Geldubae, eaeque litterae his locis aquiliferis traditae ante militibus quam duci lectae sunt (c. 25). *Edictum Caecinae* est quod a consule Caecina propositum erat (II. III 31).

adigente Hordeonio Flacco: ubi Hordeonius id egit? Novaesii puto: ipsum enim usque ad Geldubam non progressum esse ex c. 25 extremo et 27 et 32 intelligitur. Item Novaesii Hordeonius mox interficitur: c. 36.

Cap. 32. *neve externa armis falsis velaret:* externos non subiectos pro hostibus habere Romani cum antiquitus solerent, *externa* et *hostilia* idem valere inde consectarium erat, perinde ut *hostes* et *peregrini*.

egregium — recepi: comparavit Ernestius Virg. Aen. IV 93: *egregiam vero laudem et spolia ampla refertis.*

necem fratris et vincula mea: v. cap. 13; *huius exercitus* cum Civilis dicit, manum ad Vetera a se obsessa dirigere cogitandus est.

ceteraeque servientium animae:

tium animae, quod praemium effusi totiens sanguinis expectatis nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas secures et dominorum ingenia? En ego praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel saepta ferro fameque premimus. Denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.' Sic accensum, sed molliora referre iussum dimittit. Ille ut inritus legationis redit, cetera dissimulans, quae mox erupere. Civilis parte copiarum retenta veteranas cohortes, 33
et quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque eius mittit, Iulio Maximo et Claudio Victore, sororis suae filio, ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita; adeoque inprovisi castra involavere ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare. Auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus terga in suos vertit. Caedes inde, non proelium. Et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere. Sic ad legiones perventum; quae amissis signis intra vallum sternebantur, cum repente novo auxilio fortuna pugnae mutatur. Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt, latio-

2. *inm.* M^a. 4. *cannenefates* M^a. 5. *septa* Or. *p̃mimus* M^a. 6. *idem* GM^a: *iidem* tacite Rhenanus. 8. *redit* GM^a: *rediit* tacite Rhenanus. 11. *uictores* M^a: G *uictore*. 17. *cedes* M^a. 23. *intento* M^a: *in tentos* G.

nomen *animae* admonet ipsam vitam pro dominis effundendam esse. Cf. Virgilii Aen. XI 371: *scilicet ut Turno contingat regia coniux, nos, animae viles, inhumata infletaque turba, sternamur campis.*

Cap. 33. *adversus Voculam:* Vocula tunc ex Gugernis (26 et 27) Geldubam iam regressus erat. *Asciburgium* in sinistra Rheni ripa inter Vetera et Geldubam situm erat; cf. G. 3. *Castra* quae statim memorantur, Geldubae posita sunt.

subsignano milite media firmare: sunt legionarii sub aquilis vexillisque legionum pugnantes; cf. H. I 70. *terga in suos vertit:* breviter dictum pro *terga vertit et in suos se recepit.*

Vasconum — cohortes: Vascones (*Basken*) in Hispania Tarraconensi ad Pyrenaeum et fines Aquitaniae habitavere. Strabo III

remque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novaesio aliis a Mogontiaco universas copias advenisse credentibus. Is error addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Caesorum eo die in partibus nostris

34 maior numerus et imbellior, e Germanis ipsa robora. Dux uterque pari culpa meritus adversa, prosperis defuere. Nam Civilis si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset, castraque perrupta exscidisset. Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque; dein victoriae parum confisus, tritis frustra diebus castra in hostem movit, quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit. Temptaverat interim Civilis obsessorum animos, tamquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset. Circumferebantur signa vexillaque; ostentati etiam captivi. Ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis; unde maior indici fides. Simul vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intellegebatur. In conspectu castrorum constitui signa, fossamque et vallum

1. *nouaesio* M^a^ : *noues.* G. 2. *Mag.* nunc M^a^. 3. *error* M^a^ : *error Romanis* G et alii. 6. *ces.* M^a^. 7. *inb.* M^a^. 12. *triti* M^a^: G *tritis.* 16. *tanquam* M^a^. 19. *illic* M^a^ et ceteri: correxit Freinshemius.

c. 3 §. 7, c. 4 §. 11. Plinius N. H. III 4, IV 34. Vasconum cohortes a Vitellio digrediente ex Germaniis in supplementum accitas fuisse credibile est.

fortissimus quisque e Batavis — funduntur: funduntur nove scripsit pro *sternuntur* vel *occiduntur*, ut ostendit membrum contrarium *eques evasit* et quae subsequuntur. Quippe *fundendo* res aut diffluit aut plane vanescit.

Cap. 34. *instruxisset aciem:* cf. annot. ad XIV 11. Ceterum *Civilem* nominavit pro ducibus missu Civilis agentibus. Falso *circumiri nequisset* non de Civile sed de *acie* dictum esse affirmavit Rupertius et repetivit Orellius: contrarium demonstrat quod sequitur *castraque perrupta exscidisset.* Scilicet Tacitus statim ab initio Civilem tamquam proelii auctorem introduxit et omnia ad eum rettulit, quamvis ipse in pugna non adesset.

quem si statim impellere: subest imago saxi ruina soluti et

circumdari Vocula iubet: depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poscentium; et minari adsueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique proelium sumpsere. Nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, et seditiosissimus quisque ignavus. Quidam recentis victoriae memores retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari, et redintegrata acie manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. Illi cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapsu equi prostratus; credita per utrumque exercitum fama vulneratum aut interfectum, immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit. Sed Vocula omissis fugientium tergis vallum turrisque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria non falso suspectus bellum malle. Nihil aeque exer- 35
citus nostros quam egestas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Novaesium missa, ut inde terrestri itinere frumentum adveherent: nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. Qui ubi rursum missos Novaesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos

1. *inp.* Mª. 5. *virtutes* Mª. 11. *labsu* Mª. 12. *voln.* Or. *inmanē* Mª. 14. *turrisque* Mª: *turres que* G. 16. *falsos* Mª: G *falso.* *nichil* Mª. 18. *inb.* Mª. *nouaesium* Mª: *nouesium* G, et sic utrobique proximis locis. 21. *rursum* Mª: *rursus* G.

proni ad cadendum. *signa vexillaque:* signa cohortium socialium, vexilla ordinum e legionibus; v. ad II 17.

depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent: his additis causam profert Vocula cur signa constitui, fossamque et vallum circumdari iusserit (*sobald sie Tross und Gepäck niedergelegt hätten, sollten sie ohne Lasten streiten*).

vallum turrisque castrorum: dicit Vetera fugato Civile obsidione liberata.

Cap. 35. *ut inde terrestri itinere frumentum adveherent:* 'an illi igitur frumenta adveherent, inter medios ita hostes? Ridiculum. Puto defectum aliquem esse, et asteriscum ante haec verba ponendum'. Lipsius Secus est. Post victoriam modo partam regio inter Vetera et Novaesium ab hoste purgata satis videbatur. Cohortes

licentia vagos, compositus invadit, praemissis qui pontes et viarum angusta insiderent. Pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec proelium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quae relictorum illic militum praesidio tenebantur. Non erat dubium quantum in regressu discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis perculsisque. Addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quinta decima legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et ducibus infensum. Plures quam iussum erat profecti palam in agmine fremebant non se ultra famem, insidias legatorum toleraturos. At qui remanserant, desertos se abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc seditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in castra abnuen-
36 tibus. Interim Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam; mox haud procul Novaesio equestri proelio prospere certavit. Sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctae legiones donativum exposcunt, comperto pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit. Idque praecipuum fuit seditionis alimentum. Effusi in luxum et epulas et nocturnos coetus veterem in Hordeonium iram renovant, nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso

6. *adeundē* Ma: G *adeundum*. *frumentoribus* Ma: G *frumentatoribus*. 7. *periculisque* Ma, *uehiculis que* G, *perculsisque* A. 12. *se* G: Ma *que*. 15. *haut* Ma. 17. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) Ma: G *perinde*. 18. *adventū* Ma. 19. *donativum* Ma, non *donativom*. *conp*. Ma. 21. *effusi* — *renovant* GMa: *effusus* — *renovavit* AR. 22. *caetus* Ma. 23. *ausos* Ma: G *auso*.

tamen subsidio datae sunt, quod flumine hostis potiebatur.

nondum satis firmo Civile: Orellius cogitat nondum sanatum a lapsu equi: sed vulneratum aut interfectum esse falsa fama prodidit (v. c. 34 sub finem). Quare nondum firmum accipio cum qui nondum exercitu recollecto et completo valet.

cohortes Geldubam perrexere: ad castra Vetera Voculamque pervenire non poterant. *addit exercitui suo Vocula:* Voculae exercitum Tacitus dicit quem ille paulo ante ad castra Vetera adduxerat, nunc reducit Geldubam, mox Novaesium.

Cap. 36. *Civilis capit Geldubam:* h. e. Geldubam discessu Romanorum vacuam. *mox haud procul Novaesio — certavit:* Civilis Gelduba capta promovit ad-

(quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. Ubi sedato impetu metus rediit, centuriones cum epistulis ad civitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia oraturos. Ipsi, ut est vulgus sine 37
rectore praeceps pavidum socors, adventante Civile, raptis temere armis ac statim omissis, in fugam vertuntur. Res adversae discordiam pepercre, iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines in castris et per proximas Belgarum civitates repositae, cum iam Vitellius occidisset. Dein mutati in paenitentiam primani quartanique et duoetvicesimani Voculam sequuntur; apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandum Mogontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Chattis Usipiis Mattiacis exercitus, satietate praedae nec incruenti. In via dispersos et nescios miles noster invaserat. Quin et loricam vallumque per fines suos Treviri struxere,

4. *eplis* cum lin. M[a]. 5. *volgus* Or. 7. *vertentur* superscr. *v* M[a]. 11. *pen.* M[a]. 12. *duoetvicensimani* M[a]. 13. *Mogontiaci* M[a]: *magonciaci* G. 14. *mixtus et caitis* M[a], *mixtus cactis* G: *mixtus ex Cattis* Rhenanus. 15. *Usipis* GM[a]: *Vsipiis* Puteolanus. *incruentari uia adispersos* (non *a dispersos*) M[a], *incruentati, ita dispersos* G: emendavit Lipsius. 17. *Treveri* Or.

versus Novaesium, non procul ab oppido Voculam regredientem offendit, equestri pugna prospere certavit. Non vere Doederlinius cum Gutmanno *Voculae* nomen excidisse coniecit. Romani militis *secunda* statim memorata proelia sunt de quibus relatum c. 33 et 34, adversa quae subsecuta sunt, amissa Gelduba et proelium haud procul Novaesio prosperum Civili. Narratio brevis est, sed non obscura.

Cap. 37. *in fugam vertuntur:* omissis Novaesii castris Coloniam Agrippinensium et inde Mogontiacum petivere.

iis qui e superiore exercitu erant: electi duoetvicesimae et quartae legionum: reliqua eius exercitus legio, prima et vicesima, a Vitellii ducibus tota in Italiam abducta erat (II. I 61), reducta demum a Ceriale (II. IV 70).

primani quartanique et duoetvicesimani: ex his primani inferioris exercitus erant, ante in castris Bonnensibus, ceteri e superiore. De vera scriptura *duoetvicesimani* cf. annot. ad II. I 18, V 1.

quin et loricam vallumque: his exequitur rerum narrator quae porro ad augendam rem Romanam a sociis coepta et facta fuerint. Vallum non procul ab oppido Bingio et Nava flumine structum videtur fuisse, quo arcerent a finibus suis transrhenanos. *Lorica* est ipsum vallum: conf. annot. ad IV 49.

magnisque in vicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent.

38 Interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes inierunt, maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat, descivisse Africam res novas moliente Lucio Pisone. Is proconsul provinciae, nequaquam turbidus ingenio: sed quia naves saevitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex re publica annonae cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat, augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis
39 inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit. Kalendis Ianuariis in senatu, quem Iulius Frontinus praetor urbanus vocaverat, legatis exercitibusque ac regibus laudes gratesque decretae; et Tettio Iuliano praetura, tamquam transgredien-

3. *faed.* Mª. 5. *inier* cum lin. Mª. 6. *instantiā* Mª: G *instantia.* 7. *L.* Mª. *proconsul provinciae* Iac. Gronovius: Mª *prouinciae*, G *preerat prouinciae.* 8. *seuit.* Mª. 9. *volgus* Or. 10. *re p.* Mª. *commeatūs* Mª: G *commeatus.* 12. *nec* GMª: *ne* tacite Iac. Gronovius. 14. *nullā* Mª. *Kalendis* plene Mª: *KL'.* G. 17. *decrete* Mª. *Tito* Mª, *tertio* G. v. ad II. 2 85.

Cap. 38. *Vespasianus iterum:* primum consulatu functus est Vespasianus per duos novissimos menses anni 804 (51) principe Claudio: Sueton. Vespas. 4, Domit. 1.

proconsul provinciae: in exemplari unde descendit Mª, fuisse *procos* credibile est, quod proximus scriba ante nomen *provinciae* facile potuit negligere. Hoc certe praeferendum supplemento *praeerat.* Nam Africae non solum proconsul, sed etiam legatus legionis tunc praepositus erat; v. II. IV 48.

vulgus alimenta in dies mercari solitum: loquitur de plebe sordida et publice alenda, quae tesseris nummariis alimenta in dies mercari solebat. Cf. annot. ad XV 18.

ne victoribus quidem: in libro Mª et hinc in ceteris *nec* particula pro *ne* invecta est assimilandi aberratione (*nec vic-toribus*). Ea de re dixi in annotatione ad IV 35, sed postrema eius verba tollenda esse vel corrigenda monui iam ad II. II 82.

Cap. 39. *Iulius Frontinus praetor urbanus:* idem qui de aquaeductibus commentarium scripsit, strategemata librumque deperditum de re militari, mox legatus consularis Britanniae (A. c. 17), neque alius is videtur qui de qualitate agrorum et coloniis exposuit.

praetura, tamquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata: res

tem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. Et mox eiurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit. Eius nomen epistulis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis aut propria libidine, audebat. Sed praecipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio, quos recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem saevierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis maioribus et fraterna imagine fulgentem ad capessendam rem publicam hortatus, haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans discessu Cluvii Rufi vacuam; simul amicis eius tribunatus praefecturasque largitur. Dein postquam inanem animum spe et cupidine

3. *cesar* M^a^. 4. *caepit* M^a^. *eplis* cum lin. M^a^. *praeponebatur* GM^a^: *proponebâtur* B et Rhenanus. 9. *sev.* M^a^. 10. *maioribusque* M^a^: G *maioribus.* 11. *rem p.* M^a^.

narratur H. II 85. Praetura nunc est legati praetorii dignitas, qua in aliquod tempus exutus Iulianus. *ut in Plotium Griphum transferretur:* ut Griphus ad legationem septimae legionis obeundam destinaretur. Griphus tamen, cognita Iuliani innocentia, missus non est (c. 40).

praeturam cepit: Sueton. Domit. 1: *honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus: nam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit.*

nisi quod pleraque Domitianus — audebat: cf. Sueton. Domit. 1 extr. Taciti A. 7.

Scribonianum Crassum: de hoc ad Pisonem fratrem Scriboniani Galba dicit (H. I 15): *est tibi frater, pari nobilitate, natu maïor, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses.*

egregiis maioribus et fraterna imagine fulgentem: maioribusque, ut legitur in M^a^, vitium est, ab Orellio non bene defensum exemplo c. 42 *seque et delatores.* Nam si huius usus exempla ad Agr. 3 collecta comparaveris, invenies particulam *que* sic poni ante subsequentem *et*, ut nudo nomini substantivo, non substantivo post adiectivum posito, adiungatur. Si Tacito licuit XIV 30 scribere *regnumque et domum suam procul iniuria fore*, idem tamen nunquam ausus est *suum regnumque et domum.* Itaque in hoc nostro exemplo potuit scribere *maioribusque et paterna imagine*, sed *egregiis maioribusque et paterna imagine,*

inpleverat, vires abolet dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. Pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia magistratuum.

40 Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit, decorus habitu; et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Caesare de restituendis Galbae honoribus, censuit Curtius Montanus ut Pisonis quoque memoria celebraretur. Patres utrumque iussere: de Pisone inritum fuit. Tum sorte ducti per quos redderentur bello rapta, quique aera legum vetustate delapsa noscerent figerentque, et fastos adulatione temporum foedatos exonerarent, modumque publicis impensis facerent. Redditur Tettio Iuliano praetura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem

1. *inpl.* Ma: *ĩpl.* G. *legiones VII.* Ma: G *legione septima.* 3. *siriam* Ma. 4. *quidquid* Ma: *quicquid* G. 12. *pisonẽ* Ma. *irritum* Or. 14. *faed.* Ma. 15. *exonorarent* Ma. *inp.* Ma. 16. *Tettio* Ma: *tertio* G. 17. *cognitione* Ma: G *cognitionem.*

usus ei non permisit. Ceterum Scribonianus quamquam nunc effugit magnae fortunae et illustris nominis pericula, nihilo minus posthac, sed fortasse demum principe Domitiano, interfectus est; id clarum ex H. I 48: *Piso — ad hoc tantum maiori fratri praelatus, ut prior interficeretur.*

tribunatus praefecturasque largitur: tribunos legionum et praefectos cohortium auxiliarium facit.

dimissa in hiberna legione septima: hiberna legionis septimae Galbianae in Pannonia fuere: H. II 86, III 7. *pars exercitus in Germanias ducebatur:* sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima: H. IV 68 et 70. *Germanias* dicit provinciam superiorem et inferiorem; v. ad H. IV 17.

Cap. 40. *et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur:* rubor oris in Domitiano re vera non modestiae signum, sed saevitiae indicium, quo se contra pudorem muniebat; v. A. 45. Suetonius Domit. 18. Plinius Paneg. 48: *in ore impudentia multo rubore suffusa.* Philostratus vita Apollonii VII 28. *Oris confusio* est os sive vultus rubore confusus.

fastos adulatione temporum foedatos exonerarent: haec verba quid significent ex XV 74, XVI 12 intelligitur. Scilicet et festi dies insigni adulatione quotannis celebrandi plures decreti erant et Aprilis mensis Neroneus appellatus, Maius autem Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutati erant.

repeti inde cognitionem: coepta

inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum. Insignis publica severitate dies ne privatim quidem laude caruit. Iustum iudicium explesse Musonius videbatur: diversa fama Demetrio Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. Ipsi Publio neque animus in periculis neque oratio suppeditavit. Signo ultionis in accusatores dato, petit a Caesare Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret quem quisque accusandum poposcisset. Consulendum tali super re principem respondit.

41 Senatus inchoantibus primoribus ius iurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant nihil ope sua factum quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iuris iurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem

1. *masonium* litt. *a* superscr. *o* M^a^ : *mussonium* G. 3. *cauruit* M^a^. *iudicium* GM^a^ : *indicium* Ernestius. 5. *abitiosius* M^a^ : G *ambitiosius*. 7. *subp.* M^a^. 8. *maricus* GM^a^ : *Mauricus* Beroaldus. 9. *faceret quaē per* M^a^ : corr. in G. 10 *quaē* M^a^. 11. *talis* M^a^ : G *tali*. 12. *concaepit* M^a^. 14. *cusquam* M^a^. *led.* M^a^. 15. *premium* M^a^. *cepisset* M^a^ : *cepisse* G. 17. *flagitiis* M^a^ : G *flagitii*.

cognitio erat, cum senatus proxime ante consultavit; v. cap. 10.

iustum iudicium explesse Musonius videbatur: iudicium (*Process*) est iudicialis senatus cognitio, de qua vocis vi lexica consulenda; quam paulo ante inchoatam (c. 10) non imperfectam omisit Musonius, sed ad finem perduxit, h. e. verbo Tacitino *explevit*. Mitto et improbo quae olim ad tuendum *indicium* conscripsi.

Demetrio: ambitiosa defensio in eo magis mira, quia idem morienti Thraseae sanctitate morum Soranum aequanti adstiterat; vid. XVI 34.

Iunius Mauricus: frater fuit L. Aruleni Rustici, in exilium a Domitiano pulsus, cum frater morte multatus est: A. 45. Occiso Domitiano Mauricus in urbem rediit: Plin. Epist. IV 22, I 5 et 14.

Cap. 41. *probabant — arguebant:* placebat patribus homines nocentes inter concipienda iuris iurandi verba religione tangi: sed istos nihilo minus sacramentum peragere improbabant.

ad Paccium Africanum transgressi: ex tribus delatoribus ante nominatis de primo tantum amplius rettulit, alterum et tertium nominasse contentus.

Scribonios fratres: XIII 48: *ad Scribonios fratres ea cura* (ordinem plebemque Puteolanorum conciliandi) *transfertur.* Dein a Tacito in Annalibus non memorantur: quippe in itinere Achaico,

patres, periurium arguebant. Eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Attianum et Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. Nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet. Ad Paccium Africanum transgressi eum quoque proturbant, tamquam Neroni Scribonios fratres concordia opibusque insignes ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius interrogationibus fatigabatur, ultro conversus, miscendo quae defendere nequibat, societate culpae invidiam declinavit.

42 Magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messala adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum subversa Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat. Sponte accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi sed

2. *Attianum* (non *latianum*) M^a^: *actianus* G. 5. *destit* M^a^: *destitit* G. *intentaret* M^a^: G *intentare*. 6. *Paccium* M^a^: *pactium* G. 9. *audebant* M^a^: *audebat* G. 13. *eloquentieque* M^a^. *Vipstanus* Ryckius: M^a^ *uiptanus*, G *Vipsanus*. 14. *Messalla* M^a^, mox *Messala*. 15. *dp̄cari* M^a^. *castrorum* M^a^, sed in mg. ab eadem manu *Crassorum*. 16. *sponte* editor: M^a^ *sponte ex S̄C̄*. *accusatio* M^a^: *accusationem* G.

ante quod Annales deficiunt, eodem tempore quo Corbulo, arcessiti in Graeciam mori iussi sunt *Scribonii Rufus et Proculus*. Lege Dionem apud Xiphil. LXIII 17.

Cap. 42. *nondum senatoria aetate*: h. e. nondum ad annum 25 aetatis provectus: Dio LII 22, ubi *καταλέγεσθαι δὲ χρὴ — ἐς τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις* Maecenas coram Octaviano pronuntiat. Cf. Prooemii nostri c. 2. Messala saepius legati praetorii vice in bello proximo functus erat: H. III 11 et 18.

Aquilio Regulo: hunc sub Nerone et Domitiano delationibus famosum pingit Plinius Epistol. I 5, II 20, IV 2 et 7, VI 2. Inclaruit sub finem Neronis subiens accusationem adversus Crassum, Pisonis a Galba adoptati fratrem, et Cornelium Orfitum consularem (XII 41, XVI 12). Cf. H. I 14 cum annot. et 48. Haec in extrema Annalium parte Tacitus executus erat. Adde annot. ad O. 15.

sponte [*ex S̄C̄.*] *accusationem subisse*: emblema *ex senatusconsulto* glossam esse admodum antiquam existimo. Ea enim haud dubie ex ipsa Taciti narratione, quae fuit in Annalium parte nobis deperdita, provenit. Ibi cum relatum esset, accusationem Crassi et Orfiti volenti Regulo a senatu concessam esse, pronum erat ascribere supplendi et corrigendi

in spem potentiae videbatur. Et Sulpicia Praetextata Crassi uxor quattuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. Igitur Messala non causam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus ut post caedem Galbae datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo adpetitumque morsu Pisonis caput obiectaret. 'Hoc certe' inquit 'Nero non coëgit, nec dignitatem aut salutem illa saevitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam periclitari ipsi maluerunt. Te securum reliquerat exul pater et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax aetas, nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum caede nobili imbuisti, cum ex funere rei publicae raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens, innoxios pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres; cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis

1. *supplicia* GM^a: *Sulpitia* Puteolanus. 2. *uxor* GM^a, omittunt AR. *liberis* M^a: G *liberi*. 7. *adp.* M^a: *app.* G. 8. *austalutem illă seuitiă* M^a: correxit Lipsius. 12. *nichil* M^a. 15. *cede* M^a. *inb.* M^a. 16. *septuagienses tertio* M^a, *septuageties sextercio* G. *signatus* GM^a: correxit Faërnus. 18. *segnitia* M^a: G *segnitiă* (media syllaba per comp.). 19. *seques* M^a, *se que* G. 20. *p. c.* M^a.

causa *ex senatusconsulto.* Aliter originem vocis et inutilis et molestae iuste explicare nequeo. Longe repetitum est, quod glossam vocis *sponte* fuisse *ex se* et hoc abisse in *ex SC.* coniectavit Gruterus. De *Curtio Montano* mox nominato v. ad XVI 28.

qui perdere alios quam periclitari ipsi maluerunt: respicit defensionem Eprii Marcelli c. 8 expositam.

caede nobili: caede Crassi. Orfitus tunc non occisus sed exilio multatus videtur.

raptis consularibus spoliis: unus ex accusatis, Cornelius Orfitus, consularis senex fuit (XII 41). Non bene interpretatus est Lipsius, dum consulatu ornatum esse Regulum autumat.

retinete; Cic. in Verrem l. II c. 31: *retinete, retinete hominem in civitate, iudices: parcite et conservate, ut sit qui vobiscum res iudicet,* cet. In scriptis recentio-

aetas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur. Invenit etiam aemulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? Et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorium et consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant qui Tiberio, qui Gaio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et saevior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea principis aetas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla quam auctores. Elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat. Optimus est post malum principem dies primus.'

43 Tanto cum adsensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum prosterni. Igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. Quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia, 'imus', inquit, 'Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare.' Sequebatur Vibius Crispus, ambo infensi vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens,

4. *quest.* M^a^. 7. *seuior* M^a^. 8. *uespanum* M^a^. 9. *auctores* Lipsius: codices *mores.* *p. c.* M^a^. 13. *adsensū* M^a^. 16. *facesisset* M^a^. 20. *scrispus* M^a^. 21. *voltu* Or.

ribus saepius Ciceronem Tacitus imitatur, in Annalibus non perinde.

diutius durant exempla quam auctores: exempla maleficiorum praemiis aut poenis affectorum diutius durant, in memoria temporum et rerum gestarum servata, quam ii unde haec profecta sunt (*auctores*), quorum vita uno aevo humano expletur. Vocis *auct-ores* prior syllaba absorpta est a praegressa *quam* et huius postrema littera applicata ad reliquias emersit *mores*, quo nomine oratio suo lumine orbatur.

Cap. 43. *perinde dives et eloquentia clarus:* divitiae et eloquentia tamquam accusandi hortamenta referuntur: nam divites hoc remedio a se avertere tyrannorum avaritiam studebant, eloquentes scelera immanium Caesarum verbis obtegere adeoque ornare cum callerent, his ministeriis potissimum eligebantur; nihilo minus Cluvius nemini periculum facessivit.

regna praesente Caesare: Caesarem dicit Domitianum. Vespasianus nondum praesens.

Crispus renidens: alius videtur esse de quo Iuvenalis in descriptione amicorum Domitiani IV 81: *venit et Crispi iucunda senectus*,

donec accursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. Proximo 44
senatu, inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus: simul eos qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tamquam rogaret. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum senatorii ordinis egressos exilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. Ambo gravi senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. Quippe Sosianus ac Sagitta viles,

1. *adcursū* Mª. 6. *caeptam* Mª. *deinde* GMª: Puteolanus *dein*. 8. *caept*. Mª. 10. *inp*. Mª. *octavium sabinum sagittam* GMª: tacite correxit Rhenanus. 12. *posituminam* (non *postuminam*) Mª: G *postumiam*. 13. *inp*. Mª. 16. *paena* Mª.

cuius erant mores qualis facundia, mite ingenium. Laudes enim saevo delatori nimiae, et Quintilianus, qui principe Domitiano Institutionem oratoriam edidit, Crispum in ingeniis *nuper claris* rettulit X 1 119. Quintiliani verba ascripta sunt in annot. ad O. 8.

Cap. 44. *coeptam, deinde omissam actionem:* dicit accusationem Marcelli, coeptam ab Helvidio sub principe Galba, dein omissam (II. IV 6), repetitam ab eodem proxime priore senatu.

Octavium Sagittam: Sabinum in Mª et ceteris libris additum ex nomine *Sagittam* διττογραφίᾳ ortum esse cognoscitur, primum ex consuetudine Taciti, qua duobus nominibus contentus est (conf. ad XIII 30), tum quod tam *Sagitta* quam *Sabinus* cognomentum est, et nulla causa in promptu, cur in homine infami duo cognomina ponantur, denique quia ille in Annalibus XIII 44, ubi Tacitus rem nunc strictim significatam uberius persecutus est, luculente *Octavius Sagitta* appellatur.

Sosianus pravitate morum multis exitiosus: delationes adeo in exilio factitavit: XVI 14—15.

Cap. 45. *Manlius Patruitus:* 'fortasse *Patruinus*, quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges'. Lipsius. *Patruinus* est in titulis Gruteri, non *Patruitus*. De addito nomine *senator* v. annot. ad III 36.

in colonia Seniensi: dicitur *Sena Iulia* in Etruria ab Augusto deducta, cui nunc est nomen *Siena*. Plin. Nat. H. III 8 (5) de Etruria: *intus coloniae, Falisca* —

etiam si reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

45 Reconciliavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus senator pulsatum se in colonia Seniensi coetu multitudinis et iussu magistratuum querebatur; nec finem iniuriae hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis ac probris quae in senatum universum iacerentur. Vocati qui arguebantur, et cognita causa in convictos vindicatum. Additumque senatus consultum quo Seniensium plebes modestiae admoneretur. Isdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur lege repetundarum, et exilio ob saevitiam.

46 Inter quae militaris seditio prope exarsit. Praetorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati; et lectus in eandem spem e legionibus miles promissa stipendia flagitabat: ne Vitelliani quidem sine ulla mercede

1. *reverterte* (in versus fine) *rentur* M^a^. 5. *Seniensi* et mox *Seniensium* M^a^, *semhensi* (*i* super *m* ascriptum) et mox *senẽsium* G. *caetu* M^a^. 7. *sup̄morum* M^a^. 8. *ac* GM^a^: *et* Puteolanus. 12. *cyrensibus* M^a^ et G (ibi in extremo versu *cy*, in proximi principio *rensibus*): tacite correxit Rhenanus. 13. *seuit.* M^a^. 17. *ulla mercede* editor: codices *multa caede*.

quae cognominatur Etruscorum, *Lucus Feroniae*, *Rusellana*, *Seniensis* (sic libri meliores), *Sutrina*. Umbriae civitatem nominat Strabo V 2 §. 10 p. 227.

quae in senatum universum iacerentur: coniunctivus sententiam senatoris de vi et natura probrorum in se iactorum pronuntiat.

Cap. 46. *a Vitellio dimissi*, *pro Vespasiano congregati:* H. II 67 et 82 et 96, III 23 et 24.

lectus in eandem spem e legionibus miles: sunt *vexillarii* commemorati H. II 83. Ernestii coniectura *illectus* falsa est. *promissa stipendia:* duos denarios in diem; v. I 17.

ne Vitelliani quidem sine ulla mercede pelli poterant: vulgo legitur *sine multa caede.* Sermo est de Vitellianis, quorum deditio H. IV 2 narratur, tum qui ex praetorianis Vitellii cohortibus per urbem dispersi latebant, etiam iis qui Narniae et Interamnae subsistere iussi (H. III 63) sunt. Hi inermes pavidique pelli sine caede haud dubie poterant, sed pulsi extremae necessitati tradebantur, quod inhumanum erat et periculosum. Neque vero de caede et sanguine nunc loquendi locus est, sed de pecunia stipendiisque. Quid multa? Litterarum similis aberratio et perturbatio h. l. accidit illi, quam et alibi in M^a^ et c. 42 observavimus (ibi *austalutem* pro *aut salutem*). Sic in his verbis *m* a *caede* vel *cede* aberravit ad *multa*,

pelli poterant. Sed immensa pecunia fer * *. Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. Eos Mucianus diduci, et Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim adsistere iubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut aciem telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes aspicerent. Ut vero huc illuc distrahi coepere, metus per omnes et praecipua Germanici militis formido, tamquam ea separatione ad caedem destinarentur. Prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, ne desererentur soli, neu pari causa disparem fortunam paterentur; modo Mucianum, modo absentem principem, postremum caelum ac deos obtestari, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem imperatoris milites appel-

1. *fer* cum lin. super litt. *r* (id est *ferunt*, ut G) M^a^. ad *fer* in mg. M^a^: *hinc in alio folio.* nimirum M^a^ perturbato paginarum ordine *sed inmensa pecunia fer̆* ac statim *ne criminantium* (c. 52 sub initium) usque ad finem c. 53 *defuisse crede* (sic M^a^ pro *creditum*) *tanta uis hominum retinenda erat.* in G mutatio paginarum spatio vacuo indicata est; ceteri perinde aberrant. pro *fer* Doederlinius scite *terrebat.* verum ordinem restituit Puteolanus, nisi quod *sed immensa pecunia fer* omisit. 5. *urbẽs* M^a^. 6. *conquisita* M^a^: G *conquisiti.* 7. *britt.* M^a^. 8. *separati* GM^a^: correctum in AB et a Puteolano. 10. *inlubie* M^a^. 11. *cep.* M^a^. 13. *seper.* GM^a^. *destinaretur* GM^a^: correctum e B a Rhenano. 14. *innecti* M^a^: *inuecti* G. *supm̄a* M^a^. 15. *pauri causã* M^a^, h. e. *pari causa*, flexa lineola longam syllabam denotante: *impari causa* G, *in pari causa* Puteolanus, *pari in causa* Bekkerus. 18. *eius imp.* M^a^: G *eiusdem imp.*

unde revulsa et suo nomini cum leni correctione adiuncta prodit *sine ulla mercede pelli poterant. Posse* h. l. de eo dictum est quod salva aequitate fieri potest. Homines enim mala sorte conflictatos sive ulla mercede desperationi exponere et obiicere iniquum fuit et temerarium. Quae sequuntur *sed immensa pecunia fer* ** hiatu laborant non facile explendo. Adhuc nihil melius cognovi quam Doederlinii *terrebat.* De verbis *qua tanta vis hominum retinenda erat* vulgo huc prave relatis in fine c. 53 dispiciemus.

et urbi vicina: qui Narniae atque Interamnae custodiebantur: II. III 63.

aciem telis et armis trucem:

lans, falso timori obviam iret. Namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum iuvabat. Isque finis illa die. Paucis post diebus adloquentem Domitianum firmati iam excepere. Spernunt oblatos agros, militiam et stipendia orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset. Igitur in praetorium accepti. Dein quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli; quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur.
47 Ceterum verane pauperie an uti videretur, actum in senatu ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur; praepositusque ei curae Pompeius Silvanus. Nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. Abrogati inde, legem ferente Domitiano, consulatus quos Vitellius dederat, funusque censorium Flavio Sabino ductum, magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis.

48 Sub idem tempus Lucius Piso pro consule interficitur. Ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra repetiero, ab initio causisque talium facinorum non absurda.

1. *nanque* M^a^. 4. *p̄cesserant* M^a^: G *preces erant*. 7. *quod* M^a^: G *quo*. 9. *sescenties* M^a^. 12. *abroganti* M^a^ et BG (hic *abrogāti*): correxit Puteolanus. 14. *flabio* M^a^. 15. *et ima*] *etiam* GM^a^: emendatum in A. 16. *L.* M^a^. 17. *petiero* GM^a^: correxit Rhenanus.

tela cogita pila et hastas et gladios, *arma* quibus corpus legitur, praecipue *scuta*.

neu pari causa: parem causam dicunt omnium Vitellianorum; quippe haec singuli ex Vitellianis ad *commanipulares* loquuntur, non ad Flavianos. Aliter videtur accepisse Orellius, qui interpretatur, 'licet par sit utrorumque causa'.

dimissi cum honore: pecunia agrisque donati.

Cap. 47. *consulatus quos Vitellius dederat:* eos dicit de quibus II. III 55: *festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat.* Consulatus anni proxime superioris, de quibus II. II 71, huc nihil pertinent.

Cap. 48. *pro consule interficitur:* Plin. Epist. III 7: *nuper Lucius Piso, pater Pisonis illius, qui a Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat, neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset.* Pater *Lucius Piso* est, cuius consulatus XIII 31 anno 57 post Christum refertur, quique XV 18 memoratur. Filius eius, de quo h. l. exponitur, alio anno consul fuit, non ordinarius, sed unus ex suffectis.

quam verissime expediam: varios de Pisonis, viri illustris et gravis, caede rumores per urbem et in commentariis dispersos fuisse cum satis certum videatur, rerum scriptor ab veritatis asseveratione orditur.

ab initio causisque talium facinorum non absurda: non ab-

Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox Gaius Caesar turbidus animi, ac Marcum Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. Aequatus inter duos beneficiorum numerus, et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine. Legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura; proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant.

49 Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosae adolescentiae neque modica cupiens, et adfinitate Vitellii anxius. Is crebris sermonibus temptaveritne Pisonem ad res novas an temptanti restiterit, incertum, quoniam secreto eorum nemo adfuit, et occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecto tutius bellum. Inter quae Claudius Sagitta, praefectus alae Petrinae, prospera navigatione praevenit Papirium centurionem a Muciano missum, adseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data; cecidisse Galerianum consobrinum eius generumque. Unam in audacia spem salutis, sed

3. *G.* Mª. *turbidis* superscr. *v* Mª. *ac* G: Mª *ad.* 7. in Mª distingui nequit *vis* a *ius:* illud in G et Oxoniensibus, hoc in Budensi. 9. *splendissimus* Mª. 10. *africā* Mª. 11. *sumptuose* Mª. 18. *suscepto* (non *suscepta*) Mª, *suspecta* G: *suspecto* Victorius ad marginem ed. Beroaldinae. 22. *cedisse* Mª: G *cecidisse.* 23. *audaciā* Mª.

surda dicit quae cohaerent cum initio causisque easque promovent et excitant. Scilicet *pauca* sensu concreto, ut nos loquimur, dictum est (*sobald ich Einiges aus früherer Zeit, was mit Veranlassung und Ursachen zu dergleichen Frevelthaten zusammenhängt, angeführt habe*).

legio in Africa: cf. II. I 11 ibique annot.

Marcum Silanum metuens: socerum suum primum nimis cultum, mox suspectum et ad mortem coactum. Cf. ad A. c. 4. Dio LIX 20 pro *Marco Silano* Lucium Pisonem, Cn. Pisonis et Plancinae filium, Africae sub Gaio proconsulem, dum nominat, et homines et tempora turpiter confundit.

Cap. 49. *neque modica cupiens, et adfinitate Vitellii anxius:* duas

duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet. Nihil ad ea moto Pisone, centurio a Muciano missus ut portum Carthaginis attigit, magna voce laeta Pisoni omnia tamquam principi continuare, obvios et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari. Vulgus credulum ruere in forum, praesentiam Pisonis exposcere. Gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. Piso, indicio Sagittae vel insita modestia, non in publicum egressus est neque se studiis vulgi permisit. Centurionemque percontatus, postquam quaesitum sibi crimen caedemque comperit, animadverti in eum iussit, haud perinde spe vitae quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri cruentas legati sanguine manus ad caedem proconsulis rettulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua
50 motus novi causa vel forte oreretur. Sed ubi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium, veraque et falsa more famae in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt destrictis gladiis, et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem

1. *audiendi* M[a]: G *audendi.* 3. '*Karthaginis* scripsi ubique ex usu Latino pro *C.*' Orellius. hinc liquet in M[a] esse *C* (non *K*), ut in eodem scribitur 16 1 et H. 1 76. G *Kartaginis*, mox *cartaginensibus.* 4. *oia* cum lin. M[a], unde *omnia* G. 6. *volgus*, mox *volgi* Or. 7. *exposcerent* M[a]: G *exposcere.* 8. *uiri* GM[a]: correxit Rhenanus. 10. *percunct.* Or. 11. *ced.* M[a]. 17. *oreretur* M[a]: G *orir.* 21. *destrictis* M[a]: G *districtis.* 22. *paenos* M[a].

causas his verbis exposuit narrator, quae Festum in res novas inclinavisse probent, ut is crebris sermonibus tentavisse potius Pisonem quam tentanti restitisse videatur. *in pace suspecto tutius bellum:* bellum tutius esse Pisoni, qui vel in pace, h. e. quamvis pacem et obsequium retinens, suspectus foret. Ne pacem suspectam et tutius bellum opponi putemus, prohibet praepositio *in.*

cecidisse Galerianum consobrinum: H. IV 11.

continuare: h. e. *continuo clamare et strepere.* *quaesitum sibi crimen caedemque:* h. e. quaesitam occasionem criminandi et caedis in poenam falsi criminis patrandae, simulac Piso se studiis vulgi permisisset.

quod idem ex interfectoribus Clodii Macri: h. e. unus ex interfectoribus Clodii Macri (cf. H.

delegerat. Haud procul cubiculo obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso, interrogavere. Servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit; ac statim obtruncatur. Nec multo post Piso interficitur: namque aderat qui nosceret, Baebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus, et in causas malorum quae mox tulimus saepius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem contendit, praefectumque castrorum Cetronium Pisanum vinciri iussit, proprias ob simultates: sed Pisonis satellitem vocabat, militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit, neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. Mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes, modicis principiis, iam per arma atque acies exercebantur. Nam populus Oeensis multitudine inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecun-

5. *Baebius* (non Furiae *hebius*) Mª: *bebius* G. *massae* (non Furiae *masse*) Mª, unde *massa e* G. 7. *adrimeto* Mª, *adrimento* pr G: *Adrumeto* Puteolanus (non demum Rhenanus), *Adrumento* Beroaldus. 8. *contendit* Mª: *tendit* G et alii. 10. *puniit* Mª: *punit* G et alii. 11. *op̄ssisse* Mª, *obrepsisse* G. 12. *offensium* GMª: correxit Lipsius. *lepcit* Mª: *leptit.* G. 13. *raptũ* Mª. 15. *offensis* Mª, *ophensis* G.

I 7 et 11). Praepositio *ex* non pendet e verbo *rettulisset*, sed ex pronomine *idem*.

Cap. 50. *Baebius Massa e procuratoribus Africae*: in provincia Africa nonnisi unus procurator, ut Asiae item provinciae proconsularis unus procurator (IV 15), sed in terra Africa plures: II. II 58. *Africa* autem perinde pro terra Africa posita est l. c. in verbis: *nec Africa contentus, Hispaniae — imminebat*, ubi sermo est de utraque Mauretania eiusque procuratore Albino.

iam tunc: atrocius idem saeviit Domitiano imperante: A. 45. Plinius Epist. III 4, IV 9, VI 29, praecipue VII 33. Iuvenalis I 35.

Oeensium: 'putamus rectissime emendatum iri *Oeensium*, statimque *populus Oeensis*. Rem tetigi. Te advoco, C. Plini, in meam fidem et Taciti lucem: scribis libro V cap. 5 his ipsis verbis: *ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit. Proximo bello quod cum Oeensibus Romani gessere, initiis Vespasiani imperatoris, compendium viae quatridui deprehensum est.* Quod illud bellum sub initia Vespasiani nisi istud? Itaque Plinio quoque praelucent clare haec Corneliana. Tempus, situs, nomen, omnia conveniunt: et est hoc illud ipsum celebre opidum, unde Pudentilla Apuleii, ut ipse Apologia commemorat. Scripsit et orationem *pro statua sibi Oeae locanda*'. Lipsius. Coloniam e Sicilia conditam designat Silius III

dam. Unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

51 At Vespasiano, post Cremonensem pugnam et prosperos
undique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis,
pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi, nuntiavere.
Aderant legati regis Vologesi quadraginta milia Parthorum
equitum offerentes. Magnificum laetumque tantis sociorum
auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiae Vologesi actae,
mandatumque ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse
sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus, adver-
sam de Domitiano famam accipit, tamquam terminos aetatis
et concessa filio egrederetur. Igitur validissimam exercitus
52 partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda. Titum,
antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse
dicebatur ne criminantium nuntiis temere accenderetur, inte-

1. *arte lepcitanis* M[a] : *arcte leptitanis* G. 8. *quadraginta milia* editor: *quadraginta* M[a], *XL.* G, in quo *milia* post *equitum.* 10. *Vologesi* editor : codices *Vologeso.*

257: *Oeaque Trinacrios Afris permixta colonos — mittebat.*

Cap. 51. *nuntiavere:* Alexandriam hiberno mari festinarunt; cf. H. III 48, IV 81. *regis Vologesi:* ad vitandam soni molestiam *regis Vologesis* usus est terminatione vocabuli, quae litteram sibilantem abiecit. Conf. annot. ad XIII 7. De re etiam Suetonius Vesp. 6.

quadraginta milia Parthorum equitum: in M[a] nomen *milia* omissum est, quod in *ἀρχετύπῳ* aut XXXX. neglegenter pro $\overline{\text{XXXX}}$. (h. e. *quadraginta milia*) notatum aut lineola temporis tractu evanuerat. Hinc clarum non vere in G *milia* post vocem *equitum* interponi. Cf. XIV 34: *iam Suetonio — decem ferme milia armatorum erant.* 37: *sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant.* H. I 61: *Valenti — ad quadraginta milia armatorum datae: triginta milia Caecina — ducebat.* H. V 13: *multitudinem obsessorum — sexcenta milia fuisse accepimus.* A. 29: *iamque super triginta milia armatorum adspiciebantur;* 37: *caesa hostium ad decem milia.*

gratiae Vologesi actae: forma *Vologeso* debetur scribis, qui ob praegressum genitivum *Vologesi* nominativum esse *Vologesus* opinabantur. Sed haec forma si unquam extitit apud diligentes auctores, a Tacito saltem aliena fuit, id quod ostendi ad XIII 7.

tamquam — egrederetur: de illa immodestia H. IV 2 et 39.

Cap. 52. *orasse dicebatur:* vide prima vestigia et insigne speci-

grumque se ac placabilem filio praestaret. Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum. Nam amicos tempore fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. Ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens, bono esse animo iubet, belloque et armis rem publicam attollere: sibi pacem domumque curae fore. Tum celerrimas navium frumento onustas saevo adhuc mari committit. Quippe tanto discrimine urbs nutabat ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere.

Curam restituendi Capitolii in Lucium Vestinum confert, 53
equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proce-

2. *pinde* cum *p* caudato (*proinde*) M^a^: G *perinde*. *imperi monimenta* M^a^: *imperii munimenta* G. 6. *ali* M^a^. 7. *mansurum* M^a^: G *mansurā*. 8. *domitiono* M^a^. 10. *R P.* M^a^. *attollere* M^a^: *attolleret* G et alii. 11. *cure* M^a^. 12. *sevo* M^a^. *urs* M^a^: G *urbs*. 15. *conferte* M^a^.

men futuri principis, qui generis humani deliciae vocari meruit. Mox *numerum liberorum* dixit bonam partem liberorum (*viele Kinder*). Structura *Titum* — *orasse dicebatur* saepius a Tacito admissa. Cf. II 69, IV 57. H. I 50 et 90, III 79, Germ. 33. Altera iungendi ratio I 76: *et pater arguisse dicebatur.*

tempore fortuna: haec nomina *ἀσυνδέτως* posita respondent duobus sequentibus vocula *aut* coniunctis, *cupidinibus aliquando aut erroribus. Indiscretum* est quod dissolvi nequit (*unzertrennlich*).

urbs nutabat: audacter de urbis annonae laboribus *nutare* dicitur, quippe quae ad ultima redacta cursum tenere et statum suum tueri iam non posset.

Cap. 53. *Lucium Vestinum:* Lipsius eundem esse credit atque illum qui in oratione Claudii Lugdunensi eximie laudatur (v. tomi II pag. 318), et huius filium, cuius laudes ingeniose celebrat Martialis IV 73.

contracti haruspices: cur *contracti*? Nonne Romae hoc quidem tempore *collegium haruspicum*? Lege XI 15. Erant sane Romae haruspices, sed illi Vestino haud sufficere videbantur, ideoque quotquot supererant in Etruria, unde origo huius disciplinae, convocavit.

undecimum kalendas Iulias: quae hinc sequuntur usque ad finem capitis (*in aliud destinato*), pertinent ad inaugurationem templi, non ad restitutionem. Quapropter in hoc negotio nullae partes Vestini, sed Helvidii Prisci praetoris urbani. Vespasianus tunc in urbem nondum pervenerat (v. cap. 81—82), sed aliquanto post

res. Ab eo contracti haruspices monuere ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum isdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. Undecimum kalendas Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. Ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis. Dein virgines Vestales, cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua e fontibus amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis, Iovem Iunonem Minervam praesidesque imperii deos precatus uti coepta prosperarent sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas quis ligatus lapis innexique funes erant contigit. Simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna

1. *harispices* M[a]. 3. *nollet* M[a]: G *nolle.* *undecimum* editor: *XI.* GM[a], vulgo *undecimo.* cf. ad 6 50. 4. *Kl.* cum lin. M[a]. *luces* M[a]: G *luce.* *omnē* M[a]: G *omne.* 5. *uictis cornisque* M[a]: correctum inest G. 6. *nomina* M[a]: *omnia* G, alii *omina.* *uirginis* M[a]: G *uirgines.* 7. *aqua trimis e* M[a], *aqua riuis et* G: *trimis* ex proximis falso repetitum esse monuit Baiterus; *vivis* coni. Iac. Gronovius, *ter vivis* Fr. Iacobus Lubecensis. *omnibusque* M[a], *amnibus que* G. 8. *pluere* GM[a]: correxit Rhenanus. 9. *plauto* GM[a]: correxit Ryckius. *lustratas bovetaurilibus* M[a]: correxit Lipsius. *areā* M[a]. 10. *cesp.* Or. *sextis* M[a]: G *extis.* 11. *p̄catus* M[a]. *caeptas* M[a], *cepta* G. 12. *pietates* M[a]: G *pietate.*

adfuit. Itaque nihil impedit quo minus vera sint quae Suetonius in Vespas. 8 rettulit his verbis: *ipse restitutionem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit ac suo collo quaedam extulit.* Dio LXVI 10: τὸν νεὼν τὸν ἐν Καπιτωλίῳ εὐθὺς οἰκοδομεῖν ἤρξατο κτλ. Lipsius aliique de magna auctorum discrepantia h. l. loquuntur.

quis fausta nomina: exempli gratia *Salvius*, *Statorius*, *Victor*, *Valerius.* Cf. Cicero de Div. I 45.

felicibus ramis: e felice arbore, velut ex lauru, myrto, decerptis. Livius XL 37: *omnes coronati et lauream in manu tenentes supplicaverunt.* Cf. idem XXIII 11. Sophocles Oedip. r. 82, Electr. 43, Trach. 178.

e fontibus amnibusque hausta: aqua tubulis sive fistulis in castella urbis deducta iam non pura sed humano usu polluta videbatur. Adversus coniecturam *vivis e fontibus* recte monuit Orellius: 'omnes omnino fontes sunt *vivi*'.

Plautio Aeliano: celebratur in titulo apud Gruterum p. 453 1, qui accuratius exhibetur a Piranesio Antichità Rom. tab. XI. Ibi appellatur *Ti. Plautius M. F. A. N. Silvanus Aelianus pontifex.*

super caespitem redditis extis: caespitem accipe aram ex caespite structam. *Reddita exta* sunt oblata numinibus tamquam debita. Ser-

pars populi, studio laetitiaque connixi, saxum ingens traxere. Passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae, nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur. Praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. Altitudo aedibus adiecta. Id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse creditum. [Tanta vis hominum retinenda erat].

Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii 54
duplicaverat bellum. Nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere, Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, vulgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica ac Pannonica hiberna circumsideri. Paria de Britannia finge-

1. *conixi* M[a] : G *connixi*. 2. *et aurique* M[a] : *auri que* G. 3. *signuntur* M[a], *gnignuntur* G : correctum inest B. 4. *harispices* M[a]. 6. *crede* M[a] : G *creditum*, Doederlinius coni. *credebatur*. 7. *tanta — retinenda erat* M[a] : *quo tanta — retinenda erat* G, ubi a *quo* nova sententia incipit praeposito puncto. 8. *et Germaniasque* M[a] : G *germanias que*. *uitelli* M[a]. 13. *volgatorum more* M[a] : correctum inest G. 14. *circumsiderit* M[a] : G *circumsideri*. *britt.* M[a].

vius ad Virgilii Georg. II 194 (ibi est *lancibus et pandis fumantia reddimus exta*) : *sacerdotum usus verbo: reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur.*

studio laetitiaque connixi: verbum *connixi* communem trahendi nisum denotat. De communi impetu vincentium est A. 36 : *ceterae cohortes aemulatione et impetu connisae proximos quosque caedere.*

tanta — erat: noli mirari, lector, haec verba reposita esse in locum a M[a] aliisque codicibus eis assignatum, neque cum editoribus recentioribus et ex prava coniectura libri Agricolae capiti 46 inserta prodire. Scilicet ibi vindicari nullo modo possunt, hoc loco certe explicari potest, quomodo nata sint. Nimirum in margine exemplaris antiqui adversus verba *praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato*, haec admonitio adiecta erat, ut lectores discerent, cur illud praedixissent haruspices: nimiam enim fuisse *hominum vim* vulgare aurum argentumque in fundamenta templi iacere cupientium; hanc praescripto haruspicum retinendam fuisse.

Cap. 54. *audita interim:* urbis rebus usque in mediam aestatem enarratis ad externa revertitur, praecipue ad ea quae ante exorsus ad finem nondum perduxit, turbas in Germaniis Galliisque. *Germaniae* quae statim memorantur, inferior est Germania et superior in sinistra ripa Rheni; v. ad c. 17.

omissa dissimulatione: Civilis ante Taciti ad urbem digressionem *Geldubam* non procul Veteribus et

bantur. Sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. Captam olim a Gallis urbem; sed integra Iovis sede mansisse imperium. Fatali nunc igne signum caelestis irae datum, et possessionem rerum humanarum transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidae canebant. Incesseratque fama primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent.

55 Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit quo coniuratio intellegeretur. Interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque praefectum alae Trevirorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios. Regium illi genus et pace belloque clara origo: ipse e maioribus suis hostis populi Romani *esse* quam socius iactabat. Miscuere sese Iulius

1. *capitoliũ* M^a: G *capitolii.* 2. *inp.* M^a. 5. *superstitionẽ uanã* M^a. 6. *druuidae* M^a: G *druidae.* 9. *civilium bellorum* GM^a: *bellorum civilium* Puteolanus. 12. *trevirorum* GM^a, non *trever.* 15. *esse* interpositum ab editore.

Novaesio occupaverat (c. 36). De simulatione eius cf. c. 14 et 21 et 32. Primum Tacitus statum Germaniarum verbis *nam Civilis — Vespasianum malle* proponit, dein ad *Gallos* pervenit.

a Sarmatis Dacisque — circumsideri: fama immensum augente rumor iste dispersus est ob res H. III 46 expositas. *Druidae:* cf. annot. ad XIV 30.

ab Othone adversus Vitellium missos: intellige proceres in curiam Romanam ascitos (XI 23 et 25) aut militia functos et in urbem a Galba adductos mitti ab Othone ex urbe, ut vires popularium civitatum adversus Vitellium concirent. *antequam digrederentur:* h. e. ex urbe digrederentur ad suam quisque civitatem.

Cap. 55. *ante Flacci Hordeonii caedem:* v. cap. 36. *Classicumque:* Classicus praefectus alae Trevirensis H. II 14 in Liguriae terris memoratur. Inde ad Treviros cum suis videtur remissus esse.

populi Romani esse — iactabat: si Lipsio ad hunc locum erudite disputanti libenter concedo Latine dici *hostis populi Romani esse iacto*, inde tamen haud consequitur pro eo dici etiam *hostis populi Romani iacto.* Sic Homero, qui Il. XIII 54 *Ἕκτωρ ὃς Διὸς εὔχετ' ἐριστενέος πάϊς εἶναι* scripsit, idem omisso *εἶναι* ponere non licuit. Quis verbi causa scripserit *miles iacto* pro *miles esse* vel *militem me esse iacto?* Quapropter ad vitium amovendum *esse* adieci, quod compendio scriptum (*ē.*) proximo nomine *Romani* absorberi facile potuit. Conf. annot. ad III 46. Classicus ad Indutiomarum videtur genus rettulisse; v. Caesar B. G. V 3—4 et 26 et 53 et 55 et 58.

Tutor et Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingon, Tutor ripae Rheni a Vitellio praefectus; Sabinus, super insitam vanitatem, falsae stirpis gloria incendebatur: proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. Ubi quos idoneos rebantur conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. Nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treviros ac Lingonas. Nec tulere moras consultandi. Certatim proclamant furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnis exercitus suis quemque bellis distineri: si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate dispecturas Gallias quem virium suarum terminum velint. Haec dicta pariter probataque. De reliquiis Vitelliani **56** exercitus dubitavere. Plerique interficiendos censebant, turbidos infidos, sanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent. Adliciendos

1. *Lingonus* M^a: *Lingon* BG et Oxonienses. 3. *incendebat* (non *incedebat*) M^a: correctum inest G. 5. *secreti* M^a: G *secretis*. 6. *conscientiã obstrixere* M^a: G *conscientia obstrinxere*. 7. *publicae* M^a. 12. *omnis* M^a: G *omnes*. 13. *quenque* M^a. *distineri* GM^a: *detineri* Reg. 14. *discep* (in fine versus) *ras* M^a, in mg. ab eadem m. *al. despecturas* et sic G: tacite correxit Rhenanus. 15. *reliquis* M^a: G *reliquiis*. 18. *aliciendo* M^a: G *alliciendos*.

hic Lingon: persaepe *Lingones* in Historiarum libris a Tacito nominantur (cf. II. I 53 et 54 et 59 et 64 et 78, II 27, IV 67 et 69 et 77), atque constanter *Lingones*, nunquam *Lingoni*, in omnibus casibus numeri multitudinis comparent, adeoque in proxima vicinia *Treviros ac Lingonas* legimus. Hinc non dubium quin nunc in Mª *Lingonus* a scriba in forma sibi insolita (*Lingon*) per errorem scriptum sit. Ipsum fortasse abstraxit proximum nomen *Sabinus*. Apud Martialem VIII 75 2 *Lingonus* ob versum excusatur: Gallica inscriptio (v. Iahnii Annales philolog. et paedagog. t. XI p. 302), ubi *Daminius Ferox Lingonus*, pro Tacito nihil probare potest.

ripae Rheni a Vitellio praefectus: h. e. praefectus navium ripam Rheni tuentium. *suis quemque bellis distineri:* cf. annot. ad XI 12.

dispecturas Gallias quem — velint: imitatur iactantiam et tumidos spiritus Gallorum. Nam *dispicere* est suo iudicio et arbitrio examinare, hoc probare, illud reiicere et non agnoscere. Cf. XIII 27: *dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur.* Alteram illud a Vi-

potius in societatem. Legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus conscientia scelerum et spe impunitatis facile accessurum. Ea primi consilii forma. Missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculae nuntiarent. Sed vires ad coërcendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites et occultos hostes, optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et isdem quibus petebatur grassari, in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum et extra [commentum] amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit; pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Betasiorumque in arma traxit, et furtim magis quam bello Canninefates Marsacosque incursa-
57 bat. Vocula Gallorum fraude inlectus ad hostem contendit. Nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor per

2. *volgus* Or. 3. *concilii* GM^a: correctum inest Reg. 9. *petebatur* M^a: *petebatur artibus* G et alii. *agripin.* M^a: G *agrippin.* 10. *gladius* GM^a: *Claudius* Puteolanus. *commentum amendatum* M^a, *continentem amnem* G, *conventum amandatum* A. 15. *quosda* M^a. *baetasiorumque* M^a, *bettasiorumque* G. 16. *cannenefates* M^a.

ctorio commendatum (*disceptaturos*) de rerum et potentiae arbitris non apte ponitur.

Cap. 56. *turbidos infidos, sanguine ducum pollutos:* partes orationis ita exaequantur ut primum duo attributa ponantur, tum *tertium* adiectis nominibus auctum prioribus respondeat. Ceterum ἐπίθετα illa atrocis consilii causam brevissime suppeditant.

in coloniam Agrippinensem descendit: profectus cum exercitu e Mogontiaco, quo redierat (vid. H. IV 37).

extra amandatum: sermo est de Claudio Labeone, aemulo Civilis, in Frisios trans Rhenum avecto (c. 18), h. e. *extra amandato* et seposito. Medicei libri scriptura *commentum amendatum* originem mali codicibus h. l. illati liquido testatur: nimirum *commentum* sive *cōmentum* nihil est nisi alia forma verbi *amendatum* vitiose scripti, quod cum paulo obscurius in ἀρχετύπῳ exaratum esset, διττογραφίᾳ obnoxium fuit. Codicis A *extra conventum* prava correctio est: conventus in provinciis Romanis, non apud Batavos, gentem liberam et sociam.

Betasiorumque: Betasi sunt in Plinii editionibus N. H. IV 31.

Marsacosque: Marsacios Plinius nominat IV 29. Nomen a locis palustribus (*Marsch*) videtur inditum esse.

Cap. 57. *nec procul Veteribus aberat:* haec a Civile tunc obsi-

speciem explorandi praegressi cum ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam ut Treviris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos. Sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis proeliis concidisse. Eadem rursus numina, eadem fata ruptores foederum expectarent. Melius divo Iulio divoque Augusto notos eorum animos: Galbam et infracta tributa hostiles spiritus indidisse. Nunc hostes, quia molle servitium; cum spoliati exutique fuerint, amicos fore. Haec promptitur locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere Novaesium concedit. Galli duum milium spatio distantibus campis consedere. Illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata contione in hunc modum disseruit. 'Nunquam apud vos 58

3. *bocula* M^a^. 7. *haeduos* M^a^. 8. *nomina* M^a^, *omnia* G: emendavit Rhenanus. *faed.* M^a^. 11. *indidisse* editor: codices *induisse*. 14. *nouaesio* ultimae litt. superscr. *ū* M^a^.

debantur, qui simul vicina Gelduba potiebatur: H. IV 35 et 36.

olim Sacrovirum et Aeduos: dicit rebellionem a Gallis anno 21 post Chr. imperante Tiberio excitatam: III 40—46. *Vindicem:* cf. H. I 51.

infracta tributa: H. I 8. Ceterum universe loquitur et parum accurate: nam Treviri et Lingones, qui nunc hostes Romanorum, a beneficiis illis exclusi erant: H. I 8 et 51.

hostiles spiritus indidisse: quod vulgo legitur (*induisse*), id ex usu Corneliano et Latino ad *Galbam et infracta tributa*, tamquam accusativos subiecti refertur, ut Galba hostilem animum sumpsisse dicatur, refragante cetera sententia. Nam *induere* aliquid est sibi circumdare aliquid tamquam vestem: ubi alteri personae indui aliquid significatur, aut dativus adiicitur, verbi causa *audaci induere arma*, aut ablativus cum accusativo, velut *fortem induere spoliis.* Conf. I 69: *femina — munia ducis — induit* (= assumpsit); II 15: *qui — seditionem induerint;* IV 12: *senatus populusque habitum ac voces dolentum — induebat;* VI 20: *qualem diem Tiberius induisset;* 33: *sceptuchi — diversa induere;* 42: *plurimum adulationis Seleucenses induere;* XI 7: *Asinium et Mes-*

verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior. Nam mihi exitium parari libens audio, mortemque in tot malis ut finem miseriarum expecto. Vestri me pudet miseretque, adversus quos non proelium et acies parantur, id enim fas armorum et ius hostium est: bellum cum populo Romano vestris se manibus gesturum Classicus sperat, imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in praesens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco pellerentur? Socii saepe nostri excindi urbes suas seque cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt; neque aliud pretium exitus quam fides famaque. Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur. Nobis, super arma et viros et egregia castrorum munimenta, frumentum et commeatus quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo suffecit; quod sive a Vespasiano sive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique et tra-

2. *malis hostium* codices: *hostium* ex versus 5 irrepsisse recte intellexit Acidalius. *malis haustam* coni. Waltherus. 7. *nos* GM[a]: *vos* A et Harl. 8. *pres.* M[a]. 11. *p̄tium.* M[a]. 13. *ueteras* GM[a]: *uetera* Puteolanus. 16. *sufficit* GM[a]: correxit Lipsius. 17. *interp̄tari* M[a]. *mavoltis* M[a].

salam magnum animum induisse; XII 13: *Izates societatem Meherdatis palam induerat*; 40: *adversus nos hostilia induerat*; XV 45: *animum bonis artibus non induerat*; XVI 28: *nisi — hostem Thrasea induisset*. H. IV 38: *quae — falsos pavores induerat*. O. 7: *circumfundi coronam, et accipere affectum quemcumque orator induerit* (= assumpserit); 26: *oratorem vel hirta toga induere*. Habes, lector, usum Taciti constantem et firmum; qui quoniam cum hoc loco conciliari prorsus nequit, reponendum erat verbum ad corruptum proxime accedens, pro duabus litterae *u* lineolis substitutis duabus (*id*) similibus. Verbi *indere* ea est natura ut dativus personae suppleatur. Conf. H. I 51: *hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant* (exercitus Germanici Gallis); H. IV 25: *nec terrorem unius militis vincula indiderant* (ceteris militibus).

Cap. 58. *excindi — pertulerunt*: sic Saguntini (Liv. XXI 14).

etiam donativo; non modo stipendiis solitis suffecit, sed adeo donativo nuper (c. 36) exoluto ab

hendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. Sunt alii, legati tribuni, centurio denique aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Italiam invasuros. An, si ad moenia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriae inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin Treviro agentur excubiae? Signum belli Batavus dabit? et Germanorum catervas supplebitis? Quis deinde sceleris exitus, cum Romanae legiones contra direxerint? Transfugae e transfugis et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis? Te, Iuppiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te, Quirine Romanae parens urbis, precor venerorque ut, si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis. Militibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam et sine noxa paenitentiam.' Varie 59
excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam, et de supremis agitantem, liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire. Et Classicus misso Aemilio Longino, desertore primae legionis, caedem

2. *sane* GM^a: *sin* Reg. 4. *volg.* Or. 7. *Tutorin* M^a, *Tutori* G. *Trevero* nunc M^a. *ba* (in versus fine) *uus* M^a: *battauus* G. 8. *et Germanorum*] *Germanorum* maluit Pichena. 9. *derexerint* M^a: G *direxerint*. 13. *p̄cor* M^a. 15. *faed.* M^a. 17. *penit.* M^a. 19. *sup̄mis* M^a. 20. *fed.* M^a. 21. *primae* G: Mª *I.*

Hordeonio Flacco. *sane ego displiceam:* comparavit Ernestius Livii XXVIII 27: *denique ego sim cuius imperii taedere exercitum minime mirandum sit.*

sunt alii: nomen *alii* per se constat; ei adiunguntur bina membra bipartita, prius ἀσύνδετον, alterum coniunctione (*aut*) instructum (*es gibt ja Andere, Legaten, Tribunen, Centurionen sogar oder gemeine Soldaten*). Sic a maioribus per gradus descendit ad minores. Cf. annot. ad XI 6.

Tutorin Treviro agentur excubiae: Livius l. c.: *in praetorio tetenderunt Albius et Atrius; classicum apud eos cecinit; signum ab iis petitum est* cet. *te, Iuppiter optime maxime:* Livius XXVIII 28: *ne istuc Iuppiter optimus maximus sirit.* *ut si vobis non fuit cordi:* Lipsius ex Livio IX 8 ascripsit: *vos, di immortales, precor quaesoque, si vobis non fuit cordi Spurium Postumium cum Samnitibus bellum gerere.*

Cap. 59. *et Classicus:* et par-

eius maturavit. Herennium et Numisium legatos vinciri satis visum. Dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere quam ut sacramentum recitaret. Iuravere qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit.

Divisae inde inter Tutorem et Classicum curae. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Mogontiaci tribunis, pulso castrorum praefecto, qui detractaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei, famem ferrumque et extrema passuros.

60 Adiecere qui missi erant exemplum suum. Obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant, absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque in usum necessitas vertit. Virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque

8. *diuise* M^a^. 9. *agrippienses* M^a^. 10. *occisi* M^a^: G *occisis*. 11. *Mogontiaci* M^a^: *Magunciacis* G. *detract.* M^a^: G *detrect.* 12. *quenque editis* M^a^: G *quenque e deditis*. 17. *assumptis* M^a^: G *absumptis*. 18. *faed.* M^a^.

ticula novam causam adiicit, cur Vocula foedum exitum sponte praevenire non posset: quippe dubitandi moram exemit percussor a Classico immissus.

altis ordinibus: quomodo *altis ordinibus* et non potius *alto ordine?* Numerus multitudinis videtur indicare, illum militem ita promotum esse ut unum vel alterum ordinem militiae post se relinqueret et statim primorum ordinum centurio aut primipilus fieret. Structura similis ut I 2: *opibus et honoribus extollerentur.*

curae: sunt militiae negotia et labores (*die Arbeiten, die Geschäfte*).

ad obsessos: ad quintanos et quintadecimanos Veteribus clausos (conf. c. 35). *si praesentia sequerentur:* si ad praesentem rerum statum et imperium Galliarum sese accommodarent.

Cap. 60. *profana:* nove dixit profana alimenta, quae humanae naturae contraria et ab esu exclusa necessitatis lege arcessuntur. *internatas saxis herbas:* de simili Casilinatium inopia Livius XXIII 19. *miseriarum patientiaeque documentum fuere:* do-

documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis vitam orantes. Neque ante preces admissae quam in verba Galliarum iurarent. Tum pactus praedam castrorum dat custodes, qui pecuniam calones sarcinas retentarent, et qui ipsos leves abeuntes prosequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere: ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civile et increpante Germanos tamquam fidem per scelus abrumperent. Simulata ea fuerint, an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris faces iniciunt; cunctosque qui proelio superfuerant, incendium hausit. Civilis **61** barbaro voto, post coepta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit. Et ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibus figendos obtulisse. Ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Munius Lupercus legatus legionis inter dona missus Veledae. Ea virgo nationis Bructerae late imperitabat, vetere apud Germanos more,

3. *p̄ces* M^{a}. *qua* M^{a}: G *quam* per comp. 4. *pacti* M^{a}: G *pactus*. 5. *sacircinas* M^{a}: G *sarcinas*. *et* editor: M^{a} et alii *at*, G et Oxonienses *aut*, Rhenanus *ac*. 6. *cohorti* GM^{a}: *coorti* Rhenanus. 8. *pfugiunt* cum lin. transversa in litt. *p* (id est *perfugiunt*) GM^{a}: *profugiunt* Spirensis et Rhenanus. 9. *increpantes* M^{a}: G *increpante*. 10. *fuerit* M^{a}: *fuerīt* G. *sev.* M^{a}. 13. *cepta* M^{a}. 16. *fingendos* M^{a}: G *figendos*. 17. *quenquam* M^{a}.

cuere quas miserias ferre homines et ad quem patientiae gradum pervenire possint.

calones: conf. annot. ad H. II 87. *ipsos leves abeuntes:* h. e. dum ipsi relictis sarcinis et re familiari abirent e castris. Qui prosequuntur alii sunt quam *custodes castrorum*. Apte igitur *et qui*, quod proxime accedit ad Medicei *at qui*.

in castra perfugiunt: castra petunt tamquam perfugium et tutelam. Sic c. 67: *villam in quam perfugerat*. *Profugere* est fugere in ulteriora (*ins Weite fliehen*), quod nunc parum apte diceretur.

Cap. 61. *post coepta adversus Romanos arma:* haec tamquam ἐπεξήγησις post verba *barbaro voto* subsequuntur ideoque bene duobus commatis separantur.

propexum: *promissum* vitavit et vocem minus tritam elegit. *Rutilatum* dixit rubro colore infectum. Quippe Civilis coma non

quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas. Tuncque Veledae auctoritas adolevit: nam prosperas Germanis res et excidium legionum praedixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti reservantur pignus societati. Cohortium alarum legionum hiberna subversa cremataque, iis tantum relictis quae Mogontiaci ac Vindonissae sita sunt.

62 Legio sexta decuma cum auxiliis simul deditis a Novaesio in coloniam Trevirorum transgredi iubetur, praefinita die intra quam castris excederet. Medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque caesorum apud Vetera exemplo paventes, melior pars rubore et infamia. Quale illud iter? quis dux viae? Et omnia in arbitrio eorum quos vitae necisque dominos fecissent. Alii, nulla dedecoris cura, pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare. Quidam expedire arma, telisque tamquam in aciem accingi. Haec meditantibus advenit proficiscendi hora, expectatione tristior. Quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. Revulsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis; silens agmen,

2. *arbitrentur* GM^a: correctum ex Spir. ab Ernestio. 5. *societati* corr M^a, *societate* pr M^a: *societatis* G et alii. 7. *Mog.* M^a: *magontiaci* G. 8. *legio XVI.* M^a, *legio Xııı.* G. *nouaesio* M^a: G *nouesio.* 19. *revolsae* Or., mox *volgata* et *volgi.* *inhora* M^a, *innexa* G et alii: correxerunt Victorius et Lipsius.

similis maioribus suis aliquo medicamine colorem crinium ad Germanicum (v. Germ. 4) videtur flexisse. Galli sebo et cinere capillos rutilare solebant, ut tradit Plinius XXVIII 51.

patrata demum caede legionum deposuit: secutus est consuetudinem Chattorum, unde Batavis origo; cf. Germ. 31. Idem narrat de Saxonibus aevo inferiore Paulus Diaconus *de Gestis Langob.* III 7.

plerasque feminarum: Graece interpretare πολλὰς γυναικῶν, non τὰς πολλὰς γυναικῶν.

Veledae auctoritas: conf. Ind. hist. et annot. ad H. V 24.

Cap. 62. *nulla dedecoris cura:* in his cura rerum suarum et avaritia infamiae cogitationem restinxerat. *expedire arma:* scutum et loricam: *tela* statim nominata sunt pila et gladii.

haec meditantibus — tristior: comparavit Lipsius Livii verba de militis Romani contumelia ad Caudium IX 5: *haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura.*

inhonora signa: signa decori-

et velut longae exequiae; dux Claudius Sanctus effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat. Et vulgata captarum legionum fama cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi, spretisque Sancti promissis aut minis Mogontiacum abeunt; ac forte obvio interfectore Voculae Longino, coniectis in eum telis initium exolvendae in posterum culpae fecere. Legiones nihil mutato itinere ante moenia Trevirorum considunt.

Civilis et Classicus, rebus secundis sublati, an coloniam 63
Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent dubitavere. Saevitia ingenii et cupidine praedae ad excidium civitatis trahebantur. Obstabat ratio belli, et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorate custodiverant. Sed transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque; neque alium finem belli rebantur quam si promisca ea sedes omni-

1. fuisse puto *Claudius Sancus*, statim *Sanci*. 7. *sancti*, litt. *i* superscr. *e* Mª. 8. *Mog.* Mª, non *Mag.* 11. *maenia trevirorum* Mª. 13. *agrippiensem* Mª: correctum inest G, item paulo post. 14. *sev.* Mª. *ingenii* Lipsius: *ingenti* Mª, *ingenita* tacite Rhenanus. 18. *agrippiniensi* Mª. *dephensum* Mª. *honorate custodiuerant* G: Mª *honorata custodiae erant*, Puteolanus et vulgo *honorate custodierant*.

bus suis (imaginibus imperatorum) orbata. *Inhonorus* argenteae aetatis nomen est.

Claudius Sanctus: dux nomina Romana habet, sed Sanctus in Romanorum nominibus inesse non videtur. Fortasse *Sancus* a scribis in formam his notam corruptus est. De *Sanci* nomine conf. Forcellinii lexicon.

ingenio debilior: magis captus ingenio; cuius rei magnum signum quod ab una ala Picentina sperni se passus est nec ultra minas aut promissa processit. Ala Picentina nominatur praeterea in lapide, qui inventus in via inter Mogontiacum et Vormatiam, ut relatum in additamento ad diarium Mogont. anni 1834 n. 262. Monuit Bachius. *altera se legio:* prima: cf. c. 19 et 20 et 25.

Cap. 63. *trahebantur. Obstabat:* insigni artis dexteritate verba opposita et contrariam imaginem exhibentia in fine et principio duorum enuntiatorum iuncta sunt.

honorate custodiverant: non in carcere sed in domo magistratus aut viri nobilis. Ex Medicei ve-

bus Germanis foret, aut disiecta Ubios quoque dispersisset.

64 Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent; quae ferocissimus e legatis in hunc modum protulit. 'Redisse vos in corpus nomenque Germaniae, communibus deis et praecipuo deorum Marti grates agimus; vobisque gratulamur quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras et caelum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent, vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus. Sed ut amicitia societasque nostra in aeternum rata sit, postulamus a vobis, muros coloniae, munimenta servitii, detrahatis: etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur. Romanos omnes in finibus vestris trucidetis: haud facile libertas et domini miscentur. Bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quidquam aut segregare causam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim maioribus nostris. Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium

1. *ubihos* Mª: G *ubios*. 3. *agrippieniensium* Mª. *iuberent* Mª: G *iubent*. 6. *liber* (in versus fine) Mª: G *liberi*. 7. *terrā* Mª, unde *terras* G, *terram* Corb. 8. *conl.* Mª. 11. *p̄tio* Mª. 12. *sint* GMª: *sit* AR. 13. *uera* Mª: G *fera*. 16. *quicq.* Or. 18. *utranque* GMª. 20. *institutā* Mª: G *instituta*.

stigiis *custodiae erant* resolvendum est *custodiverant*, non *custodierant*. Nimirum omnis corruptio ex antiqua scriptura explicanda est, in qua littera A pro simili V cum substituta esset, exiit *custodia erant*, unde proximus scriptor vel corrector fecit *custodiae erant*.

Cap. 64. *Tencteri:* de horum sedibus cf. Germ. c. 32. *Rheno discreta gens:* his verbis Tencteri Agrippinensibus proximi et vicini tamquam uno amne discreti designantur. Cf. II. I 65: *uno amne discretis connexum odium*. *Concilium Agrippinensium* est populus in foro civitatis congregatus.

praecipuo deorum Marti: cf. annot. ad Germ. 9. In oratione a barbaro habita narrator facete imitatur simplicitatem animi et arrogantiam.

sub custode: liberalius Romani erga Hermunduros, fidam ipsis nationem, in Danubii ripa consulebant, ut traditum G. 41: *passim et sine custode transeunt* cet.

utramque ripam: dicit sinistram et dextram fluminis Rheni, quod monendum fuit ob Rupertium mire

resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent. Sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperitabitis'. Agrippinenses sumpto consultandi spatio, quando neque 65
subire conditiones metus futuri neque palam aspernari conditio praesens sinebat, in hunc modum respondent. 'Quae prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, iungeremur. Muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius est. Si qui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus nostris fuerunt, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugerunt. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenerunt, haec patria est; nec vos adeo iniquos existimamus ut interfici a nobis parentes fratres liberos nostros velitis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus. Sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem et Veledam, apud quos pacta sancientur'. Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem et

3. *auis* M^{a}: G *aliis*. 5. *condic.* Or.: G *conditiones* et *conditio*. 12. *fuerunt* editor: codices *fuerant*. 13. *refuger* cum lin. (h. e. *refugerunt*) M^{a}: *refugere* G. *conubium* M^{a}: G *connubium*. 14. *societatis* M^{a}, in mg. ab eadem manu *al. sociatis*: G *consotiatis*. *provener* cum lin. (h. e. *provenerunt*) M^{a}: *provenere* G. 17. *incustoditis* M^{a}: *incustoditi* G. 19. *uelaedam* M^{a}.

interpretantem *superiorem* et *inferiorem*.

quibus Romani — valent: hoc quid sibi velit Tacitus ipse docet A. c. 21. *ex aequo agetis:* cf. Agr. c. 20.

Cap. 65. *quae prima — iungeremur:* gens callida in oratione egregie temperata hisce verbis respondet ad illa, quae de auxilio deorum legatus transrhenanus dixerat, primum monendo sua se voluntate et studio ad partes Germanorum accessisse, non deorum numine compulsos esse.

si qui — fuerunt: dicunt equites Romanos in provinciis negotia secutos et vectigalia exigentes, etiam viros militares. Quod ante legebatur *si qui — fuerant*, manifesto vitiatum est, et mendi origo eadem quam c. 63 deprehendimus, h. e. recentior scriba in ἀρχετύπῳ A legit pro V.

deductis olim: dicunt veteranos sub principe Claudio anno 48 post Chr. natum in hanc coloniam deductos: XII 27.

sint transitus incustoditi: forma *incustoditis* assimilandi aber-

Veledam missi cum donis cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adire adloquique Veledam negatum. Arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre: delectus e propinquis consulta responsaque, ut internuntius numinis, portabat.

66 Civilis societate Agrippinensium auctus proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit. Occupatisque Sunucis, et iuventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani tranatantes terga Labeonis invasere. Simul Civilis, ausus an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, et clara voce 'non ideo' inquit 'bellum sumpsimus, ut Batavi et Treviri gentibus imperent. Procul haec a nobis adrogantia. Accipite societatem. Transgredior ad vos, seu me ducem seu militem mavultis'. Movebatur vulgus condebantque gladios, cum Campanus ac Iuvenalis, e primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumveniretur, profugit. Civilis Betasios quoque

1. *uelaedam* M^a^: G utrobique *uelledam*, item paulo post. *agrippiniensium* M^a^: G *agrippinensium*. 2. *uelaedam* M^a^. 6. *civili* M^a^: G *Ciuilis*. *agripiniensium* M^a^: G *agrippinensium*. 8. *sunicis* medio *i* ab eadem m. superscr. *u* M^a^, *sunicis* G, *Sunucis* B. 12. *tranatantes* M^a^: G et alii *tranantes*. 13. *intulit se* G: M^a^ *intulisse*. 14. *ideo*] *do* cum lin. M^a^. 15. *Treveri* nunc M^a^. 17. *mauultis* M^a^, non *mavoltis*. 18. *volgus* Or. *e*] *ex* G: M^a^ *ei*. 20. *bettasios* M^a^: G *betasios*.

ratione nata est, quod monui propter Orellium. Praeferri debet *incustoditi* vel ob aequabilitatem oppositorum. *nova et recentia*: *nova* (*neue*) *iura* quae nunc primum valent, *recentia* (*frische*) quae modo provenere; cf. ad O. 6.

ipsa edita in turre: eam turrim in ripa fluminis Lupiae fuisse clarum ex H. V 22 extr.

Cap. 66. *occupatisque Sunucis*: Plin. IV 31: *introrsus — Tungri, Sunuci, Frisiabones, Betasi.* Taciti verba argumento sunt *Sunucos* occidentem versus ab Ubiis et cis Mosam habitasse, neque dissentit Plinius cui sunt vicini Tungrorum. Non vere Doederlinius de Sentiaco (*Sinzig*) cogitavit: nam haec civitas non longe ultra Bonnam ad Rhenum sita est.

Claudius Labeo — restitit: de huius coeptis c. 56 quae inchoata erant, nunc absolvere scriptor pergit.

pugnabaturque in angustiis: accipe angustias pontis a Claudio milite insessi.

ac Nervios in fidem acceptos copiis suis adiunxit, ingens rerum, perculsis civitatum animis vel sponte inclinantibus.

Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monu- 67
mentis Caesarem se salutari iubet, magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. Nec Sequani detractavere certamen. Fortuna melioribus adfuit: fusi Lingones. Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit. Utque famam exitii sui faceret, villam in quam perfugerat cremavit, illic voluntaria morte interisse creditus. Sed quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam et insigne Epponinae uxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. Resipiscere paulatim civitates, fasque et foedera respicere, principibus Remis, qui per Gallias edixere ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.

At Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, 68

1. *adiuncxit* M^a^. 2. *perculsit* M^a^, etiam G, sed extremis litteris in rasura, ut fuerit *perculsis*. 3. *faed.* M^a^. *romanis* M^a^: G *romani*. 5. *turba* M^a^. 6. *detract.* M^a^: *detrect.* G. 8. *praelium* M^a^: *bellum* G et Oxonienses. 9. *uilla* M^a^: G *uillā*. 14. *faed.* M^a^.

ingens rerum: genitivus in hac locutione indicat, unde magnitudo Civilis spectari debeat (*gross von Seiten der Macht*), ablativus materiam magnitudinis ostendit (*gross an Macht*). Cf. I 69: *sed femina ingens animi* (*gross von Seiten des Muth's*) *munia ducis per eos dies induit.* Alii scriptores post *ingens* genitivo, quantum scio, non utuntur. Simile est quod infra c. 84: *qui versus animi* (*von Seiten des Gemüthes unstät*) *modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri.* Nomine *rerum* opes viresque comprehenduntur, ut H. II 4: *Titus — suspensis provinciarum et exercituum animis ingens rerum fiducia accessit.*

Cap. 67. *proiectis foederis Romani monumentis:* sunt columnae quibus foederis conditiones inscriptae erant. *Caesarem salutari se iubet:* ipse divum Iulium proavum suum fuisse gloriatus est: c. 55.

et insigne Epponinae uxoris exemplum: quod intercidit cum plerisque libris Historiarum Taciti, id narrat Dio Cass. apud Xiphil. LXVI 3 et 16, Plutarchus in Amatorio c. 25. Dio *Πεπονίλαν* illam feminam nominavit, Plutarchus *'Εμπονήν.* Sabinus et coniux fidissima sub finem principatus Vespasiani deprehensi sunt et morte multati.

Cap. 68. *Petilium Cerialem delegerat:* magis hoc fide dignum est quam quod tradit Iosephus B. Iud. VII 4 §. 2, Cerialem a Vespasiano consulem declaratum et

ne quamquam egregii duces (iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore. Et Domitiani indomitae libidines timebantur, suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulsum loco, ne sine solatio ageret, annonae praefecit. Utque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Arretinum Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, praetorianis praeposuit, patrem eius sub Gaio Caesare egregie functum ea cura dictitans; laetum militibus idem nomen, atque ipsum, quamquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere. Adsumuntur e civitate clarissimus quisque, et alii per ambitionem. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo, ille spe ac iuventa properus, hic moras nectens quis flagrantem retineret, ne ferocia aetatis et pravis impulsoribus,

1. *ne quamquam — tolerarent* Mercerus: codices *nequaquam — tolerare*. cf. Agr. 16. 5. *uarrus* M^a^: G *Varus*. *praeposito* M^a^, *prepositus* G. 6. *solacio* M^a^. 8. *arrecinum* M^a^: *arretinum* G et alii. 10. *G.* M^a^. 11. *letum* M^a^. 13. *clarissimis* M^a^: G *clarissimus*. *ambitionẽs* M^a^. 16. *inp.* M^a^.

in Britanniam missum audita hac rebellione opportune supervenisse et hostes vicisse. *indomitae libidines:* cf. c. 2 et 39.

praetorianis praepositus: haec verba causam succedentium *vim atque arma retinebat* continent (*als Vorgesetzter der Prätorianer*). De re cf. cap. 2.

Arretinum codices recentiores et Suetonius Domitiano c. 11: in M^a^ (qui habet *arrecinum*) *c* pro *t*, ut saepe, invecta. In titulo apud Gruterum p. 104 *M. Arricinus Clemens*, sed incertum an idem designetur aut titulus accurate expressus sit. Si ab *Aricia* nomen duceret, neque *Arrecinus* neque *Arricinus* sed *Aricinus* (H. III 36) nominari debuit.

ad utraque munia: h. e. ad munus senatorium et equestre, qualis fuit praefectura praetorii. Non congruenter ad fidem historiae Suetonius in Tito 6: *praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam.* Etiam Seianus intra ordinem suum se non continuerat.

adsumuntur e civitate clarissimus quisque: assumebantur ad munia castrorum urbis procuranda tribuni e civibus (*e civitate*), non e militaribus, ut novos rectores et omnia mutata miles offenderet eoque minus fidenter ageret. Non recte Ernestius ac Pichena clarissimos illos ad Gallicam expeditionem missos esse putant. Nam haec cum prioribus haud dubie cohaerent: ad bellum Tacitus revertitur verbis *simul Domitianus Mucianusque.*

accingebantur: accingi proprie dicitur de iis qui gladio se ac-

si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda, Poeninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur; quarta decuma legio e Britannia, sexta ac decuma ex Hispania accitae.

Igitur venientis exercitus fama et suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Remos convenere. Trevirorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Iulio Valentino. Is meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia. At Iulius Auspex e primoribus 69
Remorum, vim Romanam pacisque bona dissertans, et sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri, iamque super caput legiones, sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstitisse Treviris Lingonibusque apud Gallias, quod

1. *malae* Mª. 2. *uictrices uim xj unj* cum lin. Mª: correxit Savilius ex H. 2 83 et 85. *unaetuicensima* Mª. 3. *Peninis* Mª, *apeninis* G. 4. *XIIII.* Mª. *britt.* Mª. 5. *VI ac pma* litt. *p* superscr. littera *i:* correxit Savilius ex H. 2 58, 3 44. cf. H. V 14 et 16 et 19. 9. *Iulio* editor : *tulio* Mª, *Tulio* G. 10. *imperii* Mª : G *imperiis.* 12. *uaecordi* Mª. 15. *quenque* Mª. 18. *Treveris* nunc Mª, paulo post *treviros* et *treviri*, et sic deinceps.

cingunt; id cum faciant qui ad bellum proficiscuntur, apte partem pro toto posuit.

victrices sexta et octava: in notis libri Mª *uictrices uim xj unj* additum *uim* ortum est ex proximo *uictrices;* quod sequitur *xj*, perperam expressum pro *ui* (= VI): nam sextam legionem, non undecimam, nominari, liquet ex H. II 83 et 85. Restat *unj* cum lineola, h. e. *u* sive V et tres ductus qui valent III. Legio sexta victrix quod *Dacos* fuderat (H. III 46), octava quod in proelio apud Cremonam (H. III 10 et 21) Vitellianos vicerat. Sextam legionem *victricis* nomine distinxit a sexta Hispanica paulo post memorata.

in Remos convenere: fortasse in civitatem Durocortorum (*Rheims*) copiosam et opulentam. *Iulio Valentino:* ex *tulio* Mª non *Tullio*, ut vulgo faciunt, sed *Iulio* corrigendum erat. Nihil frequentius apud proceres Gallorum illo tempore quam nomen *Iulii.* Sic *Iulius Vindex*, *Iulius Auspex*, *Iulius Africanus*, *Iulius Burdo*, et multi alii de quibus v. Ind. histor. n. *Iulius.*

Cap. 69. *At Iulius Auspex:* conventus Gallici consultatio, cuius descriptio paulo ante inchoata est, nunc porro ita depingitur, ut

Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum aemulatio: quod bello caput? Unde ius auspiciumque peteretur? Quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent? Nondum victoria, iam discordia erat, aliis foedera, quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus. Taedio futurorum praesentia placuere. Scribuntur ad Treviros epistulae nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili venia et paratis deprecatoribus, si paeniteret. Restitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suae aures, haud perinde instruendo bello intentus quam fre-

70 quens contionibus. Igitur non Treviri neque Lingones ceteraeve rebellium civitates pro magnitudine suscepti discriminis agere. Ne duces quidem in unum consulere, sed Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur; Classicus segne plerumque otium trahens velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniae ripam et ardua Alpium praesidiis claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sexti-

5. *faed.* M[a]. *per iuria* GM[a], *periuria* BCR.: correxit P. Manutius apud Lipsium. 6. *tedio fu* (in versus fine) *futurorum* M[a]. 7. *eplae* M[a]. 8. *depc.* M[a]. 9. *penit.* M[a]. 14. *caperet* M[a]: G *capere.* 18. *unaetuincensima* M[a].

contrariae sententiae vis et ratio declaretur atque imago vulgi verbis magnifici, re inanis et pavidi, postremo etiam invidia distracti praebeatur, id quod praecipue sentitur in verbis *et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur.*

quod Vindicis motu cum Verginio steterant: quod tunc partes Galliarum non secuti sed cum Verginio et legionibus Germanicis Vindicem oppugnaverant.

unde ius auspiciumque: ius ad civilia pertinet *auspicium* ad rem bellicam. *per iurgia:* hoc est ita suas opes viresque aut vetustatem originis iactabant, ut eadem in aliis gentibus deesse coram civibus earum asseverarent.

Cap. 70. *Claudium Labeonem:* de hoc trans Mosam fluvium profugiente c. 66 relatum est: *unaetvicesima legio Vindonissa:* unaetvicesima legio ex superiore Germaniae exercitu a Caecina adversus Othonem in Italiam ducta (H. I 61) iam in provinciam suam regreditur: in eo itinere Vindonissae in castris quae ibi erant (H. IV 61) requieverat: sed noli inde colligere Vindonissae castra hiberna legionis unetvicesimae fuisse: nam Vindonissa (nunc vicus *Windisch* in pago Argoviensi) Helvetiorum oppidum erat, non Germaniae superioris. Cf. ad H. I 67.

Sextilius Felix cum auxiliaribus cohortibus per Raetiam: Felix ad ripam Aeni fluminis, quod

lius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere. Accessit ala singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Praeerat Iulius Briganticus sorore Civilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensusque. Tutor Trevirorum copias, recenti Vangionum Caeracatium Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis; qui primo cohortem praemissam a Sextilio Felice interficiunt, mox ubi duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere, secutis Tribocis Vangionibusque et Caeracatibus. Tutor Treviris comitantibus, vitato Mogontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navae fluminis abruperat. Sed incursu cohortium quas Sextilius ducebat, et reperto vado proditus fususque. Ea clade perculsi Treviri, et plebes omissis armis per agros

5. *avonc.* M^a. 6. *caracatium* G. *dilectũ* M^a, *lectu* G et alii. 7. *pedites* M^a : G *pedite.* *metus* M^a : G *metu.* 10. *sicut is* M^a : G *sequutis.* 11. *Treveris* nunc M^a. *cõmit.* M^a. 12. *Mogont.* M^a : *magonc.* G. *potem* M^a. 13. *nauas* M^a et pr G, *naues* corr G: correxit Rhenanus. 15. *perculsit* M^a : G *perculsi.*

Raetos Noricosque interfluit stetit, dum fortuna partium Vitellii ac Vespasiani in Italia transigitur (II. III 5): inde igitur in Germanias nunc erumpit cum octo, quibus praefuit, auxiliaribus cohortibus.

ala singularium : singulares equites vel singularii Caesarum temporibus in castris ad sinistram ducis et praetorii tendebant, in diversa parte praetoriani qui vocabantur. In castris a Polybio descriptis non memorantur. Hyginus Gromaticus apud Schelium p. 4: *equites praetoriani latere dextro praetorii, singulares imperatoris latere sinistro;* pag. 8: *lateribus praetorii cohortes praetoriae, ad hoc equites praetoriani, equites singulares imperatoris.* Singulares videntur nominati esse, quod ex equitatu sociali tamquam eximii ad custodiam ducis electi sunt. Tituli in quibus referuntur plures indicati in Forcellinii lexico s. v. *Singularius.*

Vangionum, Caeracatium, Tribocorum delectu: de Vangionibus et Tribocis Rheni accolis v. Germ. 28. *Caeracates* ignoti sunt, et vix dubium est quin subsit aliquid vitii. *Tabernatium* I. Fr. Gronovius coniecit.

legionariis : fuere e legionibus superioris provinciae, ex iis militibus qui in castris Mogontiaci et in vicinis locis Tutori obstricti erant (c. 59) occisis tribunis et pulso castrorum praefecto. De legione prima et sexta decima Treviros traductis (c. 62) noli cogitare: nam de his paulo post refertur.

Bingium — abruperat : num Bingium in sinistra Navae ripa, ut Tutor abruptis pontibus tutus esset ab exercitu ingruente a Mogontiaco iuxtaque Rhenum ad Navam proficiscente ? Sic accepit

palatur: quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates quae societatem Romanam non exuerant perfugere. Legiones a Novaesio Bonnaque in Treviros, ut supra memoravimus, traductae se ipsae in verba Vespasiani adigunt. Haec Valentino absente gesta; qui ubi adventabat furens cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem, abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.

71 Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Mogontiacum venit. Eius adventu erectae spes, ipse pugnae avidus et contemnendis quam cavendis hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat, ubi primum congredi licuisset, nullam proelio moram facturus. Delectus per Galliam habitos

3. *perfugerent* expunctis litt. *nt* M[a]: *perfugerunt* G. 3. *nouesio* G, et Orellius nunc tacite *Novesio*. 4. *ipsas* GM[a]: correxit Ernestius. 6. *cuncta quae* M[a], *cuncta que* G. *exitium* M[a] (non *excidium*). 7. *absessere* M[a]: G *abscessere*. 9. *minores* M[a]: G *minore*. 11. *Mogont.* M[a]: *mogonc.* G. 14. *liguisset* M[a]: *licuisset* G. 15. *facturis* M[a]: G *facturus*. *dil.* M[a]: *del.* G.

Ryckius et nactus est qui probarent. At in sinistro litore nihil loci oppidi aedificiis, et civitas haud dubie tunc, ut hodie, in dextra fluminis ripa fuit, ubi natura et facies locorum oppido quam maxime opportuna. Sed id ipsum cum Taciti verbis conciliari potest: nam Tutor loco fidebat, qui ab una parte (meridiem versus) moenibus oppidi, ab altera (in septentrionem) flumine Nava defendebatur. Pontem abruperat, ne a tergo invaderetur. Aliter Doederlinius: 'non in ipso vico consedit Tutor, sed prope vicum in altera et sinistra Navae ripa'. Ea ripa tam praerupta, ut exercitus consistere ibi non possit. Et Tacitus cum narrat, Bingium concessisse Tutorem, oppidum ab eo relictum et hosti stulte concessum esse non significavit.

proditus fususque: de hoc proelio Ausonius in Mosella 1: *transieram celerem nebuloso flumine Navam, addita miratus veteri nova moenia Vinco, aequavit Latias ubi quondam Gallia Cannas, infletaeque iacent inopes super arva catervae.*

se ipsae in verba Vespasiani adigunt: vitium in pronomine *ipsae* a scriba libri Medicei commissum (*ipsas*) idem ac paulo ante in *nauas* pro *Navae*. *Valentino absente*: is in concilio Galliarum apud Remos interim fuerat: c. 68 sq.

Cap. 71. *Petilius Cerialis:* cf. II. III 59 et 78, IV 68. *delectus per Galliam habitos:* in his Lingonum septuaginta milia armatorum: Frontinus Strategem. IV 3 14: *auspiciis imperatoris Caesaris Domitiani Augusti, Germanico bello quod Iulius Civilis in Gallia mo-*

in civitates remittit, ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium: nam recepta iuventute facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. At Civilis et Classicus ubi pulsum Tutorem, caesos Treviros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere ne summae rei periculum faceret. Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Mogontiaci quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit; quem locum magna Trevirorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne saeptum. Et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste, quem temere collectum haud ita loco iuvari ut non plus suis in virtute foret. Paulum morae in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinae modo praecipitantur. Et pars equitum aequioribus iugis cir-

3. *ausit* M^{a}: G *auxit*. 5. *ad*] *at* M^{a}. 6. *cesos* M^{a}. 12: *Mogont*. M^{a}: *magonc*. G. 14. *septum* Or. 17. *frigeret* M^{a}, *figeret* G *erigeret* Puteolanus. 18. *haut* M^{a}.

verat, Lingonum opulentissima civitas quae ad Civilem desciverat, cum adveniente exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra expectationem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit ei. Haec transcripsit in sua Ioannes Sarisberiensis V 7, qui Taciti de his rebus narrationem compertam nondum habuit; v. Prooemium p. XXXVI annot. 2.

proniores ad officia, quod spernebantur: quippe dites erant et imbelles (XI 18). Taciti verba irrisionem populi degeneris continent.

qui breviore itinere legiones in hostem verterent: legiones dicit primam et sextam decimam, de quarum discessu in Mediomatricos c. 70 expositum est. *Mediomatrici* supra Mogontiaci regiones cum habitarent, legiones inde breviore via Treviros verti poterant, quam si ante Mogontiacum ad Cerialem venissent. Cerialis ipse proxima via ac bene munita a Mogontiaco ad Mosellae ripam per montium iuga ac saltus (*Hunsrück*) contendit.

Rigodulum prope Treviros situm erat, ut patet ex c. 72 initio. Retinet nomen vicus *Riol* secundo

cumvecta nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum,
72 cepit. Cerialis postero die coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis. Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas caesasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. Redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerialis a metu infamiae, si licentia saevitiaque imbuere militem crederetur, pressit iras. Et paruere, posito civium bello ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis. Nulla inter coëuntes exercitus consalutatio. Neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. Nec perinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupefecerat, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans quae militum ducumque discordia vel fraude

4. *ces.* Mª. 8. *ducum* G: Mª *cum.* 11. *seuit.* Mª. *inb.* Mª. 15. *consultatio* Mª: *consalutatio* G. 17. *pinde* cum *p* caudato Mª, *proinde* G: *perinde* Beroaldus. 19. *p̄cesque* Mª. 21. *ducumque* Mª: *ducum ve* G et Oxonienses.

fere lapide a Treviris in dextra ripa fluminis Mosellae. Falsa de oppidi situ prodidit Lipsius, vera Danvillius in Notitia antiquae Galliae p. 554.

dum missilia hostium praevehuntur: celeri impetu id consequi Romanus miles studebat, ut hostium missilia minimum temporis toleraret. Hoc nove Tacitus expressit *praevehi* (*daran vorbei kommen*).

Cap. 72. *horum scelere — legiones:* v. c. 59 sq.

Cerialis a metu infamiae: h. e. suam metuens infamiam; *iras* non de Cerialis iracundia dictum accipe, sed de iratis militum vocibus animisque. *A metu* valere *propter metum* dicunt, ac sane Livius ita fere admisit I 1, V 5, VI 2 et 4, XXIV 30, XXXVII 43, XL 13, sed apud Tacitum nihil simile alibi reperitur. Quapropter existimaverim *a* residuum esse ex *aū* (in antiqua scriptura *A̅V*), h. e. *autem.*

accitarum e Mediomatricis legionum: cf. c. 70 extr. *lacrimis ac silentio:* h. e. lacrimis tacite quidem sed misericordiae signo effusis. Res similis H. IV 46.

hostium evenissent. Primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque imperatorem neque se meminisse. Tunc recepti in eadem castra, et edictum per manipulos ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret. Mox Treviros ac Lingonas ad 73
contionem vocatos ita adloquitur. 'Neque ego unquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis adfirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura sed vocibus seditiosorum aestimantur, statui pauca disserere, quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. Terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant; et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. Quot proeliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum poteretur. An vos cariores Civili Batavisque et transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt?

1. *sa* (in versus fine)*menti* M^a^: G *sacramenti*. 6. *contionum* M^a^. 7. *adfirmavit* M^a^: G *affirmaui*. 8. *quia* G: *q* cum lin. M^a^, *quoniam* Corb. 9. *estim.* M^a^. 15. *inp.* M^a^. *quod* M^a^: G *quot*. 19. *potiretur* nunc M^a^. 20. *ciuilis uatauisque* M^a^: *ciuili battauis que* G. 21. *fuer* cum lin. M^a^.

evenissent: expectes *evenerant*, sed *evenissent* quoque recte dicitur et contrariae sententiae vis retinetur, dum in incerto id relinquitur, quantum *militum ducumque discordia*, quantum *fraude hostium* evenerit.

neque imperatorem neque se meminisse: imperator est princeps Vespasianus, cuius legatus et vox Cerialis.

Cap. 73. *neque ego:* oratio tota viri militaris ingenium spirat, frequens dictionis proverbialis salibus, simplicis animi ingenua professione, arrogantiae et superbiae propior, plena contemptu dicentis adversus eos quos alloquitur, distincta membris contra positis, instructa aculeis in animo audientium relinquendis.

et acciti auxilio Germani — imposuerant: v. Caesar B. G. I 31 sqq. De formis *Teutoni* et *Teutones*, quarum prior apud probatos linguae auctores, cf. Forcellinii lexicon.

Rhenum insedimus: dicit provinciam superioris et inferioris Germaniae ab Augusto constitu-

Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. Ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.

74 Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis. Nos, quamquam totiens lacessiti, iure victoriae id solum vobis addidimus quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cetera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis. Nihil separatum clausumve. Et laudatorum principum usus ex aequo, quamvis procul agentibus: saevi proximis ingruunt. Quomodo sterilitatem aut nimios imbres et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur. Nisi forte Tutore et Classico regnantibus moderatius imperium speratis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus quibus Germani Britannique arceantur. Nam

13. *nichil* M[a]. 21. *britt.* M[a].

tam in sinistra ripa Rheni. *ut non — usurparet: ut non* duabus voculis discretae particulae plenius ad aures quam simplex *quin* accidunt.

Cap. 74. *in nostrum ius:* declinavit orator *potestatis* vocabulum, quo rem non gratam molliret.

id solum vobis addidimus quo pacem tueremur: haec sunt stipendia quibus Romani milites in hibernis provinciarum positi alerentur. Rem ita eloquitur orator, tamquam tributa Galliarum non nisi in praesidium ipsarum postularentur.

ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis: tribuni militares saepe, interdum etiam legati legionum ex provincialibus fuere.

et laudatorum — proximis ingruunt: conf. Sall. Iug. 102, ubi regem Bocchum Sulla sic alloquitur: *tibi vero nulla opportunior nostra amicitia, primum quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par ac si prope adessemus.* *saevi proximis ingruunt:* saevi imperatores in ipsos cives Romanos ac praecipue senatores invadunt, provinciis parum graves.

meliorum interventu: meliorum non ad *meliores* referre velis, sed ad *meliora*, h. e. melior hominum status et conditio.

nam pulsis — existent: in oratione quae Sallustii nomine circumfertur II ad C. Caesarem de re publ. ord. 13: *quippe si morbo*

pulsis, quod di prohibeant, Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum causae. Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate colite. Moneant vos utriusque fortunae documenta ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum securitate malitis'. Tali oratione graviora metuentes composuit erexitque.

Tenebantur victore exercitu Treviri, cum Civilis et 75
Classicus misere ad Cerialem epistulas, quarum haec sententia fuit, Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita; urbem atque Italiam interno bello consumptam; Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatium suarum contentos: si proelium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea

1. *pulsi* M^a : G *pulsis*. *dii* G et Or. 10. *conp.* M^a. 11. *Treveri* nunc M^a. 12. *eplas* cum lin. M^a, item mox. 13. *nuntios* M^a, *nuncios* G : ACF *nuntii*. 16. *ipso* M^a: G *ipsos*.

ium aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur. Monuit Lipsius.

di: dii h. l. videtur inesse M^a, qui alibi formam *di* ac *dis* offert. Nimirum *di* est *dei* et *dis* est *deis* una syllaba prolatum, ipsumque *deis*, si per unam syllabam effertur, a *dis* littera, non sono, differt. Conf. ad IV 55. *Dii* et *diis* recte scriberetur, si tam *dius* quam *deus* diceretur: sed id secus est. Haec causa est cur apud poetas nunquam sive *dii* sive *diis* inveniatur.

penes quos aurum et opes: cf. Ann. III 46, XI 18. *eodem iure:* memorat civitatem Romanam, qua Treviri ut coloniae cives utebantur, Lingones a Vitellio donati videntur fuisse.

Cap. 75. *si Cerialis — velit, — si proelium mallet*: temporum mutatio non temere admissa: nam quod altero membro barbarus orator promit, id tamquam minus probabile et vix eventurum pronuntiat. Sic nos quoque: *wenn Cerialis wolle*, et rursus *wollte er aber lieber*. Inversa temporum consecutione c. 20: *si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros.*

ad Domitianum misit: misit in oppidum Lugdunum, ubi tunc Domitianus; v. c. 85.

Cap. 76. *quarum terrore fractae — vires obtererentur:* componuntur *frangi* et *obteri*; fractae vires sine vi sunt, obtritae sine substantia.

Gallos quid aliud quam praedam victoribus: directa oratione esset: *Galli quid aliud quam praeda victoribus?* Ea in tertia aut prima

Cerialis Civili et Classico nihil: cum qui attulerat, ipsas epistulas ad Domitianum misit.

Hostes divisis copiis advenere undique. Plerique culpabant Cerialem passum iungi quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. Apud Germanos diver-
76 sis sententiis certabatur. Civilis opperiendas transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quam praedam victoribus? Et tamen, quod roboris sit, Belgas, secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat, coëuntibus undique exercitibus. Transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia; nec subitum militem, sed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere; pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur,

1. *ciuilis* M[a]: *ciuili* G. *attolerat* litt. *o* superscr. *v.* M[a]. 8. *opter.* M[a]. 11. *cunctatio nec* (in versus fine) *res gererem romanam* litt. *g* superscr. *c* M[a]: correctum inest G. 12. *britt.* M[a].

persona in accusativum cum infinitivo mutatur, ubi verba alius referuntur in oratione obliqua. Rem exposuit Madvigius Opusc. acad. t. II p. 208. Conf. I 17: *quando ausuros* (*audebimus*) *exposcere remedia?* 46: *an Augustum — commeare potuisse?* II 2: *ubi illam gloriam trucidantium Crassum?* 15: *aliud sibi reliquum quam tenere libertatem?* III 34: *ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios?* 44: *an et Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore?* 58: *cur Dialibus id vetitum?* IV 7: *quantum superesse?* VI 2: *quos omitti posse, quos deligi?* XI 7: *quem illum tanta sapientia esse?* XIII 43: *cur enim neminem alium delectum?* XVI 29: *quid Agrippino obiectum* (*esse*)? H. I 50: *nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros* (*ibimus* in directa oratione)? H. II 20: *an oppugnationem inchoaturos* (*inchoabimus*)? H. III 13: *huc cecidisse Germanici exercitus gloriam* cet. A. 15: *quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent?* Contra in secunda persona modus indicativus transit in coniunctivum mutato tempore verbi, veluti *quid petisti* in *quid petisset*; v. I 19 cum annotatione et 26 et 40, XIII 49. H. III 70. Cf. ad H. IV 4.

quod roboris sit, Belgas: de Belgarum fortitudine cf. Caesar B. G. I 1. Constructio similis I 48: *quod maxime castrorum sincerum erat;* 64: *quod effectum operis.* H. II 44: *superesse — militum quod trans Padum fuerit;* H. IV 15: *quod militum in superiorem insulae partem congregantur;* H. V 16: *fusos Germanos, quod roboris fuerit.*

transvectam — ex Italia: cf. c. 68.

maiora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum ut non idem pretium quietis quam periculi malit. Quodsi statim congrediantur, nullas esse Ceriali nisi e reliquiis Germanici exercitus legiones, foederibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. Ausuros rursus venturosque in manus non imperiti adulescentuli, verba et contiones quam ferrum et arma meditantis, sed Civilis et Classici; quos ubi aspexerint, redituram in animos formidinem fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. Neque Treviros aut Lingonas benivolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit. Diremit consiliorum diversitatem adprobata Tutoris sententia Classicus; statimque exequuntur. Media acies Ubiis Lingonibusque data; dextro cornu 77
cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique. Pars montibus, alii viam inter Mosellamque flumen, tam inprovisi adsiluere ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit, perrupta legionum castra, fusi equites, medius

2. *p̄tium* M^a. *mallit.* M^a : G *malit.* 3. *nisi e reliquis germanicis* M^a, *nec ex reliquiis germani* G. *Germanici* B et Bodl. a sec. manu, ex editoribus primus Rhenanus. 7. *inperitia,* tum rasura quinque circiter syllabarum M^a, *imperitia militum sed* G et alii : correxit Rhenanus in contextu; in Castigationes irrepsit *imperitia* pro *imperiti.* 10. *p̄c.* M^a. 11. *beniuol.* GM^a, non *benevol.* 13. *adprobatā* M^a. *classibus* M^a : G *classicus.* 16. *alii* G : M^a *alii alii.* *inprouisa* M^a, *improuisa* G: emendatum in A et tacite a Rhenano.

Cap. 77. *Ubiis Lingonibusque:* Lingones quidem in deditis c. 72 extr. referuntur, sed qui nunc in partibus hostium agunt, ii cum Tutore ex proelio Bingiensi (c. 70) in Germaniam inferiorem ad Civilem evaserant.

pars montibus: iuga montium dicit, super quos via duxit munita, quae a sinistra Mosellae parte pergebat ad Coloniam Agrippinensium. Qui *viam inter Mosellamque flumen* adsiluisse dicuntur, hos per vallem fluminis ex inferioribus locis ad Treviros in sinistra ripa contendisse ita cogites, ut cum copiis de montibus ruentibus pariter ad pontem Mosellae pervenirent. Romana castra in dextra ripa prope ab oppido fuere, sed stationes aliquot etiam in laevo litore. Hinc statim *medius* Mosellae pons. Ipsa autem colonia Trevirorum et tunc, perinde ac nostris diebus, tota in dextra ripa fuit, et in sinistra nihil spatii est

Mosellae pons, qui ulteriora coloniae adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore, promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cuiusque accursu reciperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus palantes captarum apud Novaesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. Incensus ira 'non Flaccum', inquit, 'non Voculam deseritis. Nulla hic proditio; neque aliud excusandum habeo quam quod vos Gallici foederis oblitos redisse in memoriam Romani sacramenti temere credidi. Adnumerabor Numisiis et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus aut hostium ceciderint. Ite, nuntiate Vespasiano vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie ducem. Venient legiones quae neque me inultum neque vos impunitos patiantur.'

78 Vera erant, et a tribunis praefectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste et impedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis, suis quisque locis, pugnam ciebant, Gallos pro li-

1. *mosallae* M[a] : G *mosellae*. 4. *adc.* M[a]. *recip.* M[a]: *recup.* G. 10. *gallicis* M[a]: G *gallici*. *redisse in* Lipsius: *p̄dixerim* GM[a] et ceteri.

struendis aedificiis domibusque. Nihil omissum est, nihil peccatum.

in cubiculo ac lectulo: non in castris extra coloniam positis et apud milites, sed in oppidi domo dux paulo delicatior et pronus ad luxuriam egerat; conf. H. V 22. *In cubiculo ac lectulo* idem quod *in lectulo cubiculi*.

medius Mosellae pons: eius pontis postes in alveum immissi et ingentium lapidum mole constructi etiamnum visuntur: pons superior recentiore opere confectus est. Antiquum autem pontem a Germanico Caesare factum esse suspicor propter illa Strabonis IV 3 §. 4 p. 194: *μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρηούϊροι, καθ' οὓς* (quorum adversus oppidum) *πεποίηται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνί, τῶν στρατηγούντων τὸν Γερμανικὸν πόλεμον.*

qui ulteriora coloniae adnectit: *coloniae* dativus est, non genitivus; *ulteriora* sunt quae in ripa sinistra (*die das jenseitige Ufer mit der Pflanzstadt verbindet*).

mox in castra reversus: hinc liquet castra in dextra ripa posita fuisse non procul a moenibus coloniae.

Cap. 78. *a tribunis praefectisque*: tribuni legionarios, praefecti sociales cohortes increpando stimulabant.

Gallos: h. e. Lingonas; Ger-

bertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes. Et cuncta pro hostibus erant, donec legio unaetvicesima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox inpulit. Nec sine ope divina mutatis repente animis terga victores vertere. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quae primo impetu disiectae summis rursus iugis congregabantur ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste spolia consectandi. Cerialis ut incuria prope rem adflixit, ita constantia restituit; secutusque fortunam castra hostium eodem die capit excinditque. Nec in longum quies militi 79 data. Orabant auxilium Agrippinenses, offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant; unde metus et iustae preces invocantium, antequam hostes reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra, quae ex Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium, qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto cremavere. Simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et alius metus, ne

1. *gloriā* M^a^. 2. *XXI.* GM^a^. 3. *conglouatā* M^a^: G *conglobata.* 8. *pravom* Or. *omisso hoste* M^a^: *hoste omisso* G. 9. *incuriā* M^a^. *rem* M^a^: *res* G et Oxonienses. *affl.* G et Or. 15. *p̄ces* M^a^. 17. *nanque* M^a^. 18. *integraque et e cauchis* M^a^, *integra, et e chauchis* G: emendavit Pichena. 20. *ad* (in versus fine) *auertit* M^a^: G *auertit.*

mani qui statim nominantur sunt *Bructeri Tencterique.*

Cap. 79. *flagrantissima cohortium suarum integra:* hoc scribit cladem eius et interitum respiciens, 'quamdiu cohortium suarum flagrantissima integra fuit'. Aliter Orellius: 'causa significatur, cur haec cohors etiamtunc fuerit integra; Tolbiaci enim egisse nondumque cum Romanis in manus venisse'. Sed cohors nondum in proelium deducta vix integra sine obscuritatis vitio appellari poterit.

qui largis epulis — cremavere: Tacitus hoc exemplum secum recogitans in Germania cum Historiis simul edita c. 23 prompsit haec: *si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.*

Cap. 80. *isdem diebus:* a rebus externis paulum ad urbis ne-

quarta decima legio adiuncta Britannica classe adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit, eaeque civitates in deditionem acceptae. Classem ultro Canninefates adgressi sunt, maiorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem, sponte commotam ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Canninefates fudere. Classicus quoque adversus equites Novaesium a Ceriale praemissos secundum proelium fecit. Quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.

80 Isdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici iubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est, favore militum anxius et superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis. Profectus ad Vespasianum Antonius ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso imperatoris animo. Trahebatur in diversa, hinc meritis Antonii, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistulis: simul ceteri ut infestum tumidumque insectabantur, adiunctis prioris vitae criminibus. Neque ipse deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset. Alios ut imbelles, Caecinam ut captivum ac dediticium increpat. Unde paulatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia.

1. *britt.* Mª. 4. *ea aeque* Mª. *accepte* Mª. *cannenefates* Mª. 5. *dep̄ssa* (id est *depraessa*) Mª. 7. *idem cannenefates* Mª: G *iidem canin.* 8. *nouaesium* Mª: *nouesium* G. 10. *parte* Mª. 13. *addomitiano* Mª. 14. *ancxius* Mª. *eq.* Mª. 15. *ad* G: Mª *a.* 17. *aduerso* Mª: G *auerso.* 19. *eplis* cum lin. Mª. 22. *inb.* Mª. *captivom* Or. 24. *mante* Mª: G *manente.*

gotia digreditur, mox (c. 81) ad Vespasianum principem Alexandriae versantem sese convertit.

obtendens, ni — restinxisset: duo arguuntur his verbis, simulandi pravitas denotata voce *obtendens* (nam vera causa deerat), et arrogantia stolida additis *ni — restinxisset* expressa: scilicet infantis pueri sanguine belli civilis pericula homo cupidus reprimenda esse putavit. De Vitellii filio prima mentio iniecta H. II 59.

adiunctis prioris vitae criminibus: cf. XIV 40. H. II 86. *levior viliorque:* *levior* est cuius pondus sive potentia, *vilior* cuius pretium sive existimatio deminuitur; cf. XIII 14.

manente tamen in speciem ami-

Per eos menses quibus Vespasianus Alexandriae statos 81
aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis caelestis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manum aeger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere aspernari; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. Postremo existimari a medicis iubet an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: huic non exesam vim luminis, et redituram, si

3. *celis e* cum lineola (= *est*), *celi* G: correxit Rhenanus. *fabor* Mᵃ. 6. *di* cum lin. Mᵃ. *deta* inserta syll. *di*, fortasse ab eadem manu, Mᵃ. 9. *do* cum lin. Mᵃ. 13. *estimari* Mᵃ, *extimari* G: *existimari* Ernestius. 15. *uariae* Mᵃ.

citia; vera amicitia ei fuit cum principe Domitiano, ut docet Martialis epigramma X 32: *haec mihi quae colitur violis pictura rosisque, quos referat vultus, Caeditiane, rogas? Talis erat Marcus mediis Antonius annis Primus: in hoc iuvenem se videt ore senex. Ars utinam mores animumque effingere posset, pulchrior in terris nulla tabella foret.*

Cap. 81. *statos aestivis flatibus dies*: stati dies sunt qui subitis tempestatis vicibus non obnoxii aequo tenore decurrunt. De Etesiis qui Alexandria Romam proficiscentibus adversi (Caes. B. Civ. III 107) non cogitandum. Vegetius IV 39 (V 9): *Paunitae decursu, id est post ortum Pleiadum a die sexto kalendas Iunias usque ad Arcturi ortum, id est in diem octavum decimum kal. Octobres, secura navigatio creditur, quia aestatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur.*

quis — ostenderetur (*wodurch kund gegeben werden sollte*): hominum qui tunc vivebant opinionem Tacitus perscribit, suum cohibens iudicium. Eadem tradidit Suetonius Vesp. c. 7, qui diligens admodum in talibus rebus, Dio apud Xiphil. LXVI 8.

exposcens gemitu, monitu Serapidis dei: mihi, ut olim Ernestio, ablativus *gemitu* (*unter Aechzen*) tam per se satis iners quam ante alterum (*monitu*), cuius alia est relatio (*auf Anrathen*), offensioni est, sed dormitasse nunc auctor ipse mihi videtur. Suetonius: *e plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure* (apud Tacitum et Dionem est debilis manu), *sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini demonstratam a Serapide per quietem.*

oris excremento: declinat vulgarem vocem *sputum* vel *salivam*;

pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi deis, et divino ministerio principem electum, denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quidquam ultra incredibile, laeto ipse vultu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

82 Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. Arceri templo cunctos iubet. Atque ingressus intentusque numini, respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere et aegro corpore detineri haud ignorabat. Percontatur sacerdotes num illo die Basili-

2. *integrare* M[a]: G *integrari.* 4. *paenes* bis M[a]. 6. *quicquam* Or. idem *voltu.* 9. *p̄tium* M[a]. 14. *egro* M[a]. 15. *percunct.* hic et mox Or.

perinde XVI 4 posuit *nulla oris aut narium excrementa*, et a *saliva* et a *mucci* nomine eleganter abstinens. Plin. N. H. XXVIII 7: *credamus ergo lichenas leprasque ieiunae* (salivae) *illitu assidue arceri, item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione.* De superstitionibus Aegypti incolarum v. H. I 11, V 4 et 5. Iuvenalis XV 1—13. Iustinus I 9, Clemens Alexandrinus Protreptico p. 25 ed. Sylburg.

existimari a medicis iubet (*er verlangt ein Gutachten von Aerzten*): in Mediceo et celeris libris (*estimari* vel *extimari*) media syllaba elapsa est: nam *existimatur* a peritis, *aestimatur* a cuiusvis generis hominibus. Posterius recte positum XIII 17. Sed H. IV 7: *suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent.* Hinc *existimator* (*Kenner*) pro artis perito, de quo videndi lexicographi.

varie disserere: haec noli accipere de variis sive discrepantibus medicorum sententiis, sed *ambages* eorum denotantur (*die Aerzte bringen allerlei vor*).

nunc quoque memorant: Historiarum libros a Tacito perscriptos magnam partem esse principe Domitiano, sed confectos imperante Nerva et Traiano in Prooemio expositum est. Dum *nunc quoque* ponit, ultimum scribendi tempus respexit, atque hoc paulo ante editionem operis additum est.

Cap. 82. *altior — cupido:* praesentem vim numinis expertus maiore cupidine de suo imperio consulere deum adigebatur. Hanc cupidinem nove *altiorem* vocavit.

super rebus imperii: apud Suetonium est *de firmitate imperii capturus auspicium.*

e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden: Sueton. l. c. *libertum* vocat *Basiliden*, et sane in eiusmodi rebus variare solet

des templum inisset; percontatur obvios num in urbe visus sit: denique missis equitibus explorat illo temporis momento octoginta milibus passuum afuisse. Tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est.

Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegy- 83
ptiorum antistites sic memorant, Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret: laetum id regno, magnamque et inclutam sedem fore quae excepisset. Simul visum eundem iuvenem in caelum igne plurimo attolli. Ptolemaeus omine et miraculo excitus sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intellegere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine

3. *afuisse* M^a; litterae *a* a recentiore manu superscr. *u*; unde *absfuisse* G. 4. *interp̄tatus* M^a. 5. *di* cum lin M^a. *egypt.* M^a. 6. *ptolemeo* M^a, *ptolomeo* G. 7. *eg.* M^a. 11. *inclytam* GM^a: c. 84 *inclutam* offert M^a. 13. *ptolemeus* M^a, *ptolomeus* G. 14. *miracula* M^a: G *miraculo*. 17. *eleusim* M^a, *eleusi* G: correxit I. Fr. Gronovius.

fama iam apud aequales. *ex nomine Basilidis interpr. est: Basilidis* nomen prae ceteris faustum Vespasiano videbatur: quippe inde principem vel *βασιλέα* se futurum coniectabat. Conf. annot. ad II. IV 53.

Cap. 83. *origo dei — celebrata:* tamquam grato deverticulo (c. 83—84) post tot casus et tanta rerum discrimina adhuc tradita animum suum scriptor ipse relaxavit et legentes dulci quadam narratione detinere voluit. Credulae famae formam imitatus est, et ipse ex hymno sive prooemio quodam Serapidis apud sacerdotes asservato videtur sua hausisse. Cf. Plutarchus de Iside et Osiri c. 27 sq., Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Graecos p. 31 ed. Sylb. vel p. 42 ed. Potter.

Aegyptiorum antistites: sacerdotes sunt, h. e. sacrorum antistites et templorum. Hinc licet videre Tacitum in Aegypto fuisse.

qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit: Macedonum idem est atque *ex Macedonibus*, quod quo facilius simplici genitivo posset efferri, addito vocabulo *primus* consultum est: nam hoc, quantum ad sententiam, pertinet ad *firmavit*, quantum ad structuram verborum, pendet ex v. *Macedonum.* *recens conditae: recens* spectat ad tempora proxime priora, ubi Alexander urbi a se conditae nomen dedit.

in caelum igne plurimo attolli: hinc confirmari potest quod in Sa-

exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen interrogat. Timotheus quaesitis qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen, nec procul templum, vetere inter accolas fama, Iovis Ditis: namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior iam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni iussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet; praecepitque navigaturis ut Pythicum Apollinem adeant. Illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: irent, simulacrumque patris

84 sui reveherent, sororis relinquerent. Ut Sinopen venere, munera preces mandata regis sui Scydrothemidi adlegant. Qui versus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri; saepe donis promissisque legatorum flectebatur.

4. *nanque* M[a]. 5. *ptolomeus* GM[a]. *ut* (in versus fine) *ut sunt* M[a]. 7. *adp.* M[a]: *app.* G. 8. *uerteret* M[a]: G *uertere.* *eadem* G: M[a] *caedem.* 10. *paterentur* M[a]: G *patrarentur.* 11. *praecepitque* GM[a]: *praecipitque* B. 15. *alegant* M[a], *allegant* G.

turn. I 20 asserit Macrobius, *Serapin* esse Solem sive *Ἥλιον*. Sed ex cetera Taciti narratione Serapis potius is est qui Iuppiter infernus, h. e. Pluto, eique ex altero sexu respondet Proserpina.

atque illis Ponti et externorum parum gnaris: haec respuere volent qui eludunt *omne quod fieri non potest* vel fieri vix potest, sed Tacitus ambages narratiunculae sacerdotalis reddere studet. Ut sacerdotes Aegyptii tamquam Ponti et Sinopes, urbis celeberrimae, ignari referuntur, ita Timotheus Eleusine excitus mire imperitus ac demum a negotiatoribus de Ponti rebus certior factus inducitur. Scilicet in his traditionibus Sinope tamquam in ultima Thule et fere in extremis terrarum sita cogitatur.

Iovis Ditis: ut Iuppiter caelestis imperator est, sic Dis pater regnat in intimis terrae et apud inferos. Cic. de N. D. II 26: *terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui Dives, ut apud Graecos Πλούτων, quia et recidant omnia in terras et oriantur e terris.*

ut sunt ingenia regum: etiam haec sapiunt famam a sacerdotibus si minus factam, at libere exornatam. Taciti animus a regibus aversus, de quo cf. annot. ad VI 1, huc advocari non debet.

Scydrothemidi: de vero rege Ponticae civitatis haud cogitandum videtur: immo Scydrothemis, ut cetera omnia, fabulosae narrationis rex est.

Cap. 84. *versus animi:* huc illuc vertens *animo;* cf. ad H. IV 66.

Atque interim triennio exacto Ptolemaeus non studium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur. Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta caelestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata contione iussa numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit. Vulgus aversari regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsedere. Maior hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori navis sponte conscendisse. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis extructum loco cui nomen Rhacotis. Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Haec de origine et advectu dei celeberrima. Nec sum ignarus esse quosdam qui Seleucia urbe Syriae accitum, regnante Ptolemaeo quem tertia aetas tulit; alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem ex qua transierit Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Aegypti columen. Deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin,

1. *ptoloms* cum lin. M[a]. 2. *p̄ces* M[a]. 3. *scidr.* h. l. M[a]. 5. *manista* M[a]: G *manifesta.* 6. *ius sanunis, mi* addito ex corr. M[a]: G *iussa numinis.* *ptolomeique* GM[a]. 7. *volgus* Or. *aduersari* GM[a]: correxit Muretus. 8. *circumsedere* M[a]: *circumsidere* pr G. 9. *adp.* M[a]: *app.* G. 11. *tatum* M[a]: G *tantum.* *adp.* M[a]: *app.* G. 14. *di* cum lin. M[a]. 16. *ptolomeo* GM[a]. *ptolomeum* GM[a].

maior hinc fama tradit: maior fama est quae maiora sive magis mira tradit. Theodisce interpretare: *von nun an kühner lautend berichtet die Sage;* cf. c. 82: *altior inde Vespasiano cupido.*

cui nomen Rhacotis: Strabo XVII 1 §. 6: (*Ῥακῶτις*) *νῦν μὲν τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως ἐστὶ μέρος τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων· τότε* (antiquis temporibus) *κώμη ὑπῆρχε.*

fuerat — antiquitus sacratum: hinc clarum Serapidis religionem non advectam neque ex Graeca Sinopensium civitate translatam, sed in ipsa Aegyptiorum terra natam et cultam fuisse. Itaque traditio modo exposita tribuenda videtur studio Graecorum veteres religiones ex Graeca origine repetentium. Serapis vel Sarapis nomen Aegyptium. Plutarchus de Isi et Osir. 28: *οὐ γὰρ ἐκεῖθεν* (*Σινώπης*) *οὕτως ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ' εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν.* De Serapeo v. Ammianus Marcellinus XXII 16 §. 12—13, Dionysius Perieg. 254.

quem tertia aetas tulit: est Pto-

antiquissimum illis gentibus numen, plerique Iovem ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem, insignibus quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.

85 At Domitianus Mucianusque antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treviris gestarum nuntios accepere. Praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus, nequaquam abiecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. Auditus ideo tantum ut nosceretur ingenium eius, damnatusque; inter ipsum supplicium exprobranti cuidam patriam eius captam accipere se solatium mortis respondit. Sed Mucianus quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum. Si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos. Ipse Lugduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret, nec parvis periculis

86 immixtus et maioribus non defuturus. Intellegebantur artes; sed pars obsequii in eo ne deprehenderentur. Ita Lugdunum

2. *queq;* M^a^, *quae que* G: *quae* Puteolanus. 5. *Treveris* nunc M^a^. *acceperunt*, sed litterae *unt* punctis notatae et superscr. *e*, M^a^, unde G *accepere*. 7. *voltu* Or. 10. *solacium* M^a^. 14. *discrimine* GM^a^, non *discrimen* Puteolani. 15. *cannenefates* M^a^. 16. *luguduni* M^a^: *Lugduni* G. 17. *ostentare* GM^a^: tacite correxit Rhenanus. 18. *inm.* M^a^. *defuturos* M^a^: G *defuturus*. *intelleg.* M^a^: *intellig.* G.

lemaeus cognomine Euergetes, qui imperavit a. 247—222. *deum ipsum*: ex traditionibus de hoc numine conservatis liquet, esse deum antiquiorem et indigenam, qui cum Graecis Alexandriae moribus novum habitum assumpsit et rebus sacrisque Graecis accommodatus est. *aut per ambages* (*oder auf Umwegen*): h. e. non recta et simplice via ad sententiam pervenientes, sed argumentis aliunde accitis usi.

Cap. 85. *antequam Alpibus propinquarent*: recipit rerum nexum c. 68 inchoatum. *rerum in Treviris gestarum*: cf. c. 71 et 75—78. *accipere se solatium mortis respondit* (*er empfange den Trost des Todes*): sibi in miseriis et servitute patriae mortem pro solatio esse.

Cap. 86. *sed pars obsequii in eo ne deprehenderentur*: si Domitianus comitesque minus obsecuti essent, Mucianus ad vim iubendi transiturus erat, et sic quae ante quasi benivolo suaserat deprehensa essent. Illi tamen ita obtemperavere, ut artes Muciani non id esse viderentur quod re vera erant. Cf. XIV 6: *solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur.*

ventum. Unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius temptavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit ut vana pueriliter cupientem. Domitianus sperni a senioribus iuventam suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris aemulationi se subduceret, cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

7. *ante ea* M^{a} : G *antea.* 10. *emul.* M^{a}. 11. *se subduceret* editor: GM^{a} et alii *subduceret*, Spirensis et Beroaldus *subduceretur*, et ita vulgo. 12. *interp̄tabatur neque uos inpunitos patiantur* cum plerisque codicibus etiam M^{a}: verba ex c. 77 extremo repetita omittit G. in M^{a} post *patiantur* additur: *Corneli taciti liber XX explicit. Incipit XXI.*

an opes viresque adversus fratrem: cf. Sueton. Domit. 2.

in altitudinem conditus (*der Verschlossenheit hingegeben*) *:* cf. III 44 de Tiberio: *sed ut solitum per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse et vulgatis leviora.*

studiumque litterarum et amorem carminum simulans: cf. Sueton. l. c.: *simulavit et ipse mire modestiam, inprimisque poeticae studium, tam insuetum antea sibi quam postea spretum et abiectum; recitavitque publice.* Ili vere iusteque de mortuo principe: sed vivo foede blandientes offendes Quintilianum (X 1 91—92), Silium, Valerium Flaccum, Martialem. De Arateis Domitiani v. annot. ad II 83.

et fratris aemulationi se subduceret: pronomen *se* ante verbum littera *s* incipiens absorptum. *Subduci* pro *se subducere* Tacitinum non est et nescio num Latinum.

cuius — naturam contra interpretabatur: quomodo contra, h. e. contra ac debuit, interpretatus sit, nomine *naturae* definitur: quippe dicebat arte et simulatione fratrem uti ad captandam vulgi voluntatem.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—13: obsidium urbis Hierosolymorum, origo Iudaeorum et mores. Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre, magna vi opus aggreditur. Per eam occasionem de primordiis Iudaeorum (1). Variae de origine gentis Iudaicae traditiones (2). Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, id genus hominum inde pulsum esse. Ceteris per lacrimas in vastis locis torpentibus ducem se obtulit Moyses, et septem dierum spatio obtinuere terras, in quibus urbs et templum dicata (3). Moyses novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit (4). Pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant. Mente sola unumque numen Iudaei intelligunt (5). Fines terrae, soli ubertas et fruges, in quibus balsamum et palmae. Praecipuus montium Libanus, fluviorum Iordanes. Iordanes ingenti lacu retinetur. Eius lacus ingenium et bituminis ibi legendi usus (6). Haud procul inde campi quos ferunt fulminum iactu arsisse. Circa os Beli amnis arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur (7). Hierosolyma genti caput, ibi immensae opulentiae templum. Res Iudaeorum ante obsidionem atque extremum urbis diem (8—10). Obsessi continuis damnis a Tito intra moenia pelluntur. Munimenta Hierosolymorum firma et varia, ab ingenti multitudine insessa et defensa, tribus ducibus, mox duobus (11—12). Prodigia futurae cladis. Apud obsessores cuncta expugnandis urbibus reperta parantur (13). Hinc in diversam partem terrarum narrator se convertit, mox ad inchoata rediturus.

Cap. 14 — 26: belli Germanici reliquiae. Civilis post malam in Treviris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera consedit; secutus est eodem Cerialis duplicatis copiis. Romani fraude locorum paene circumventi (14—15). Postero die vincuntur Germani (16—18). Civilis Vetera armis tueri non ausus Rhenum (Vahalem) transgressus in insulam concessit; sequuntur alii partium ductores. Inde Civilis Romana praesidia tripartito exercitu uno die invasit (19—21). Civilis. Novaesium Bonnamque profectus in regressu periculum vix vitavit, infamiam contraxit (22). Civilis navalem aciem ostentat, tentatoque levi proelio trans Rhenum (in Frisios) concessit (23). Batavorum animi ad pacem inclinant. Quod ubi animadvertit Civilis, pacisci cum Ceriale animum induxit. Eius cum duce Romano colloquium (24—26).

Sed in media Civilis verba fortuna improspera irrupit, pacis conditiones, Civilis postrema, Veledae fata, tum Hierosolymorum expu-

gnationem altera parte huius libri narratam et cetera usque ad caedem Domitiani (a. 96 a Chr.) posteris abstulit. Desunt autem septem libri et maior pars quinti, anni viginti sex, et tot defuere iam seculo undecimo, cum superstites Historiarum libri cum parte altera Annalium in monasterio montis Casinatis describebantur. Conf. Prooemii nostri c. 29. De ambitu operis et duodenario librorum numero dictum ibidem c. 12—16.

Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iu- 1
daeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans, ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore.

1. *iudeae* M^a^. 2. *privatis*] *p̄latis*, h. e. *praelatis*, M^a^, *p̄liantis* G: correxit Rhenanus. 4. *super fortunam* Lipsius: M^a^ *superiori unam.*

Cap. 1. *perdomandae Iudaeae delectus*: delectus erat ad hoc imperium medio anno proxime superiore: cf. H. II 82, IV 51.

privatis utriusque rebus: cf. H. III 65: *Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.* H. V 26: *erga Vespasianum vetus mihi observantia, et cum privatus esset, amici vocabamur.* Nimirum *privatus* modo opponitur *magistratibus*, modo *principibus* atque *Caesaribus*: alterum nunc usu venit, etiam A. 39: *id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli.*

maiore tum vi famaque: *tum* contrarium est verborum *privatis utriusque rebus*; cum rebus privatis componitur fortuna Caesaris et principis. De Titi militia ante fortunam v. Sueton. Tit. 4. Iosephus B. Iud. III 10, IV 1 10.

super fortunam, h. e. nulla fortunae persona, sed qui eo adiumento neque uti neque egere videretur. Mendum *superiori unam* natum ex scriptura antiqua uncialium, ubi F et I, tum F et T facile commutantur. Doederlinii coniectura *superior una re* non probanda: Titus enim omnibus rebus, non una, superior videri voluit; displicet etiam fundamentum huius suspicionis, scriptura libri Budensis *superior unam.*

decorum se promptumque in armis, h. e. *decorum se armis promptumque in iis* ostendebat. Ipsa arma sunt decus militis.

excepere adventantem redeuntemque ex itinere Romam suscepto, sed non perfecto; v. H. II 4. Iosephus B. Iud. V 1 §. 6.

et adductos Alexandriam duoetvicesimanos tertianosque: sic haec verba duce M^a^ constituenda sunt. Quippe sunt duo vexilla, millenarium quodque, unum ex Primigenia sive duoetvicesima legione superioris Germaniae, alterum ex tertia Syriaca, a Nerone Alexan-

Tres eum in Iudaea legiones, quinta et decima et quinta decima, vetus Vespasiani miles, excepere. Addidit e Syria duodecumam et adductos Alexandriam duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae, simul Agrippa Sohaemusque reges, et auxilia regis Antiochi, validaque et solito inter accolas odio infensa Iudaeis Arabum manus; multi quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus composito agmine, cuncta explorans paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra
2 facit. Sed quia famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire.

Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit

1. *eum* GM^a: *cum* B. *decima* bis M^a. 2. *addidit* M^a: *tradidit* G et alii. 3. *duodecuma* M^a: *duodecimam* G. *adductos* M^a et alii, etiam G, cui a prima manu fuisse *abductos* minime liquet: *abductos* Bodleianus et ed. Spirensis et Rhenanus cum plerisque editoribus. *alexandriā* M^a: *alexandria* G et vulgo. *duoetvicensimano* M^a: *duo, et vicesimanos* G. 6. *iudeis* M^a. 7. *quenque* M^a. 10. *hierosolimis* M^a. 11. *quia* G: M^a *q* cum lin. *sup̄mum* M^a.

driam praemissa (*adducta*) ad bellum quod in Albanos parabat, mox cum ceteros numeros eodem missos adversus Vindicem Nero revocavit (H. I 6 et 18 et 31), non reportata in Italiam, sed causa nobis incognita Alexandriae relicta. Tertianos illos et duoetvicesimanos duo milia fuisse tradit Iosephus B. Iud. V 1 §. 6: *δισχίλιοι μὲν γὰρ αὐτῷ (Τίτῳ) τῶν ἀπ' Ἀλεξανδρείας στρατευμάτων ἐπίλεκτοι.* Vulgo legunt ex deterioribus libris *abductos Alexandria*, et totam legionem tertiam atque duoetvicesimam in hibernis Alexandrinis locatam fuisse statuunt, verum ex Tacito discimus tertiam ante in Syria fuisse et mox in Moesiam translatam esse, duoetvicesimam in Germania superiore egisse. Quaestionem, utrum geminae illis nominibus legiones hac aetate fuerint necne, equidem nunc tamquam alienam neque tracto neque decernere velim: hoc scio apud Tacitum frustra quaeri geminam tertiam aut duoetvicesimam. Conf. Ind. hist. s. v. legio.

Agrippa Sohaemusque reges: v. annot. ad XII 23. *regis Antiochi*: v. annot. ad XII 55.

fines hostium: dicit finitima Hierosolymis loca; v. H. II 4. Iosephus V 2.

Cap. 2. *Iudaeos Creta insula:* solita arte breviter complexus est hoc capite quae rerum scriptores, Graeci potissimum, veluti Chaeremon (Ioseph. contra Apionem I 32), Lysimachus (ibid. c. 34), de originibus Iudaeorum tradiderant: monumenta ipsorum neque cognoscere neque intelligere dedit operam.

regnis. Argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta Idam montem; accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari. Quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam; plerique Aethiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Syriae coluisse. Clara alii Iudaeorum

1. *inclytum* M^a, *inclitum* G. 2. *iudeos* M^a. 4. *aegiptum* M^a. 7. *tradant* M^a: *tradunt* G. 8. *hebreasque* M^a. 9. *propora* medio *p* superscr. *i* M^a, unde G *propiora*. *iudeorum* M^a.

argumentum e nomine petitur: coniecturam esse satis infirmam luculente monuit, quippe cuius sententiae argumentum non nisi nomine niteretur. Dicit nomina *Idaeorum* et addito *u* (*aucto in barbarum cognomento*) *Iudaeorum*. Illi *Creti et Pleti* ex II Samuelis 8 18 ad Taciti verba explicanda non adhibendi sunt.

aucto in barbarum: huius sententiae auctorem Graecum hominem esse vel ex addito *in barbarum* (h. e. ut barbarum fieret et a Graeco abludens) liquet. Cf. VI 42: *neque in barbarum corrupta.*

quidam regnante Iside — exoneratam: cf. Diodor. I 28 et Plutarchus de Isi et Osir. c. 31. Auctor narrationis non cognitus.

metus atque odium: metus ipsorum, odium Aethiopum. De Aethiopum antiquitate Diodorus III 2; Moysis adversus eos expeditionem narrat Iosephus Ant. Iud. II 10.

sunt qui tradant: est ipsa Iudaeorum narratio a Tacito ex aliquo scriptore Graeco aut Trojo Pompeio (conf. Iustini XXXVI 2) accepta. Genes. XI 31 et XII 12, XIV 13, XLI 55, XLVI 1 sqq. XLVII 4 et 11. Exod. I 1 sqq. et liber qui inscribitur Iosue. *Proprias urbes* dicit quas habitavere ante quam parte Aegypti potiti sunt (Genes. XI 31).

clara alii — fecisse: haec non sine aliqua irrisione eorum dicta, qui Homeri versiculis tantum tribuerent, ut populum in iis memoratum pro claro haberent.

Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem: v. Iliad. *Z* 184, Odyss. *E* 283. Quos tamquam habitantes ἐν Σολύμοις ὄρεσι recensuit Choerilus Samius in catalogo militum Xerxis (Iosephus contra Apion. I 22), Phoenices fuere, non Iudaei.

Hierosolyma nomen e suo fecisse: formam *Hierosolymam*, a deterioribus libris suppeditatam, procreavit recentior manus in M^a eius qui vitium removendum esse sedulo, sed imperite, putaret. Scilicet nomen Hierosolyma pluralis numeri positione scribendum esse certissime hinc efficitur, quod nullus casus numero singulari apud Tacitum in libro antiquo reperitur. Conf. H. II 4: *oppugnatione Hierosolymorum.* Ibid. V 4 extr.: *haud procul Hierosolymis.* 9: *muri Hierosolymorum.* 10: *ante moenia Hierosolymorum*; ibidem *praeter Hierosolyma.* 11: *ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur.* In cap. 8 *Hierosolyma genti caput* verbum consulto omis-

initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, con-
3 ditae urbi Hierosolyma nomen e suo fecisse. Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere iussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysen unum exulum monuisse ne quam deorum hominumve opem expectarent utrisque deserti, sed sibimet

1. *conditae urbi* GM[a]: *conditam urbem* Puteolanus. 2. *hierosolyma* cum lineola super litt. *a* recentiore manu ducta M[a]: *hyerosolimă* G. *nomen e* Rhenanus: *nomine* GM[a]. 7. *volgus* Or. *vastis Arabiae locis* Tertullianus Apolog. c. 16, memoriae vitio. 8. *mosen* M[a], dein bis *moyses:* G *moysem*, mox *Moyses.* 9. *utrisque* M[a], *ab utrisque* G. *sed*] Orosii (1 10) codex Sangallensis sec. IX n. 621, a Baitero collatus, et G: M[a] *et.* *sibimet duces caeleste crederent primum* editor: *sibimet duce caelesti crederent, primo* M[a] et alii, *sibi met ut duci caelesti crederent: primo* G et alii. *duci caelesti*, non *ut duci caelesti*, Orosii codex Sangallensis et tres Trevirenses a Dr. Saalio in meum usum consulti.

sum est propter discrepantem subiecti et praedicati nominis numerum. Etiam apud Strabonem et Dionem et Iosephum semper τὰ Ἱεροσόλυμα, non ἡ Ἱεροσόλυμα.

Cap. 3. *plurimi auctores consentiunt:* quae ad exitum ex terra Aegyptiorum attinent, haec propioris iam temporis sunt ideoque minus ambigua. De re conf. Iosephus contra Apion. I 26 et praecipue 34 sqq., unde cognoscimus Lysimachi narrationem de exitu Iudaeorum Aegyptio Tacitum secutum esse. Lysimachus Alexandrinus altero ante Chr. seculo vel primo ineunte vixit. Verba *plurimi auctores — miserias pepulissent* excerpsit Orosius I 10.

tabe quae corpora foedaret: vitavit nomina quasi rubigine infecta *vitiliginem* et *scabiem.* Iustinus XXXVI 2: *sed Aegyptii cum scabiem et vitiliginem paterentur, responso moniti eum* (Moysen) *cum aegris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt.*

sed sibimet duces caeleste crederent primum, cuius — pepulissent: quae vitia librum M[a] et ceteros obsident, ea ex compendiis scribendi nata sunt omnia, *duce* pro *duces* ex antiquissima scriptura *ducē* (hoc enim plerumque *ducem*, sed aliquando *duces* valet), *caelesti* pro *caeleste* propter proximum *duce*, *primo* pro *primum* ex *primō.* Sic XI 10 *regno* (h. c. *regnū*) pro *regnum.* In mea coniectura *duces* pro *duce* Fr. Iacobo Lubecensi, *caeleste* pro *caelesti* Bezzenbergero debetur. Hunc in ceteris non sequar scribentem *et sibimet duces caeleste crederent, primo cuius auxilio incedentes praesentis miserias pepulissent. Caeleste* illud ac *primum*, cuius auxilio praesentes miserias Iudaei pepulerunt, fuit grex asinorum ad mentem Taciti vel potius auctoris quem nunc sequitur, unde scripsit (c. 4) *effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque de-*

duces caeleste crederent primum, cuius auxilio praesentes miserias pepulissent. Adsensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. Id levamen; et continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus obtinuere terras in quis urbs et templum dicata. Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, 4
novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia quae apud nos sacra; rursum concessa apud illos quae nobis incesta. Effigiem animalis quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere, caeso ariete velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quia

1. *credentes praesentes* GM[a]: *praesentes* cum ceteris Orosii codd. etiam Sangallensis et Trevirenses. 5. *pastu* M[a], non Victorii *pasto*. 8. *optin.* M[a]. 12. *animalis* cum glossa *onagri* M[a]. 14. *quia*] *q* cum duabus lineolis superpositis, qua in nota *quia* (vel *quoniam*) latere vidit Baiterus, ut voluerunt Bipontini: G *quem*.

pulerant, penetrali sacravere. Pepulissent idem valet ac *pulsuri fuissent. Credentes*, ex dittographia vocis *praesentes* et proximo *crederent* haud dubie natum, abest ab Orosio I 10. Nimis autem memorabile est Orosii aetate vitia praecipua, quibus laborant haec verba, iam admissa fuisse, unum tamen afuisse.

largas aquarum venas aperit: hoc ipsum natum videtur eo, quod aliquis eorum *qui eludunt omne quod fieri nequit*, narrationem priscam de aquae fontibus a Moyse ope divina reclusis (Exod. XVII 1—7) in hanc invertit, fugiens miraculum et secutus probabilia.

id levamen: cf. annot. an XII 5.

urbs et templum dicata: urbs est gentis caput (*Hierosolyma*); verbum *dicata* bene nationis *θεοκρατίαν* denotat; conf. Ioseph. c. Apion. II 16.

Cap. 4. *profana:* usui et venerationi exempta, veluti Manium et Penatium cultus, statuae honor, deorum simulacra, alia. *Incesta* est *illicita*, sed ita ut nuptiarum ratio praecipue habeatur, nominatim in fratrum filias coniugia apud Romanos insolita (XII 6 et 7), Iudaeis non vetita (Levitic. XVIII 7—18).

penetrali sacravere: de hac fama in contumeliam Iudaeorum dispersa conf. Ioseph. c. Apion. II 7. Tertullianus Apolog. 16. Minucius Felix in Octavio cap. 28. Fama illa memoratur etiam in excerptis Diodori l. XXXIV apud Photium. *Penetrali* est *penetrali templo*, ideoque nudus ablativus concessus. *caeso ariete:* v. Levitic. XVI 3. *sue abstinent — obnoxium:* alias causas eius abstinentiae disceptat Plutarchus Sympos. IV 5.

memoria cladis: h. e. cladem recordantes ab eo animali sibi olim illatam et similem caventes. Me-

Aegyptii Apin colunt. Sue abstinent memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem sideribus quis mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur; ac pleraque caelestium viam
5 suam et cursum septimos per numeros commeare. Hi ritus,
quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cetera instituta, sinistra foeda, pravitate valuere. Nam pessimus quisque

1. *sues* M^a^, *suae* G. *memoria* G et alii: M^a^ *merito*. *qua* M^a^: *quod* CGR. 4. *detinetur* M^a^: *retinetur* pr G et Harl. 8. *iudeis* GM^a^: correxit Lipsius. 9. *de* GM^a^: *e* Rhenanus. 10. *syd.* M^a^. 11. *viam* Bezzenberger: codices *vim*. 12. *cursus* M^a^: G *cursum*. *commeare* G et Oxonienses: *commearent* M^a^ et alii. *hi*] *Ii* corr. in *Is* M^a^, *his* omisso nomine *ritus* G, *hii* Puteolanus, *hi* Beroaldus. 13. *antiquitatē* M^a^.

dicei *merito* ex compendio scripturae videtur provenisse; retinuit Orellius et explicuit 'propter cladem', repugnante sermonis Latini usu.

detinetur, h. e. acriter tenetur. Verbum paulo fortius et minus vulgatum quam *retinetur* elegit. De re v. Exod. XII 15 sqq. et 34 et 39. Levitic. XXIII 6. Deuteron. XVI 6.

crebris adhuc ieiuniis fatentur: ieiunia Iudaeorum ex rerum quae olim acciderant memoria repetere voluit cum iis Graecis auctoribus, quos in hac operis parte parum fidos secutus est. Re vera Iudaei ieiunia tolerare solebant et solent, ut pro peccatis admissis piaculum offerant.

quia is finem laborum tulerit: in eam memoriam σκηνοπηγία septem dierum quotannis instituta: Levitic. XXIII 42 et 43. Pro hac Tacitus sabbata *septimo quoque die* celebrata posuit. *septimum quoque annum:* est annus remissionis vel *sabbaticus*, de quo v. Exod. XXIII 10 et 11. Levitic. XXV 3—7 et 21—22. Deuteron. XV 1—14.

ac — commeare: haec tamquam tertia causa cur Iudaei septimum diem et annum otio transigant, sed ea secundaria et suppletoria, ex mente *aliorum* adiungitur.

Cap. 5. *hi ritus, quoquo modo inducti:* antiquos esse concedit, sed originem causamque non posse exquiri significat.

sinistra foeda: utrumque adiectivum ad *instituta* referendum et secum componendum est, ideoque interpungendum erat, ut ego feci. Iudaeorum instituta partim

spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant; unde auctae Iudaeorum res, et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu. Sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil inlicitum. Circumcidere genitalia instituerunt, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant, nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere deos, exuere patriam, parentes liberos fratres vilia habere. Au-

1. *congerebant* Puteolanus: M^a et plerique *gerebant*, G *congregabant*. 2. *iudeorum* M^a. 6. *nichil* M^a. *instituer* cum lin. (h. e. *instituerunt*) M^a: *instituere* G. 8. *quidquam* M^a: *quicquam* G. *inb.* M^a. *contẽpnere* M^a.

stulta esse dicit et sollertiae indiga, partim foeda et turpia.

nam pessimus quisque — congerebant: dicta haec accipe de *proselytis* ex aliis gentibus a Iudaeis sibi conciliatis. *Illuc* est Hierosolyma ad templum gentis. Ceterum scripturam *illuc gerebant* ex *illuc cgerebant* vel ILLVC CGEREBANT ortam esse liquet. Certe *gerere* non dici potest pro *conferre* vel *adferre.* Dicit rerum scriptor Iudaeos proselytas in alienis terris agentes, qui cum ipsi quotannis tempore paschali Hierosolyma adire et sacra facere non possent, stipe illuc per alios missa se exolvebant. Eos *pessimos* nominat, quod religiones patrias spernebant, alienas sectabantur iisque opes effundebant. Hinc ingentes pecuniae Hierosolyma confluebant. Cic. Flacc. 28: *cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto ne ex Asia exportari liceret.* Iuvenalis XIV 100: *Romanas autem soliti contemnere leges Iudaicum ediscunt et servant et metuunt ius, tradidit arcano quodcumque volumine Moyses.* Philo Legat. ad Gaium c. 31 p. 1023: καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερόν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν. Idem c. 23 p. 1014: ἠπίστατο (Τιβέριος) καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. Iosephus Antiq. XIV 7 §. 2, ubi loquitur de pecuniis a Crasso ex templo Hierosolymitano ablatis: θαυμάσῃ δὲ μηδεὶς εἰ τοσοῦτος ἦν πλοῦτος ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἱερῷ, πάντων τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίων καὶ σεβομένων τὸν θεόν, ἔτι δὲ καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης εἰς αὐτὸ συμφερόντων ἐκ πολλῶν πάνυ χρόνων. Bell. Iud. V 5 1: εἰς δ' (in opus templi) — ἐξανηλώθησαν — οἱ ἱεροὶ θησαυροὶ πάντες, οὓς ἀνεπίμπλασαν οἱ παρὰ τῆς οἰκουμένης δασμοὶ πεμπόμενοι τῷ θεῷ. Adde l. 14 cod. Theod. de Iudaeis (XVI 8).

misericordia in promptu: plerumque commatis distinctio post v. *promptu:* veriorem suggessit Doederlinius.

alienarum: subintellige nomen *gentium*, ex antegressis *proiectissima — gens* sumendum. *Proiectissima ad libidinem gens* brevi-

gendae tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex agnatis nefas, animosque proelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere quam cremare e more Aegyptio: eademque cura et de infernis persuasio. Caelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis

1. *quenq.* Mª. 2. *animos — aeternos* Mª: *animas — aeternas* G. 4. *eg.* Mª. 7. *prophanos* GMª. 9. *imitabilẽ* Mª: *mutabile* G.

ter dictum pro *quamvis proiectissima ad lib. gens.* De Iudaeorum adversus alienigenas odio etiam Diodorus in excerptis l. XXXIV, Philostratus in Apollonio V 11.

inter se nihil inlicitum: Tacitus hoc iudicium iniquum concepit ex narrationibus de immani morum corruptione, qua magnam partem infectus erat populus Iudaeorum paulo ante urbem suam deletam.

contemnere deos: multitudinem deorum gentilium spernere, unum deum venerari imbuebantur.

vilia habere: vilia scripsit, non *viles*, ut *parentes* et *liberos* ad mentem Iudaeorum tamquam *res*, non personas, repraesentaret. Cf. annot. ad I 46.

necare quemquam ex agnatis: haec dicta sunt ad morem Romanorum; *agnatos* (*die Nachgeborenen*) intellige ex sententia Romanorum eos, qui post numerum liberorum a parentibus definitum ipsis invitis nascuntur. Cf. G. 19: *numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur.* De re Iosephus c. Apion. II 24.

proelio aut suppliciis peremptorum: supplicia intellige non iusta, sed quae ab hostibus tolerant.

condere quam cremare, h. e. condere potius terra quam cremare rogo. De omissa notione *potius* cf. ad XIII 6. *eademque cura:* respicit curam lavandi cadaveris, veste, unguentis, aromatis instruendi, cet.

et de infernis persuasio: Iudaei scilicet animos proelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant. De Aegyptiis v. Diodor. II 93.

caelestium contra: h. e. persuasio caelestium sive de caelestibus numinibus contra se habet apud Iudaeos atque Aegyptios.

effigiesque compositas, h. e. ex humana specie et animalium formis compositas, veluti Anubin canino capite, Iovem capite arietino; v. Herodot. II 40. Iuvenal. XV. Ioseph. contra Apion. I 25 et 28.

mente sola unumque numen intellegunt: hoc dicit et vere refert de Iudaeis, quales Romani cognoverunt (conf. Dio XXXVII 17): prioribus temporibus et praecipue ante exilium etiam Iudaei saepe in idololatriam prolapsi sunt. Similia de Germanis tradit G. 9.

profanos qui — effingant: profanus h. l. qui sacra vulgare sustinet, fere id quod *impius*, *nefarius*.

igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt: tem-

sinunt. Non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea in templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. Quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia ter- 6
minantur; a meridie Aegyptus obiacet; ab occasu Phoenices et mare; septentrionem e latere Syriae longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum. Rari imbres,

1. *sinunt* I. Fr. Gronovius: GM^{a} *sunt*. 2. *concinebant* G: M^{a} *continebantur*. 3. *haedera* M^{a}. *aurea in* editor: codices *aurea*. 7. *arabiă* M^{a}. 8. *faenices* M^{a}, *phenices* G. 9. *e* GM^{a}: *a* Bud. *siriae* M^{a}.

plis universe posuit ob praegressum nomen *urbibus*: alioqui apud Iudaeos unum et commune templum Hierosolymis. Hinc *suis* simul ad nomen *templis* referre non licet, atque inde consequitur tam *templis* quam *urbibus* esse dativum, suspensum e *nulla simulacra*, non ablativum. Conf. annotatio ad I 3. Theodisce: 'daher dulden sie keine Bildnisse für ihre Städte, geschweige für Tempel'. Si esset ablativus, *urbibus suis* recte se haberet, sed pro *templis* requireretur *in templis*. Doederlinii coniectura *sistunt* peccat adversus Latinitatem. Nam si Tacito licuit scribere (H. IV 53) *templum isdem vestigiis sisteretur*, Virgilioque (Aen. II 245) *et monstrum infelix sacrata sistimus arce*, tamen neque ille *vestigiis sistere*, aut hic *arce sistere* Latine scribere potuit pro *in vestigiis* aut *in arce*.

non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor: quemadmodum simulacra deorum, sic etiam hominum bestiarumque Iudaei aversati sunt. Lege Iosephi Ant. XVIII 8 2 sqq. et Philonis librum de legatione ad Gaium Caesarem.

vitisque aurea in templo reperta: v. Ioseph. B. Iud. V 5 4, Ant. Iud. XV 11 3. Ceterum vulgata *templo reperta* vitio infecta est. Praepositio *in* scripta ī post vocem *aurea* delituit. Cf. annot. ad I 60. *Liberum patrem coli*: v. Plutarchi Sympos. IV 6.

Cap. 6. *septentrionem e latere Syriae longe prospectant*: fines terrae septentrionales late prospectum praebent ob situm altiorem. Cf. IV 67, XIV 9. H. III 60. In ipsa terminorum descriptione magna varietas, et ars scribentis etiam in parvis conspicua.

fruges nostrum ad morem (*die Feldfrüchte wie bei uns*): utrumque complexus est, primum easdem in Iudaea fruges esse ut apud Romanos, tum eadem fertilitate praestare.

balsamum et palmae: de balsămo cf. Iustinus XXXVI 3: *opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Plin. N. H. XII 54 (25): *sed omnibus odoribus praefertur balsamum, uni terrarum Iudaeae concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum.* Ioseph.

uber solum. Fruges nostrum ad morem, praeterque eas balsamum et palmae. Palmetis proceritas et decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit (si vim ferri adhibeas, pavent venae), fragmine lapidis aut testa aperiuntur; humor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Iordanen alit funditque. Nec Iordanes pelago accipitur, sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque

1. *solum exuberant fruges*, in v. *exuberant* litt. *b* ab eadem m. correcta in *p*, M[a], unde G *exuperant*. glossam (ea ab initio videtur fuisse *exuberant*) delevit Lipsius. 7. *agmen* M[a]. *Iordanen* M[a]: G *iordanē*. 9. *inm.* M[a].

Antiquit. XIV 4 1, XV 4 2; Bell. Iud. I 6 6.

fragmine lapidis, h. e. lapide ita fracto ut in acutum vel asperum desinat, ad incidendum et vulnerandum aptus. Iosephus XIV 4 §. 1: ὃ τῶν θάμνων (ramis balsami) τεμνομένων ὀξεῖ λίθῳ ἀναπιδύει ὥσπερ ὀπός. Plinius XII 54: *inciditur vitro, lapide osseisre cultellis: ferro laedi vitalia odit.*

praecipuum montium Libanum erigit: subiectum est *terra* (*der hervorragendste von den Bergen, den es emporsteigen lässt, ist Libanus*). *Erigere* perinde dictum G. 27, A. 12. *opacum fidumque nivibus*: duo mirationem faciunt, arbores crescere in monte tantos inter ardores posito, et nivem in ea regione suo praesidio non carere. Flumen Iordanen ille alit nivibus, fundit fontibus in Antilibano prorumpentibus: cf. Iosephi Antiq. V 1 22.

unum atque — retinetur: Iordanes integer perfluit lacum *Merom* et *Gennesar*, tertio Asphaltite sive *mari mortuo* absumitur. Plin. V 15: *velut invitus Asphaltiten lacum dirum natura petit, a quo postremo ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas.* Cf. Iosephus Bell. Iud. III 10 §. 7. Strabo XVI 2 §. 42. Pausanias V 7 §. 4.

lacus immenso ambitu sqq.: Plin. V 15: *longitudine excedit centum milia passuum, latitudine maxima viginti quinque implet, minima sex.* Iosephus B. Iud. IV 8 4: ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ὀγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι στάδιοι, καθὸ δὴ μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτείνεται· εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. De natura lacus memorabilis et insignis haec Michaelis in Supplem. Lex. Hebr. p. 1506: 'mera est salsugo, ita sale saturata, ut sal in eius aquam coniectus non liquescat, cuius pondus ad aquam dulcem est ut 5 ad 4. Hinc et fit, ut in illo neque animalia vel maxima submergi, nec pisces vivere (unde *mare mortuum*) et ne homines quidem recte natare possint, quippe qui commotis pedibus altius iusto attolluntur. Hoc mare verno tempore, quo Iordanes plus in illud aquae defert, ripas supergressum vallibus vicinis innatat et recedens deinde in illis stratum

vento impellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Incertae undae superiacta, ut solido, ferunt; periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni bitumen egerit; cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat. Hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt: inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. Nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine quo feminae per menses exolvuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus; mox, ubi vapore terrae, vi solis inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut

1. *inp.* M^a. 2. *incertes* eraso *s* M^a, h. e. *incertae:* G *incertum.* 3. *certo anni* M^a: *certo anni tempore* G. in M^a *tempore* est super versum a manu recenti. 11. *trai* M^a: G *trahi.*

salis relinquit. Accedit etiam ars accolarum fossis capientium aquam maris, quae in vapores aestu solis resoluta tantum salis suggerit, quantum Palaestinae sufficit ac fortasse pluribus regionibus sufficeret'.

incertae undae sunt quas esse undas propter aquae tarditatem et stabilitatem vix agnoscas. Ita c. 14 *incerta vada* appellantur ea, de quibus incertum est, vadane sint necne. Alia significatione II 23: *variis undique procellis incerti fluctus.* Oelschlaegerus coni. *inertes.* *superiacta:* cf. ad H. III 29.

solido: de adverbio *solido* cf. annot. ad I 60.

perinde attolluntur: v. Ioseph. B. Iud. IV 8 4. Aristoteles Meteorolog. II 3: *εἰ δ' ἔστιν, ὥσπερ μυθολογοῦσί τινες, ἐν Παλαιστίνῃ τοιαύτη λίμνη, εἰς ἣν ἐάν τις ἐμβάλῃ συνδήσας ἄνθρωπον ἢ ὑποζύγιον ἐπιπλεῖν καὶ οὐ καταδύεσθαι κατὰ τοῦ ὕδατος, μαρτύριον ἂν εἴη τοῖς εἰρημένοις· λέγουσι γὰρ πικρὰν οὕτως εἶναι τὴν λίμνην καὶ ἁλμυρὰν ὥστε μηθένα ἰχθὺν ἐγγίνεσθαι, τὰ δ' ἱμάτια ῥύπτειν, ἐάν τις διασείσῃ βρέξας.*

certo anni bitumen egerit: bitumen sive *ἀσφάλτον* (Erdharz) lacus Iudaici accurate describit Strabo XVI 2 42 pag. 763. Ioseph. B. Iud. IV 8 4. *Certo anni* perinde ac *medio diei* H. I 62 et alia de quibus dictum ad I 53.

hunc manu captum — per menses exolvuntur: est *μυθολόγημα*, quamquam etiam a Iosepho l. c. narratum, et hoc esse ipse Tacitus paulo post admonuit lectores, ubi scripsit *sed gnari locorum tradunt* sqq. Cf. Plin. VII 13: *quin et bituminum sequax alioquin ac lenta natura — non quit sibi avelli ad omnem contactum adhaerens, praeterquam filo quod tale virus* (menstruum feminae) *infecerit.*

sic veteres auctores: converte *οὕτω παλαιοὶ συγγραφεῖς*, non *οὕτως οἱ παλαιοὶ συγγραφεῖς.* Nam omnes veteres auctores qui de terra rebusque Iudaeorum scripsere hanc fabulam enarrasse a veri similitudine alienum est.

7 saxa discindi. Haud procul inde campi quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse; et manere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclutas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo caeloque iuxta gravi. At Belus amnis Iudaico mari inlabitur; circa

3. *torrida* Mª. 5. *herbas tenues aut flores* (non *flore*) Mª: correxit Rhenanus. 6. ante *atra* in Mª erasa est una littera. *ego* Puteolanus: G *et*. 'narrant Mª habere *et;* at v. omnino legi nequit, et spatium nimium est quam ut duas dumtaxat litteras ceperit; immo etiam in Mª primitus fuisse videtur *ego*'. Baiter. 7. *indictas* Mª, *iudaicas* G: *inclitas* AC et Orosius. 8. *alitu* Mª: G *halitu*. 9. *atumni* Mª: G *autumni*. 10. *at* editor: codices *et*. *bellus* GMª: correxit Rhenanus.

Cap. 7. *magnisque urbibus habitatos:* urbium nomina quae in his campis olim fuere recitantur *Sodoma*, *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim*, *Zoar*, omnes in valle *Siddim* sitae. Conf. Strabo XVI 2 44 p. 764. Iosephus Ant. Iud. I 11. B. Iud. IV 8 §. 4. Genesis XIX 1—29.

fulminum iactu: fulminum iactus dixit Cicero Catil. III 8, de Divinat. II 18, Plinius N. H. II 38; *fulmina iaci* Cicero Nat. D. II 19, Liv. XXVIII 27, Seneca N. Quaest. II 16. Fulminum *ictus* est *tactus* vel *tactio* fulminum (*das Einschlagen von Blitzen*). Hoc ipsum in paucis codicibus Orosii haec verba I 5 (*haud procul — perdidisse*) excerpentis, sed plures et meliores *fulminum iactu*, idque propius accedit ad antiquam famam, eas urbes ira divina deletas esse.

specie torridam: Strabo l. c. huius regionis terram γῆν τεφρώδη designat. Est creta friabilis sale saturata. *Solidam* excripsit Orosius. Idem excerpsit *ego sicut — corrumpi reor.*

herba tenus aut flore: cf. O. 9: *velut in herba vel flore praecepta.*

fetus segetum et autumni: nomen *fetus segetum* idem denotat quod modo *sive herba tenus aut flore*, *fetus autumni* autem illud *seu solitam in speciem adolevere.*

at Belus amnis Iudaico mari inlabitur: quod vulgo legitur *et Belus*, hoc teneri poterit ab iis qui statuunt Tacitum in unam compescuisse has duas sententias: *et Belus amnis ibi est; is — Iudaico mari inlabitur.* Equidem eiusmodi confusionem in Tacito non possum tolerare: immo non solum obscuram esse, sed simul falsam dico hanc orationem: *auch der Belus-Fluss fällt in's Iudäische Meer.* Etenim *Belus* non, ut Iordanes, aliquo lacu retinetur, sed mari mediterraneo sive Iudaico iuxta Ptolemaidem (*St. Jean d'Acre*) influit. Verborum igitur contextus reposcit *at* pro vulgato adhuc *et.* Id ipsum familiare Tacito est in enumeratione rerum natura sua vel conditione differentium: conf. pro multis hi loci Annalium I 14

cuius os lectae arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur. Modicum id litus sed egerentibus inexhaustum.

Magna pars Iudaeae vicis dispergitur; habent et oppida. 8
Hierosolyma genti caput. Illic immensae opulentiae templum, et primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. Ad fores tantum Iudaeo aditus; limine, praeter sacerdotes, arcebantur.

Dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepotuere, rex Antiochus demere superstitionem et mores Grae-

1. *lecte harenae* Mª, *coniectae harene* G. *nitro*] *uitro* GMª: correctum in R et a Rhenano. *excocuntur* Mª. 2. *sed* Rhenanus: GMª *et*. 4. *genti* Mª: *gentis* G. *inm.* Mª. 5. *de* (in versus fine) *ingia* Mª: correxit Iosias Mercerus. 8. *persaxas* Mª: G *persas*. 10. *grec.* Mª.

et 50, IV 31 et 36, V 8, VI 3 et 14. De Belo Plinius V 17, XXXVI 65. *arenae — excoquuntur:* cf. Plin. XXXVI 65 et 66.

modicum id litus: 'Plinio auctore *quingentorum passuum* spatio, Iosepho B. Iud. II 9 (10 2) *centum cubitorum:* unde Bochartus Hieroz. 2 5 9 in Plinio bene corrigit *quinquaginta*, ut iam monuit Ryckius: nam 50 passus 100 cubitos efficiunt. Isidorus 16 15 *quinque milium*, manifeste confusa totius fluminis mensura apud Plinium cum mensura litoris arenosi'. Ernestius.

Cap. 8. *Hierosolyma genti caput* (*Jerusalem gilt dem Volke als Hauptstadt*): Romanis et exteris gentibus non Hierosolyma, sed *Caesarea caput Iudaeae* fuit, idque ab ipso Tacito H. II 79 appellatur, sed populo Iudaeorum Hierosolyma, ubi commune totius nationis templum. Perinde dativum posuit in simili verborum collocatione I 56: *incenso Mattio* (*id genti caput*). Aliter se habent verba III 43 prave cum his comparata: *Augustodunum caput gentis — Sacrovir occupaverat.*

immensae opulentiae templum: cf. Iosephi Antiq. III 6, VIII 3. Bell. Iud. V 5. *primis munimentis urbs:* cf. Iosephi Bell. Iud. V 4 1 et 2. *arcebantur:* praeteriti temporis formam dedit, quia suo tempore templum illud, vastatum a Tito, iam non erat. Cf. Iosephi B. Iud. V 5 5.

dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit: postquam origines Iudaeorum tradidit c. 2—3, dein mores et instituta religionemque narravit c. 4—5, postremo terram finesque a capite 6 usque ad hunc locum descripsit, summam rerum a Iudaeis ante gestarum addidit c. 8—13.

rex Antiochus — Parthorum bello prohibitus est: is Syriae rex Antiochus IV cognomine Epiphanes fuit, qui regnavit 176—164 ante Chr. n., Iudaeos infeliciter oppugnavit ab anno 167 — 164. Vid. Appiani Syriaca c. 45 et 46 et 66, Iosephi Ant. XII 5—9, Maccab. I c. 1 v. 21—c. 6 v. 15.

Parthorum bello: breviter tradit de bello adversus Parthos sponte suscepto ab Antiocho. Pro Parthis Persas nominant more an-

corum dare adnisus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est [nam ea tempestate Arsaces desciverat]. Tum Iudaei, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (et Romani procul erant) sibi ipsi reges imposuere; qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione fugas civium, urbium eversiones, fratrum coniugum parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant, quia honor sacerdotii firmamentum poten-
9 tiae adsumebatur. Romanorum primus Gnaeus Pompeius Iudaeos domuit, templumque iure victoriae ingressus est. Inde vulgatum nulla intus deum effigie vacuam sedem et inania

4. *si* addita syll. *bi* ex corr. M^a. 5. *inp.* M^a. *volgis epulsi* M^a: G *uulgi expulsi.* 8. *potentie* M^a. 9. *Gn.* M^a. *Iudaeos* M^a, *iudeos* G: alii omittunt, in quis Corb. 11. *volg.* Or. *nulla — effigie* M^a: *nullas — effigies* G et Oxonienses.

tiquo Iosephus Bell. Iud. V 9 1 et Maccabaeorum liber prior c. 6 v. 1, alter c. 9 v. 1—2. Cf. excerpta Polybii XXXI 11 (4). Temere pronuntiat Broterius nullum cum Parthis bellum huic Antiocho fuisse.

nam ea tempestate Arsaces desciverat: Parthi Arsace auctore desciverunt non ea tempestate, qua Syriae imperium fuit penes Antiochum Epiphanem, hostem Iudaeorum, sed centum paene annis ante, imperante Antiocho II (ante Chr. 262—247), cui Θεοῦ cognomentum. Quod cum monumenta historiae et nostris temporibus sat multa testentur et plura Cornelii Taciti aetate profiterentur, errorem puerilem auctor ipse commisisse nequit, sed, ut recte iam Ernestius suspicatus est, additamentum glossatoris mediocriter docti h. l. deprehendimus. Qui Tacito foedum errorem imputare volunt, in quorum numero Doederlinium invitus video, eos reputare velim quam accurate, quam apposite ad rerum fidem tota haec digressio sive succincta narratio inde a verbis *dum Assyrios penes* sqq. composita sit: rursus iidem considerent quam inani et fere nullo consilio haec verba inserta sint in eum locum, qui alioqui eximiae brevitatis laude praestat. Hoc postremum argumentum apud peritos prae ceteris valebit ad inutilia suo auctori reddenda.

Macedonibus invalidis: Macedonas appellat Syriae reges ex imperio Macedonico et stirpe Macedonica ortos.

sibi ipsi reges imposuere: qui primus ex pontificibus regis nomen et diadema sibi imposuit (a. Chr. 107) *Aristobulus* fuit, Hyrcani pontificis filius natu maximus: Iosephi Ant. XIII 11 §. 1, B. Iud. I 3 1. *aliaque solita regibus:* conf. annot. ad VI 1. De rebus a Tacito breviter significatis copiose et loquaciter Iosephus Ant. XIII 11—XIV 3, Bell. Iud. I 3 sqq.

Cap. 9. *Pompeius Iudaeos domuit:* hoc factum a. u. 691 = 63. Iosephi Ant. XIV 4. B. Iud. I 7. Dio XXXVII 15 sq. Strabo XVI 2 46. Plutarchus Pomp. 39. Cicero pro Flacco 28. Livius in epit. 102. Florus III 5. Orosius VI 6.

vacuam sedem et inania arca-

arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox civili inter nos bello, postquam in ditionem Marci Antonii provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus, interfectusque a Publio Ventidio, et Parthi trans Euphraten redacti: Iudaeos Gaius Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil expectato Caesare, Simo quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus; et gentem coërcitam liberi Herodis tripertito rexere. Sub Tiberio quies. Dein iussi a Gaio Caesare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere; quem motum Caesaris mors diremit. Claudius, defunctis regibus aut ad modicum redactis, Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit; e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatrae et Antonii nepte in matrimonium accepta, ut eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. Duravit tamen patientia Iudaeis usque 10

2. *inter nos*] *interno* Mª: correctum in A et a Ryckio. *dicionem* Or. *M.* Mª. 3. *iudea* Mª. 4. *a Publio*] *ap.* Mª, *a .p.* G. 5. *G.* Mª. 7. *Simon* Mª, c. 12 semel *simo.* 8. *opt.* Mª. 9. *tripertito* Mª: *tripartito* G. *tyberio* Mª. 10. *a .C.* G: Mª *ag.* cum linea. 13. *R.* Mª: G *romanis.* 14. *oia* cum lineola, dein litt. *a* correcta in *e* cum lin. Mª. *sev.* Mª. 16. *in matrimonia acepta* Mª: G *accepta in matrimoniū.*

na: sedes eiusmodi ut aliis rebus spatium esset; *inania* quae manu attrectari non poterant.

a P. Ventidio: Pacorus fortis filius regis Parthici Orodis fuit; itaque *rex Parthorum* latiore significatu dictus est, ut Epiphanes II. II 25, filius regis Commagenorum Antiochi. De rebus Ventidii adversus Parthos feliciter gestis v. Iosephus Ant. XIV 15 7, Bell. Iud. I 16 6. Dio XLVIII 24 sq. 39 sqq., XLIX 19—21. Plutarchus Anton. 33—36. Appianus B. C. I 47, III 66 et 80, IV 2—5, 31—35 et 50 et 65 et 75. Plinius VII 44. Gellius XV 4. Velleius II 65 et 78. Iustinus XLII 4. Florus IV 9. Tacitus Germ. 37. Ventidius de Parthis triumphavit a. 716 (715).

Iudaeos C. Sosius subegit: Iosephi Ant. XIV 15 et 16, B. Iud. I 17—18. Dio XLIX 22. Sosius Syriae praeses Iudaeos debellavit.

regnum — Herodi datum: accepit regnum Herodes posthac cognomento Magnus a. 714 et tenuit per annos 37; Iosephus Ant. XIV 14. *Augustus auxit;* Ioseph. Ant. Iud. XV 6 et 10, B. Iud. I 20 et 21.

Simo quidam regium nomen invaserat: Ioseph. Ant. XVII 10 6, B. Iud. II 4 2. Simon servus Herodis fuerat. *a Quintilio Varo:* Iosephi Ant. XVII 10 9, B. Iud. II 5. *dein iussi a C.*

ad Gessium Florum procuratorem: sub eo bellum ortum. Et comprimere coeptantem Cestium Gallum Syriae legatum varia proelia ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato aut taedio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit. Pace per Italiam parta et externae curae rediere. Augebat iras quod soli Iudaei non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur.

Igitur castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum
11 positis instructas legiones ostentavit. Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. Mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis proelia serebant, donec adsi-

1. *bellu ortu* (sine lineola) M[a], unde *bello ortum* G. 2. *recaeptantem* M[a], *reos ceptantem* G: correxit Rhenanus. 3. *excipere* M[a]: *excepere* G. 5. *inter* GM[a]: correxit Rhenanus. 6. *Hierosolyma* M[a]: *hierosolymā* G et corr M[a]. 7. *iudeos* M[a]. 8. *parata* M[a]: correxit Rhenanus. cf. annot. ad 4 44. *redire* M[a]: G *rediere*. 9. *cessessent* medio *e* superscr. *i* M[a]. 10. *aput* M[a]. 11. *utilis* (s videtur a manu recentiore) M[a]: correxit Pichena. G et alii *utile*. 12. *maenia* M[a]. 13. *positus u* corr. in *i* M[a]. 14. *aciēs* M[a]: G *aciē*. 16. *ambiguae* M[a]. 17. *assid.* Or.

Caesare sqq.: cf. Philonis Legatio ad Gaium Caesarem. Ioseph. Ant. XVIII 8 1, B. Iud. II 10. Tacitus XII 54.

Antonius Felix: Tacitus XII 54. Sueton. Claud. 28. Iosephus Ant. XX 7 et 8, B. Iud. II 12 et 13.

ut eiusdem Antonii — nepos esset: haec adiiciuntur, ut affinitatis vinculum, quod inter Claudium et Drusillae maritum Antonium Felicem fuit, declararetur. Drusilla neptis Antonii ex Cleopatra. Claudius autem imperator filius erat Drusi Germanici ex *Antonia* (*minore*, si Suetonium, *maiore*, si Tacitum sequimur; v. annot. ad IV 44), quae fuit filia Antonii triumviri ex Octavia.

Cap. 10. *sub eo bellum ortum*: ortum est a. 66 p. Chr. Iosephus Ant. XX 11, B. Iud. II 14 §. 2 —c. 22.

Vespasianus — tenebat: Ioseph. B. Iud. III 1—IV 11. Tacit. H. I 9. *praeter Hierosolyma:* v. annot. ad c. 2.

quantum ad Iudaeos: cf. Agr. 44 *quantum ad gloriam*. Proximus annus est pars anni 69 et 70 a Chr. n. *uti diximus:* c. 1.

Cap. 11. *Iudaei sub ipsos muros* sqq.: copiose ac sedulo hanc oppugnationem enarravit Iosephus

duis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi. Neque enim dignum videbatur famem hostium opperiri: poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos; ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta; et turres, ubi mons iuvisset, in sexaginta pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur, mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus moenia, regiae circumiecta, conspicuoque fastigio turris Antonia, in honorem Marci Antonii ab Herode appellata. Tem- 12

1. *maenia* M^a^. *obp.* M^a^. 8. *Inmmsum* cum lin. super secundum *m* M^a^: *in inmensum* G. 9. *obpugnatium* M^a^: G *oppugnantium.* 10. *sexaginta* GM^a^, non Bekkeri *sexagenos.* 14. *M.* M^a^.

B. Iud. V 1—VI 9. Cf. Dio apud Xiphil. LXVI 4—7. Iosephum excripsit Zonaras VI 19 sqq.

duos colles immensum editos: hi fuere *Zion* sive *Sion* et *Acra*, valle *Tyropaeo* discreti. Tacitus, quantum licuit, vitavit nomina peregrina. Conf. Iosephi Bell. Iud. V 1 1.

per artem obliqui aut introrsus sinuati: hoc ex lege et praecepto munitionis apud veteres: Vegetius IV 2. Vitruvius I 5. Germani eiusmodi muros vocant *im Zickzack erbauete*, *mit ein- und ausspringenden Winkeln.*

alia intus moenia, regiae circumiecta: intellige regiam ab Herode Magno conditam et turribus moenibusque egregie munitam.

turris Antonia: erat ipsius regiae pars prope templum in monte Moria situm, et quidem in parte templi septentrionali, arx potius quam turris. In ea atria, balneae, aulae; et ipsa in angulis cincta quattuor turribus. Ab Hyrcano olim extructa, dein ab Herode ampliata et ornata, nominataque *in honorem M. Antonii Antonia.* Iosephi Ant. XV 1 4, XVIII 4 3, Bell. Iud. I 5 4 et 21 1, V 5 8 et 7 3, VI 1 3 et 2 1.

Cap. 12. *labore et opere,* h. e. *laborioso opere* (*durch den mühsamen Bau*); cf. c. 11 *urbem arduam situ opera molesque firmaverant.* Vegetius IV 1: *videmus antiquissimas civitates ita in campis patentibus constitutas, ut deficiente auxilio locorum arte tamen et opere redderentur invictae.*

fons perennis aquae: Hieronymus Commentar. ad Iesaiam VIII 6: *Siloë autem fontem esse ad radices montis Moria, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat et per terrarum concava et antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, qui in hac habitamus provincia.* Comment. ad Ierem. XIV: *unico fonte Siloë, et hoc non perpetuo, utitur civitas, et*

plum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios. Ipsae porticus, quis templum ambibatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cavati sub terra montes, et piscinae cisternaeque servandis imbribus. Praeviderant conditores ex diversitate morum crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium. Et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum empto iure muniendi struxere muros in pace tamquam ad bellum, magna colluvie et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema et latissima moenium Simo, mediam urbem Ioannes [quem et Bargioram vocabant], templum Eleazarus firmaverat. Multitudine et armis Ioannes ac Simo,

1. *opera* GM[a] : correctum in Bud. 2. *ambibatur* M[a] : *ambiebatur* G. 4. *cisterneque* M[a]. *pviderant* cum *p* caudato (id est *providerant*) M[a], *preuiderant* G. 9. *colubie* cum lin. super *co*. M[a]. 11. *seditiosiosius* M[a]. 12. *Simo, mediam urbem ioħs* M[a], et sic G qui *Johanes*. 13. *barba* (in versus fine) *gioram* M[a], *barbagioram* G: correxit Lipsius, glossam notavit editor. *alazarus* bis M[a] : G *heleazarus*. 14. *ihs* (cum lin. transversa in litt. *h*) M[a] : G *Johanes*.

usque in praesentem diem sterilitas pluviarum non solum frugum, sed et bibendi inopiam facit. Cf. Ioseph. B. Iud. V 4 1, VI 7 2.

cavati sub terra montes: Dio apud Xiphilinum LXVI 4: *οἱ δὲ Ἰουδαῖοι διὰ τῶν ὑπονόμων ἴσχυον. ὀρωρυγμένους τε γὰρ αὐτοὺς ἔνδοθεν ὑπὸ τὰ τείχη μέχρι πόῤῥω τῆς χώρας εἶχον, κ. τ. λ.* Iosephi Bell. Iud. VI 7 3: *ἔθαλπε δὲ τούς τε τυράννους καὶ τὸ σὺν αὐτοῖς λῃστρικὸν ἐλπὶς ἐσχάτη περὶ τῶν ὑπονόμων, εἰς οὓς καταφεύγοντες οὐ προσεδόκων ἐρευνήσεσθαι.*

a Pompeio expugnatis: Agr. 41: *tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti.* *ceterarum urbium clade:* dicit urbes Palaestinae a Vespasiano Titoque obsessas atque captas.

Simo — firmaverat: copiose de his ducibus Iosephus B. Iud. V 1—6.

Ioannes [quem et Bargioram vocabant]: verba uncis inclusa glossator linguae Hebraicae peritus, sed non satis prudens cautusve, ascripsit, improspere petita ex Iosephi B. Iud. II 22 §. 2 aut IV 9 §. 3 aut V 1 §. 3. Scilicet non Ioannes, sed Simo narrante Iosepho fuit *Bargiora*, h. e. Giorae (*τοῦ Γιώρου*) filius (*bar*): Ioannes non Giorae sed Levi (*τοῦ Λευί*) filius fuit, et Eleazari pater Simo vocatus est. Iam neque cum Salinerio hoc additamentum post *Simonis* nomen invitis libris inserere sustineo (nam vereor ne sit Maurum lavare et insiticia atque aliena ita immutare, ut pro Tacitinis precario iure venire possint), neque Tacitum sine iusta causa erroris accusare possum.

Eleazarus loco pollebat. Sed proelia, dolus incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. Ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. Evenerant prodigia, quae neque hostiis 13
neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum. Expassae repente delubri fores, et audita maior humana vox,

3. *lazarum* Mᵃ : G *heleazarum*. 9. *conl.* Mᵃ. *expassae* G; Mᵃ *exptae* cum lin. transversa in *p*, h. e. *expertae*.

Nam quo certissimo argumento aliena manus deprehenditur, hoc est quod Tacitus nomina peregrina, quantum potuit, vitavit, neque legentium aures praeter necessitatem (ea nunc prorsus abest) molestia afficere voluit. Alia ratione Iosephus usus est, qui tam in hoc quam in ceteris ducibus patres recensuit; sed ab eius sedula diligentia tantum abfuit Tacitus, ut non nisi maxime necessaria admiserit. Et Iosephus quidem de pluribus Simonibus rettulit, ideoque patrum nominibus singulos distinguere voluit, Tacitus in oppugnatione Hierosolymorum de uno tradendum habuit, de patre eius aut matre plane securus. Postremum ne Iosephus quidem dicit Simonem *vocatum* esse Bargioram, sed patrem ei fuisse Gioram narrat.

firmaverat, h. e. imposito militum praesidio firmum reddiderat. Conf. ad Agr. 14. *dolus incendia:* haec duo componuntur cum *proeliis*, quibus hostilem animum aperte ostenderunt; *dolus incendia* fere idem quod *dolosa incendia*. De interpunctione v. ad XI 6.

qui Eleazarum — obtruncarent: error est narrantis, explicandus hinc quod Eleazari iam in ducibus Iudaeorum nullae partes et facta referuntur ideoque occisus esse visus est. Sed Iosephus in pugna qua Ioannes templo potitus est superatum esse Eleazarum et multos suorum interfectos tradit, ipsum occubuisse non dicit (Bell. Iud. V 3 §. 1), mox disertim memorat Eleazarum cum suis sub Ioanne egisse V 6 §. 1.

Cap. 13. *evenerant prodigia:* pergit internum urbis statum et habitum animorum describere. De prodigiis (Tacitus non nisi praecipua tradit) multa referuntur a Ioseph. B. Iud. VI 5 et 7.

piare: declinavit verbum alioqui solenne *procurare*, etiam compositum *expiare*. De prodigiis Iudaeo non observandis v. Levitic. XIX 26 et 31, XX 6. Ieremias X 2. *gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa* (*ein Volk, dem Aberglauben unterworfen, Religionshandlungen abhold*): *religiones* dicit actiones ob metum irae caelestis significatae prodigiis ad placandos deos susceptas.

expassae repente delubri fores: libri Medicei *exptae* ex nota *expsae*, liberius scripta pro *expassae* in libro antiquiore, prodisse coniecerim. Hoc certe unice aptum de foribus sponte se aperientibus

excedere deos; simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum poterentur. Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant: sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta milia fuisse accepimus. Arma cunctis qui ferre possent; et

4. *potirentur* nunc M^a^. 5. *praedixerat* M^a^: *praedixerant* G et alii. *volgus* Or. 6. *magnitudine* M^a^: G *magnitudinē*. *interp̄tati* M^a^. 8. *hominis* M^a^: G *omnis*. videtur in M^a^ esse *sexus*, etsi pro certo affirmari nequit. G et alii *uirilis, ac muliebris sexus,*

et late patentibus. Iosephus Bell. Iud. VI 5 §. 3: *ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλην μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, — ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἑκτὴν αὐτόματος ἠνεῳγμένη.* Doederlinius coniecit *exapertae*, verbum non Tacitinum, ab Orellio in contextum non bene acceptum. Nam *exaperire*, cuius unum exemplum ex Augustino attulit Forcellinius, ad analogiam Latinam est *aegre aperire* vel *plane aperire*, neque convenit foribus caelesti numine facile et sponte diductis.

antiquis sacerdotum litteris: hae sunt sacrae litterae, praecipue Danielis II 44 et 45. Quae sunt apud Matthaeum II 1 sqq., III 2, Lucam II 25 sqq., ea huc minus pertinent.

ut valesceret Oriens — rerum poterentur: Suetonius Vesp. 4: *percrebruerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Iudaea profecti rerum poterentur. Id de imperatore Romano, quantum postea eventu paruit, praedictum Iudaei ad se trahentes rebellarunt.* Iosephus B. Iud. VI 5 §. 4.

quae ambages — praedixerant: perperam nonnulli editores auctoritate libri Medicei (ibi lineola super *praedixerăt* aut evanuit aut neglecta est a scriba codicis) eo abusi sunt, ut *praedixerat* scriberent, vitio manifesto: Tacitus enim perinde ut alii scriptores Latini singularem numerum in uno ablativo *ambage* probavit, in nominativo et accusativo constanter forma numeri multitudinis usus est. VI 46: *non abdita ambage;* XII 63: *ea ambage.* Rursus II 54: *per ambages — cecinisse;* XI 34: *aperire ambages.* H. II 4: *per ambages interrogat*, ibid. 78: *has ambages;* H. IV 84: *per ambages coniectant.* Omnino praeter ablativum utriusque numeri et nominativum accusativumque in numero multitudinis nulli casus inveniuntur, non *ambagis* neque *ambages* singulari numero, quos admittit Charisius I p. 25 (p. 21 ed. Lindem.), ablativo casu inductus ut similem nominativum statueret; *ambagum* unus Ovidius, ut videtur, posuit Metamorph. VII 761.

sexcenta milia fuisse accepimus: consulto videtur scripsisse *accepimus* (h. e. ex ore eorum qui

plures quam pro numero audebant. Obstinatio viris feminisque par; ac si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies proeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

At Civilis post malam in Treviris pugnam reparato per **14**
Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit, tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartae decumae legionum. Cohortesque et alae iam pridem accitae post victoriam properaverant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis

4. *inp.* Mª. 8. *mala* Mª: G *malā*. *Treveris* tacite Orellius: G *treuiris*. 9. *castra* om Lipsius. 12. *sextae* Mercerus: Mª *XVI.*, G *sextedecimae*. *quartae decumae*] *XIIII* GMª. 15. *umentium* Mª: G *humentium*.

interfuere), respiciens aliorum discrepantes narrationes: nonnulli enim scriptores in maius vero hunc numerum, id quod fieri solet, auxerunt, veluti Iosephus B. Iud. VI 9 §. 3 et Zonaras VI 26, qui totius obsidionis tempore undecies centena milia et amplius perisse referunt. Sic etiam Sallustius in re a plerisque aliter narrata Catil. 6: *urbem Romam, sicuti ego accepi* (ab antiquissimis auctoribus ita accepit aliter recentioris aetatis suae scriptores), *condidere atque habuere ab initio Troiani.* Negligenter et falso Orosius VII 9: *DC milia Iudaeorum interfecta Cornelius et Suetonius referunt.* Hieronymus in Chronico: *Titus Iudaea capta et Hierosolymis subversis sexcenta milia virorum interfecit. Iosephus vero scribit undecies centena milia fame et gladio perisse.* De formula *virile ac muliebre secus* v. annot. ad II 84 et IV 62.

impetus et subita belli (*Sturm und unvorbereiteten Kampf*): qualis *impetus* dicatur, additis verbis *subita belli* declaratur.

novis ingeniis: ingenia h. l. pro hominibus ingeniosis dicta esse observes: cf. I 1 *decora ingenia*, IV 35 *punitis ingeniis gliscit auctoritas.* H. I 1 *magna illa ingenia.* O. 1 *antiquorum ingeniis.*

Cap. 14. *At Civilis:* ad rerum in Occidente gestarum ordinem H. IV 79 relictum revertitur. *prosperarum illic rerum:* v. H. IV 28 sqq. et 33 et 55—60.

sextae; in librorum scriptura XVI nota X ex subsequente numero XIIII perperam huic adhaesit: scilicet legio sexta decima non tunc advenit, sed diu in exercitu Cerialis erat, ut clarum ex H. IV 72,

adiacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa: quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit. Igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen; deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte latera ac terga circumvenientes. Neque ut in pedestri acie comminus certabatur; sed tamquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem inplicabantur. Minor tamen quam pro tumultu caedes, quia non ausi egredi paludem Germani in castra rediere. Eius proelii eventus utrumque ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summae rei discrimen erexit.

5. *ferocissimo* GMª, deest Vatic. 1863 et Spir. *caeptum* Mª. 6. *armae qaurirentur* cum lin. transversa in litt. *q*, et litt. *a* superscr. ab eadem m. *h* Mª: *arma equi quė haurirentur* (*h* super versum ascr.) G. 9 *comminus minus certabatur* Mª, *cominus certabatur* G et alii. 11. *volneratis* Mª: G *Vulnerati*. 12. *impl.* Or. et G qui ita solet. 13. *ceres* Mª: G *caedes*. 15. *summe* Mª.

collatis c. 62 et 70, sexta autem Hispania excita nunc recens adest: H. IV 68, V 16. Non bene se habere XVI etiam hinc liquet, quod sic quae sequitur legio (XIIII) ante nominanda erat. Ceterum cum sexta Hispanica noli commiscere alteram sextam legionem, ex Syria a Muciano in Italiam adductam, item a Ceriale secum Alpibus traductam. Cf. H. IV 68. *post victoriam properaverant:* similem rem memorat H. III 7. *Germanos fluminibus suetos — attollit:* conf. II 8 et 14. H. II 35, IV 66.

Cap. 15. *neque ut in pedestri acie, comminus certabatur:* quod in Mª legimus *comminus minus*, in eo nihil nisi *διττογραφίαν* agnoscere possum, neque cum Iac. Gronovio comminus eminus inde eliciam: nam si neque comminus neque eminus (h. e. neque pilis neque gladiis) hastisve certatum esset, nullum certamen a Romanis coeptum esset. Immo hoc Tacitus dixit, Romanum propria virtute uti non potuisse et pugnam ad manus et mucronem non adductam esse. Neque *comminus eminus certare* alibi Tacitus composuit, sed hoc *ἀσύνδετον* semel ita admisit, ut alterum membrum coniunctione connexum adiungeret. Sic H. II 42: *comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant.* Fortasse Medicei scriptura ex antiquiore *com minus* ita nata est, ut scriba recentior *com* perperam expleret *comminus.*

in castra rediere: haec castra ipsa *Vetera* sunt, in quae Civilem paulo ante hanc pugnam cum exercitu suo profectum esse ex

Civilis instare fortunae, Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces; Romanos pudor excitaverat. Nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta. Postera luce Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem 16 explet; in secunda acie legiones locatae; dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa. Civilis haud porrecto agmine sed cuneis adstitit. Batavi Gugernique in dextro; laeva ac propiora fluminis transrhenani tenuere. Exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum ignavum victum hostem in aeternum exciderent, ultione magis quam proelio opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse, ac tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant. Proprios inde stimulos legionibus admovebat, domitores Britanniae quartadecumanos appellans; principem Galbam sextae legionis auctoritate factum; illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos. Hinc praevectus ad Germanicum exerci-

1 et 4. *cerealis* M^a: utrobique correctum in G. 5. *locate* M^a. 7. *astitit* M^a: G *adstitit*. *cugernique* GM^a: correxit Ernestius ex H. 4 26, Plin. 4 31 (16). *leua* M^a. 10. *cerealis* M^a: G *Cerialis*. 12. *exciderent* M^a: *excidereut* G et alii. 15. *vulnera* M^a, non *voln*. 16. *brittannie* M^a. 17. *sexta* M^a, *sexte* G. 19. *praeuectos* M^a, *preuectus* G.

c. 14 intelligitur. Quod cum ita sit, *oppidum* c. 19 commemoratum item *Vetera* sunt, quamvis olim ipse aliter statuerim.

Cap. 16. *frontem explet:* aliis locis in eadem re *firmare* ponit, ut I 51. H. V 12. Agr. 35.

Civilis — adstitit: praepositio verbo adiuncta respicit aciem diversam sive Romanam, contra quam Civilis cuneis *adstitit* (*sich heranstellte*).

Cerialis — victorias: audaci ellipsi omissum est v. *memorabat* vel *praedicabat:* cf. I 31 et 65, IV 69. H. III 19, IV 75.

domitores Britanniae quartadecumanos appellans: XIV 34—37. H. II 11 et 32 et 66 et 86, III 13.

principem Galbam sextae legionis auctoritate factum: cf. H. I 16, III 44. Altera sexta legio Syriaca (v. ad H. IV 68) huic proelio non videtur adfuisse. *secundanos nova signa — dicaturos:* H. IV 68: *e recens conscriptis secunda.*

ad Germanicum exercitum: ad eas legiones cohortesque, quibus Romanae provinciae in laeva Rheni ripa custodiebantur. De his in exercitu Cerialis tunc aderant *sextadecumani* ac *primani* (H. IV 70

tum manus tendebat, ut suam ripam, sua castra sanguine hostium recuperarent. Alacrior omnium clamor, quis vel ex longa pace proelii cupido vel fessis bello pacis amor, prae-
17 miaque et quies in posterum sperabantur. Nec Civilis silentem struxit aciem, locum pugnae testem virtutis ciens. Stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae, cineres ossaque legionum calcantes. Quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem clademque et dira omnia obversari. Ne terrerentur vario Trevirici proelii eventu. Suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt: sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. Quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in aspectu; quorum numine capesserent pugnam, coniugum parentum patriae memores. Illum diem aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros fore. Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis,

2. *recup.* nunc M^{a}. *ex* M^{a}, *e* G. 4. *sperabatur* M^{a}: G *sperabantur.* 5. *pugne* M^{a}. *sciens* M^{a}: G *ciens.* 6. *glorie* M^{a}. 8. *dyra* M^{a}. *oia* cum lin. M^{a}, unde *omnia* G. *obversari* M^{a}: *observari* G et alii. 11. *contrarie venisse* M^{d}: G *contraria euenisse.* 12. *previse* M^{a}, *prouidisse* G et alii: *prouisa* A. 13. *germanie* M^{a}. 14. *capescerent* GM^{a}. 15. *patrie* M^{a}. 17. *mox* M^{a}, *modo* G in rasura: *mos* Puteolanus. *appr.* Or. et G.

et 72), *unaetvicesimani* (H. IV 68 et 78). *Suam ripam* intellige *laevam* Rheni fluminis; *sua castra* sunt *Vetera* ab hoste insessa.

Cap. 17. *silentem struxit aciem: silens acies* est in qua siletur, sive a duce sive a militibus sive ab utrisque. *et dira omnia:* noli *omina* cum nonnullis codicibus asciscere: Romani enim ad mentem Civilis non *dira omina*, sed *res diras* recogitant.

vario Trevirici proelii eventu: varium eventum dicit victoriam et cladem; cf. H. IV 77—78. *dum — impediunt:* excidit ex oratione obliqua in directam, ut saepius cum particulá *dum*, velut II 81, XIII 15, XIV 58. II. III 38. *quae provideri astu ducis oportuerit:* cf. annot. ad II 14.

Rhenum et Germaniae deos in aspectu: haec magis ad mentem Romanorum dicta sunt, quam Germaniae populorum: hi enim numquam venerati sunt amnes vel fluviorum numina; v. Germ. 9.

aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros: conf. Agr. 32 extr.: *maiores*

ut elicerent, lacessentibus. Absumptis quae iaciuntur, et ar- 18
descente pugna, procursum ab hoste infestius. Immensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant; simul e mole quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. Turbata ibi res, et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. Inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa, et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. Duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. Quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die

1. *lacescentibus* M^a^: G *lacessentibus*. *absumptisque* M^a^, *absumptis que* G. 2. *inm*. M^a^. 3. *astis* M^a^: G *hastis*. 5. *retul*. GM^a^. 7. *eq*. M^a^. 10. *Gugernos* h. l. GM^a^. 11. *due ale* M^a^. *misse* M^a^.

vestros et posteros cogitate. Inter maiores breviter positum pro 'inter dies a maioribus magnis facinoribus celebratos.' Posteri autem a clade huius diei ignominiae principium numerabunt.

Cap. 18. *fluitantem labantemque militem:* h. e. stabili loco et solido in campis humentibus egentem. Miles autem modo *fluitabat*, ubi undis sublatus erat, modo *lababat*, ubi in lubricum inciderat.

rettulimus: c. 14. *solidum illa:* sic II 17 : *illa rupturus*.

Rhenum fuga petebant : loca proxime Rhenum humidiora erant, quam ut Romani sequi possent; ibidem etiam Vetera oppidum, quo Civilis cum suis se recepit.

Cap. 19. *decuma ex Hispania legio:* eam excitam esse in Germaniam supra rerum scriptor dixit (H. IV 68).

non tamen ausus oppidum [Batavorum] armis tueri : oppidum quod h. l. nominatur *Vetera* fuisse attente legenti liquebit, et qui dubitaverit, is ex annotatione mea altera ad c. 15 et extrema ad c. 18 haesitationem animi removebit. Graece non *ἔρυμα* simpliciter, sed *τὸ ἔρυμα* (*die Feste* sive *das feste Lager*) dicendum est. Opponit Orellius castris Veteribus faces iniectas esse a Civile (H. IV 60): sed faces munimenta et muros abolere non potuerunt, ut satis liquet ex huius libri capite 14 et 15. Iam *Batavorum* ab ipsius Taciti manu esse nequit. Primum enim *oppidum Batavorum* iungi non potest, quod Vetera non est oppidum Batavorum, sed inferioris provinciae Romanae; et quidquid geographi de *oppido Batavorum* quodam *καθ' ἐξοχὴν* sic dicto fabulati sunt, id nihil est nisi ludibrium huius loci gratia excogitatum. Neque vero *Batavorum armis*, ut voluit Waltherus, iungi potest: Civilis enim exercitus ex *Batavis, Gugernis* (c. 16), *Bructeris* (c. 18), *Chaucis* (c. 19) aliisque transrhenanis compositus erat et Batavi minima eius pars fuit (c. 14). Sententia igitur postulat

foret, si Romana classis sequi maturasset. Ne eques quidem institit, repente fusis imbribus et propinqua nocte.

19 Postera die quartadecuma legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa; Cerialis exercitum decuma ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. Non tamen ausus oppidum [Batavorum] armis tueri, raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit, gnarus deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmissurum. Quin et diruit molem a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disiectis quae morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus insulam inter Germanosque continentium terra-

4. utrum in M[a] *amnio*, an *aninio* distingui nequit: *aĩo*, h. e. *animo*, G: *ãnio* Puteolanus. 5. *caucorum* GM[a]. 6. *oppidũ* M[a], *oppidum* G, *oppida* alii. glossam *Batavorum* notavit editor. *que* M[a]. 9. *diluit* M[a]: G *diruit*. 10. *facta* M[a]: G *factã*. *albeo* M[a]. 11. *que* M[a]. *abacto* M[a], *ab acto* G, *ab amoto* R, *amoto* A. 12. *albeus* M[a].

non *Batavorum armis tueri*, sed *armis tueri*, h. e. obsidionem sustinere et repellere. *Batavorum* adiectum est a glossatore qui *oppidum* esse *ἔρυμά τι* opinabatur (*einen festen Ort der Bataver*).

in insulam concessit: in insulam Graece est *ἐς τὴν νῆσον*, h. e. in insulam Batavorum, de qua v. II 6, H. IV 12. Eo Civilis concessit traiecto amne *Vahali* sive (ut more Tacitino dicam) *Rheno:* ipse enim hunc amnem ex Rheno fluentem *Rhenum* vocat (II 6, H. V 19 bis, ibid. 23), *Vahalis* autem nomen *accolis* relinquit (II 6).

efficiendo ponti: faciendo trans Vahalem.

molem a Druso Germanico factam: facta erat, ne nimia vis aquae ex Rheno in Vahalem effunderetur, ut bona pars superesset, quae et Germaniam praevehendo Oceano misceretur, et per fossam Drusianam (*Yssel*) in lacus mari vicinos (Zuyder-See) efflueret. Ea moles, facta ad principium Vahalis, postquam diruta erat, Rhenus (Vahalis) *ad Gallicam ripam* non, ut ante, *placidior affluebat* (II 6), sed ipse immensum auctus tam ei Rheno qui Germaniam praelabitur quam fossae Drusianae copias suas subtraxit. Intelliges, lector, Tacitum sibi constare, cum h. l. scribit *Rhenumque* (*Vahalem*) *prono alveo in Galliam ruentem*, sicubi disiecta erant quae morabantur, in Annalibus (II 6) autem *ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens* sqq.: ibi enim eum statum respexit, qui Drusi opere factus erat. De aggere Drusi iussu inchoata, a Paulino Pompeio anno 58 p. Chr. absoluto conf. XIII 53.

tenuis alveus insulam inter Germanosque: intelligit dextram insulae partem et vicinos populos Germaniae Rheno medio et fossa Drusiana discretos, *Frisios*, *Chaucos*, *Bructeros*.

rum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Trevirorum senatores; in quis fuit Alpinius Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. Comitabatur eum frater Decimus Alpinius. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli **20** superfuit ut praesidia cohortium alarum legionum uno die Civilis quadripertito invaserit, decumam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque cohortium alarumque castra, ita divisis copiis ut ipse et Verax, sorore eius genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent; nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam adfore: simul Cerialem neque satis cautum, et plu-

2. *XIII trevirorum* M^a. 4. *D.* M^a. 7. *legionem* M^a et G (sed ibi postrema *ẽ* in rasura): correctum in A. *uno die Civilis*] *modis civilis* M^a, *modicis uillis* G: correctum in A. 8. *quadripertita* M^a, *quadripartitã* G: correxit Ernestius. 10. *divisi* M^a: G *diuisis.* 11. *traheret* M^a: G *traherent.* 13. *pluris* M^a: G *pluribus.*

transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus: hunc Rhenum *Vahalem* esse monitum est in tertia ad h. cap. annotatione et eo libentius iterum ingero, quia in his rebus multos errare video, in quibus ipse olim fui.

quem — memoravimus: H. III 35, IV 31. *In Gallias* dicit pro provinciis Germania superiore et inferiore: hae enim in *Gallica* ripa.

Cap. 20. *decumam legionem Arenaci, secundam Batavoduri:* rerum illic gestarum hunc ordinem et successionem fuisse narrationis connexus probat. Postquam Civilis omisso Veterum oppido in insulam Batavorum traiecto Vahali concessit (cap. 19), Cerialis non transmissurus Vahalem sine ponte (et huic efficiendo naves deerant) interim deserta Vetera occupavit ac magnam exercitus partem Rhenum ibi integrum transgressam in dextra ripa *Arenacum* misit ibique decimam legionem in castris collocavit, secunda non ita procul in eadem ripa *Batavoduri* in praesidio posita: ipse in laeva Rheni ac Vahalis ripa cum cetero exercitu remansit. Arenacum autem et Batavodurum non in ipsa Batavorum insula nec sinistro Rheni litore fuisse, ut statuit Danvillius et plerique opinantur, sed in diversa (dextra) Rheni ripa, ex cap. 20 extr. et 21 intelligitur: nam *ponte* Batavoduri *inchoato* in insulam transmissuri Romani erant, et mox illi re vera (cap. 23) adveniunt. Accedit quod etiamnum *Arnheim*, urbs in dextra Rheni parte sita, nomine suo oppidum antiquum luculente refert. Rursus amnis in quem Batavi qui *Vadam* invaserant versa fortuna (c. 21) aguntur, Vahalis est, et *Vada* quoque *Grinnesque* non in Batavorum insula sita erant (nam paucas cohortes alariosque feroci populo obiicere insanum fuisset), sed in sinistra Vahalis ripa, in ea fere regione ubi nunc urbs *Nimwegen,*

ribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi. Quibus obvenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati egressum militem et caedendis materiis operatum turbavere, occiso praefecto castrorum et quinque primoribus centurionum paucisque militibus: ceteri se munimentis defendere. Et interim Germanorum manus Batavoduri rumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum proelium nox di-

21 remit. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Classicus oppugnabant. Nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque; in quis Briganticus praefectus alae ceciderat, quem fidum Romanis et Civili avunculo infen-

2. *obp.* M^a^. 3. *ced.* M^a^. 5. *ceteris eminentis* M^a^: G *ceteri se munimentis.* 6. *et* G: M^a^ *a.* *inrumpere* M^a^, *ĩrũpere* G: *rumpere* Iac. Gronovius, qui hoc tribuit (t. II p. 568) libro Oxoniensi, haud consentiente Broterio. 9. *obp.* M^a^. 10. *brigantibus* M^a^: G *Briganticus.* 11. *ale* M^a^. *avunc.* M^a^, non *avonc.*

ut haec castra Batavos ab una parte, ab altera decumani et secundani eosdem coërcerent. Si quaterna haec castra cum tot armatorum milibus in ipsa insula fuissent, ut Danvillius et plerique interpretes Taciti crediderunt, vereor ut Batavi tantum temporis tot legionibus auxiliisque resistere potuissent. Ac Civilis postquam ad Vadam *amnem* (Vahalem) *tranavit* (c. 21), non *extra* insulam est, sed in ea et apud suos versatur. Fugit inde aliquanto post (c. 23) et tum demum Cerialis (exercitu transmisso, et quidem ponte, ut videtur, in Vahali ad Vadam facto) *insulam hostiliter populatus* est.

quibus obvenerant castra decumanorum: de flumine (Rheno) ante a Batavis traiecto tacere potuit, cum abacto amne tenuis alveus esset et facile transeundus.

et interim Germanorum manus Batavoduri rumpere inchoatum pontem nitebantur: etiam hoc loco neque flumen a Germanis traiectum ante initam pugnam neque post natando tramissum memoratur: etenim haec quoque castra in *dextra* ripa divisi Rheni ac tenui alveo meantis posita erant. Pontem inchoaverant secundani ut ex hoc loco in sinistrum litus et insulam tutius incurrere possent. Si Batavodurum in sinistra ripa Rheni fuisset, h. e. in ipsa insula Batavorum, Romanis neque iungendi pontis iusta causa aderat, neque rumpendi Batavis. Ili rumpere illum pontem nitebantur, ut Romanos a transitu in insulam suam arcerent. Codicis M^a^ *inrumpere* pro *rumpere* ex vocali *i* a proximo nomine (*Batavoduri*) adhaerescente duxit originem: nam scriba recentior formam *irumpere* pro *ĩrumpere* videtur accepisse.

apud Grinnes Vadamque: haec castra parvo tantum intervallo a se discreta fuisse hinc intelligitur, quod Cerialis delecto equite subveniens utraque discrimini exemit. In sinistra Vahalis parte, non in dextra sive in insula Batavorum, fuisse iam monitum est et statim videbimus.

Cap. 21. *infensum diximus:* H. IV 70. Cf. H. II 22.

sum diximus. Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna praecipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis relicto equo tranatavit. Idem Germanis effugium: Tutorem Classicumque adpulsae lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit. Et iussum erat, sed obstitit formido, et remiges per alia militiae munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis, sed eventu clarus. Aderat fortuna etiam ubi artes defuissent. Hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae. Et paucos post dies, quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit. Profectus Novaesium Bonnamque ad visenda 22
castra quae hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis; et insidias composuere. Electa nox atra nubi-

1. *duximus* M^a: G *diximus*. 4. *tnatau* cum lin. super litt. *u*, et *a* a recentiore, ut videtur, manu superscr. inter litteras *tn*: *transnatauit* G. *germani* M^a, *germanis* G: Iac. Gronovius *Veracis*. 5. *adpulse lyntres* M^a. 6. *pugne* M^a. *et* GM^a: *ut* Spirensis et Beroaldus. 7. *militie* M^a. 8. *inp.* M^a. 9. *set* M^a. 10. *discipline* M^a. 12. *mutauit* M^a: G *uitauit*. *nouesium* G, de M^a nunc nihil refertur. *bonamque* M^a: G *bonnam que*. 13. *que* M^a. 15. *conp.* M^a.

praecipites Germani in amnem aguntur: hunc amnem esse *Vahalem*, in quo tunc plurima Rheni aqua, ex his et subsequentibus liquet. In tenui divisi Rheni alveo tantum discriminis neque Germani ducesve adire potuerunt neque classis adesse a Ceriale iussa esset. *Civilis — tranatavit:* tranatavit ex laeva Vahalis ripa, in quam ad oppugnanda castra cohortium et alarum transcenderat, in dextram oram et insulam Batavorum: eodem Verax, etiam Tutor et Classicus se recepere. Ibi omnibus fidum effugium, quia Romani nondum ingressi et pontes ab iis inchoati nondum perfecti erant.

idem Germanis effugium fuit: Germani, h. e. milites Civilis, in amnem acti natandi arte conservantur et in insulam effugiunt: Tutor et Classicus Trevirenses, imperiti natandi, adpulsis lintribus transvecti sunt. Iac. Gronovius dedit *Veracis*, coniecturam a subsequentibus editoribus acceptam: Veracem enim c. 20 cum ceteris ducem memoratum esse. Sane memoratus ibi est, sed suam quisque manum traxisse dicitur, ut nihil impediat quo minus Verax Arenacum aut Batavodurum invadentibus praefuisse credatur.

ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit: haec ex regione Veterum et Rheno indiviso in Vahalem incurrere iussa erat, ut videtur. *et iussum erat:* *et* in principio enuntiati positum valet *et sane*; cf. annot. ad c. 22. Con-

bus; et prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima caedes astu adiuta: incisis tabernaculorum funibus, suismet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem, inicere vincla, trahere puppis. Utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. Dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. Namque praetoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiae Sacratae mulieris Ubiae. Et vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere, ne quietem eius turbarent; ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos. Multa luce revecti hostes, captivis navibus,

2. *ced.* Ma. 3. *toriis* Ma: *tentoriis* AR et corr G. 4. *puppis* Ma: *pupes* G. 5. *cepta cede* Ma. 6. *romanis* Ma: G *Romani. voln.* Or. *quer* cum lin. Ma. 7. *ornati militari* Ma, *ornati militariter* BG et Oxonienses: correctum in Spirensi et a Pichena. 9. *nanque* Ma. 11. *alibi naue* Ma, *alia naui noctem* G: *alibi noctem* Spirensis et Puteolanus, item Vaticanus 1863 et 1958. 12. *claudie sacrate* Ma. *mulieris. ubi et vigiles* Ma, etiam G, sed omisso puncto, et ceteri: *mulieris Vbiae. uigiles* tacite Rhenanus, *mulieris Ubiae. et vigiles* Waltherus. 15. *labsos* Ma.

iectura *ut* vulgo recepta non opus est.

Cap. 22. *disiecto agmine, incuriosis vigiliis:* *agmen* non de navibus dictum est sed de militibus pedestri itinere remeantibus. Navibus igitur tantum Cerialis et pars comitum rediit. *Disiecto agmine* diurni temporis, *incuriosis vigiliis* nocturni cura intermissa denotatur.

vallum ineunt: vallum et castra in laeva fluminis ripa posita. Paulo ante *prono amne* de Rheno quo vectus est Cerialis intelligendum, quod non monerem, nisi de Lupia Rupertium cogitasse viderem.

per vias: per vias castrorum in laevo Rheni litore.

et vigiles — excusabant: particula *et* in principio posita fere valet *et sane*, *et certe*, ut hoc enuntiatum illud *ut plerique credidere* aliquo argumento confirmet. Perinde particula *et* saepe a Tacito adhibita est, veluti I 35: *et miles — strictum obtulit gladium;* 61: *et cladis eius superstites — referebant;* II 12: *et cernebantur ignes;* XIV 55: *et tua quidem erga me munera — aeterna erunt.* H. I 48: *et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit;* 59: *et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes.* G. 26: *et superest ager;* 29: *et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul ac deponit.* A. 10: *et est ea species citra Caledoniam.*

praetoriam triremem flumine Lupia donum Veledae traxere.
Civilem cupido invasit navalem aciem ostentandi. Complet 23
quod biremium, quaeque simplici ordine agebantur. Adiecta
ingens lintrium vis. Tricenos quadragenosque * * * armamenta Liburnicis solita: et simul captae lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur. Spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit. Causa instruendae classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperentur. Cerialis miraculo magis quam metu direxit classem, numero imparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen secundum; illi

1. *Inpia* Mª, *impia* G, *Lupia* Harl. *uelede* Mª. 2. *invasit* editor: Mª *inuasi incessit*, G *incessit*. 3. *queque* Mª. 4. *lyntrium* Mª. in hiatu *ser* cum lin. super *r* Mª, non *se et*, ut narrat Pichena: *ceu* G. 5. *solite* Mª, *soli* G: *solita* liber Harleianus et Lipsius. *lyntres* Mª. 7. *electum* Mª, non *eiectum*. 9. *commeat;* (h. e. *commeatus*) Mª. *galliã* Mª. 10. *interciperentur* Mª: *intercipercnt* G. *derexit* Mª: G *direxit*. 11. *inp.* Mª. *remigium* Mª: G *remigum*.

flumine Lupia: uno *p* fluminis nomen effert M I 60, II 7; eandem scripturam quamvis in pravum deformatam nunc commendat Mª, item Strabonis (VII 1 3 p. 291) et Dionis (LIV 33) *Λουπίας*.

Cap. 23. *Civilem cupido invasit navalem aciem ostentandi:* haec cupido Civilem invasit, postquam ipse captis navigiis auctus, hostes perditis isdem attenuati videbantur. Ascivi autem *invasit* pro vulgato *incessit*, quia hoc secundo loco positum ac vulgari usu magis tritum in suspicionem glossae cadit. In Mediceum *inuasi* pro *invasit* devenit dum scriba in *ἀρχετύπῳ* litteram T ante proximam I (*incessit*) neglexit. *Invasit* autem exquisite dictum de vehemente et acri hominis impotentis cupidine. Conf. I 61: *cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique.* II. III 63: *tanta torpedo invaserat animum.*

quaeque simplici ordine agebantur: naves simplici remorum remigumque ordine actae (*μονήρεις* Graece dicuntur) cum nomine a remis petito apud Latinos carerent, hac ambage usus est Tacitus.

tricenos quadragenosque — solita: post enumerata navium genera additur quomodo viris armamentisque instructae fuerint. Sed triceni quadrageni que propugnatores haud dubie in biremibus et quae simplici ordine agebantur, non in lintribus fuere, quae tot capere non poterant. Itaque punctum posui post *lintrium vis* pro commate adhuc vulgato. Manca quae sequuntur, sic fere expleverim: *tricenos quadragenosque* armatos naves ferre, *armamenta Liburnicis solita,* ut librarius scriptor a nomine *armatos* ad *armamenta* aberraverit. Navium *armamenta* sunt vela et funes.

amnem Rhenum: cf. annot. ad

vento agebantur. Sic praevecti, temptato levium telorum iactu, dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus trans Rhenum concessit. Cerialis insulam Batavorum hostiliter populatus, agros villasque Civilis intactas nota arte ducum sinebat, cum interim flexu autumni et crebris per id tempus imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. Nec classis aut commeatus aderant, castraque in
24 plano sita vi fluminis differebantur. Potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos imputavit Civilis. Neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios Ba-

2. *nichil* Mª. *hausus* Mª. 4. *intactas* Mª: *intactos* G. 5. *flexu* GMª, non *fluxu*. *autumni* G, ut alibi Mª: Orellius nunc tacite *auctumni*. *id tempus* editor: in Mª defectus duarum litterarum, et tum *q̄tiū*. G *crebris pluuialibus imbribus*. 6. utrum in Mª *animis* an *ammis* distingui nequit: G *amnis*. 9. *inp*. Mª.

H. V 19. *ut eo terrore — interciperentur*: ne commeatus per Mosam et Vahalem, mox Rhenum in provinciam inferiorem et superiorem pervenire possent, sed ante a classe Batavorum caperentur.

miraculo magis quam metu: miraculum est Civilis ipse et classis Batavorum insolitum sibi ausa; *miraculo* valet *ob miraculum*, non, ut interpretatur Lipsius '*quia* mirabatur Civilem hoc audere'. Nam *miraculum* pro *miratione* neque Tacitus neque alii Latini scriptores dixerunt.

direxit classem (gab seiner Flotte die Richtung gegen den Feind): H. IV 16 *directa ex diverso acies*. Advenerat a Veteribus classis in Vahalem ingressa, iam ante ut adesset iussa, v. ad c. 21.

his flumen secundum: *hi* sunt Romani, *illi* Batavi.

trans Rhenum concessit: dicit Rhenum divisum a parte Orientis Batavorum insulam cingentem. Ad Frisios Civilis se recepit, ut monstrant verba c. 24: *potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos* cet.

Cerialis — populatus: adventu classis naves ad iungendum pontem aderant. Cerialis Vahalem transgressus iam insulam Batavorum occupavit.

flexu autumni et crebris per id tempus imbribus: ego pro duabus litteris in Mª evanidis *id* suppeditavi, notam *q̄tiū* ex *t̄pū*, h. e. *tempus*, detortam esse credo. Certe *per id tempus* unice convenit ceteris. Infeliciter Orellius suggessit *per aequinoctium*, coniecturam prorsus alienam. Nam aequinoctium est incipiente autumno, h. e. die 21 Septembris, ac tum in illis terris plerumque serena et amoena tempestas. Tacitus vero de *flexu* autumni nunc loquitur, h. e. de Novembri mense, ac tum sane pluviae imbresque plerumque in Batavorum insula et terris Rhenanis. *Flexus* autumni, ut *flexus aetatis* apud Ciceronem (de Or. I 1, pro Cael. 31), de autumno ad finem vergente et medium sui tempus egresso dicitur, imagine sumpta a flexu metae.

Cap. 24. *et voluisse Germanos*: caute ponit *Germanos*, h. e. eos

tavis pacem, Civili veniam ostentans, Veledam propinquosque monebat fortunam belli, tot cladibus adversam, opportuno erga populum Romanum merito mutare. Caesos Treviros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam; neque aliud Civilis amicitia partum quam vulnera fugas luctus. Exulem eum et extorrem recipientibus oneri; et satis peccavisse quod totiens Rhenum transcenderint. Si quid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore. Miscebantur 25
minis promissa. Et concussa transrhenanorum fide inter Batavos quoque sermones orti. Non prorogandam ultra ruinam, nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. Quid profectum caede et incendiis legionum nisi ut plures validioresque accirentur? Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse? Respicerent Raetos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi

2. *oport.* M^a^. 3. *populum R̊.* M^a^. *cesos* M^a^. 5. *partum* editor: *paratum* GM^a^. *uulnera* M^a^, non *voln.* 7. *iuriam* GM^a^: *iniuriam* Puteolanus. 12. *profectum* GM^a^: *perfectum* Puteolanus. *plures* G: M^a^ *fures.* 14. *vocent* M^a^ : *prouocent* G.

apud quos tunc Civilis erat Rhenum transgressus (Frisii et Chauci, ut videtur), non Batavos a Romano exercitu occupatos.

Veledam propinquosque monebat: captivam in urbem posthac ductam esse Veledam colligere licet ex Statii Silv. I 4 90: *non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem captivaeque preces Veledae — pandere.* Conf. ad G. 8. Apud Dionem LXVII 5 *Βελήδα* est pro *Velida*, non pro *Velēda:* mediam enim corripi testis est Statius.

partum: legebatur *paratum.* Simile huic vitium supra V 10, ubi erat *pace parata*, a Rhenano vere correctum esse omnes consentiunt. Conf. annot. ad IV 44. *Vulnera* non *parata* sed *parta* dicimus, si sermo est de vulneribus acceptis. *Parat* vulnera qui studet infligere alteri. Vulnera a Batavis *parata* sunt quae illi hostibus paraverunt (*vorbereitete* vel *in Bereitschaft liegende Wunden*), *parta* quae ipsi sibi pepererunt.

Cap. 25. *si Vespasiano bellum navaverint:* vid. H. IV 13 et 21 et 32. *sibi non tributa sed virtutem et viros indici:* H. IV 12. Germ. 29. Cf. Agr. 36.

proceres atrociora: proceres magis infensi atrocius de coeptis a Civile loquebantur. Atrocia autem praecipue fuere extrema orationis: *ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena paenitentiam fateantur.* Antiquam scripturam *atrociore Civilis rabie* iam nemo tuebitur. Ceterum *atrociora*, quod nunc demum in M^a^ esse accepimus, etiam Bekkerus tamquam

non tributa sed virtutem et viros indici. Proximum id libertati; et si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari. Haec vulgus. Proceres atrociora. Civilis rabie semet in arma trusos; illum domesticis malis excidium gentis opposuisse. Tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena pae-
26 nitentiam fateantur. Non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit, super taedium malorum etiam spe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio scinditur Nabaliae fluminis pons; in cuius abrupta progressi duces, et Civilis ita coepit. 'Si apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo coepta, a me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia; et cum

3. *volgus* Or. 4. *atrociora* M[a], ut divinarat Heinsius: *atrociore* G. *rabies* M[a]: G *rabie*. 5. *obp.* M[a]. 10. *tedium* M[a]. 13. *uitellium* M[a]: *Vitellii* G. 15. *caepta* M[a]. *auctae* M[a]: G *aucta*.

suam coniecturam prompsit, ignarus a Nic. Heinsio occupatam esse.

Civilis rabie semet in arma trusos: rara brevitate simul Civilem accusant, simul semet ipsi excusant: nam qui *truditur*, sua voluntate nequit uti. *domesticis malis:* domus suae malis, h. e. neci fratris et suis vinculis. H. IV 13 et 32. Cf. H. I 53: *Caecina — privata vulnera rei publicae malis operire statuit.*

ni — noxii capitis poena paenitentiam fateantur: cogitant de Civile aut tradendo aut interficiendo; *poena* est ablativus instrumenti qui dicitur, suspensus ex *fateantur*. Monui propter Orellium, mire annotantem: 'nota constructionem cum ablativo, ut apud Livium 7 20: *eodem noxios crimine* atque apud eundem 4 15: *regni crimine insons*'.

Cap. 26. *Nabaliae fluminis pons:* fuit fluviolus aliquis in regione transrhenana et finibus Frisiorum, quo Civilis concesserat; v. c. 23. In chronico Hollandico versibus composito, quod seculo duodecimo scriptum esse ab auctore *Nicolao Colino* dicunt, est: *op die Brugge van die Nau-Wale.* Cf. Cannegeiter *de Breitenburgo, matribus Brittis Brittice, principia monumenta et antiquiss. Britannorum per Galliam et Germaniam sedes.* Hagae Comit. 1734; p. 3 sq.

Vitellii legatum: Hordeonium Flaccum dicit; v. H. IV 13 et 18.

erga Vespasianum — et cum privatus esset, amici vocabamur: non accurate recitavit haec Sido-

privatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cuius epistulis ad bellum actus sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderent. Quae Antonius

2. et paulo post *eplis* cum lineola M[a]. *actus* M[a]: *accitus* G. 3. *transcenderent* GM[a]: *transcenderet* tacite et imprudenter Rhenanus.

nius Epist. IV 14, cuius verba transcripta in Prooemio p. XVI annot. 1. *cuius epistulis ad bellum actus*: H. IV 13 et 32.

quae Antonius epistulis, Hordeonius praesens monebat: h. e. monebat videret Civilis *ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderent.* Est variatio verborum iam supra (H. IV 13) positorum: *eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat.* A nomine *arma* nova sententia non sine emphasi inchoatur, et sententia quidem non truncata, sed iis quae supersunt plene et absolute expressa. Vulgo distinguunt *quae monebat, arma in Germania movi.*

Nicolai Colini Batavi Chronicon, quo versibus res Civilis narrantur, hoc ipso loco desinit. Qui si vere vixit seculo duodecimo, ut refert Cannegeiter (ego ea de re vehementer dubito vel ob hanc caussam, quod opera tam antiqua in litteris Hollandicis vix reperiuntur), is, quod parum est credibile, in Italiam profectus Taciti Historiarum libros ibi (v. Prooemii c. 29) inspexit: nam in Batavis eos nancisci non potuit, ut clarum erit legenti quae scripsi in Prooemio. Colinus autem disertim testatur se ultra conventum in Nabaliae ponte nihil repperisse in libris a se consultis (*in geene delen*). Verba sunt:

zo dat te male
op die brugge van die Nau - Wale
wurt gedainget van den peyse;
waer hy sturf en op wat wegse
adel greve Glaude Schevelen,
vint ix ni in geene delen,

h. e. *eo tempore in ponte Nabaliae actum est de pace; ubi mortuus sit et quo modo nobilis comes Claudius Civilis, de eo ego* (*ix* = *ic-s*) *nihil invenio in illis partibus* (libris). Haud dubie chronici antiquitas ultra verum aucta est, idque potius ad seculum XV vel XVI referendum erit; ac sane Colinum sua hausisse potius ex Taciti exemplari typis edito quam libro scripto et in Italia lecto propius ad fidem accedit. Diversam tamen Cannegeiteri l. c. sententiam ipsius verbis transcribam: 'Nicolaus Colinus in Chronico rhythmico, quod seculo duodecimo scriptum haud ita pridem edidit Gerhardus Dumbar, praeclare nuper de Daventria patria sua meritus, Brittenburgum etiam Romanis vindicat.' — 'Tanto autem maior fides huic homini habenda, quicunque ille fuit, quanto antiquior et fide integritateque praestantior. Nihil enim se scriptis consignare dicit, nisi quod ex certis monumentis cognoverat, proscriptis reiectisque prodigiosarum fabularum monstris, quibus ceterorum Chronicorum sarcinatores nimium indulgent. Immo eo tempore vixit, quo in monasterio Egmondano exstabant prisca Bardorum carmina, quod unum apud Germanos, ut scribit Tacitus de moribus Germanorum c. II, addo etiam apud Gallos plerosque, memoriae et Annalium genus fuit. Ita namque Colinus in loco mutilato p. 252, sic tamen mutilato,

epistulis, Hordeonius Flaccus praesens monebat. Arma in Germania movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, Flavianus in Pannonia'.

1. *presens* Mª. 2. *movit* Mª: G *moui*. 3. *pan* (in versus fine) *nia* Mª: G *pannonia*.

ut illa, quam dixi, sententia perspiciatur:

en ti Barden woizen lezen,
ti nog overich haben wezen.
Minen daghen binnen Hegmonden
zolckes hab ie zo bevonden.'

ADDITAMENTVM AD H. IV 3.

IMPERIVM VESPASIANO A. 69 A CHR. DECRETVM [1].

* * * foedusve cum quibus volet facere liceat, ita uti licuit divo Augusto, Tiberio Iulio Caesari Augusto Tiberioque Claudio Caesari Augusto Germanico:

utique ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatus consulta per relationem discessionemque facere liceat, ita uti licuit divo Augusto, Tiberio Iulio Caesari Augusto, Tiberio Claudio Caesari Augusto Germanico:

utique cum ex voluntate auctoritateve, iussu mandatuve eius praesenteve eo senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, servetur, ac si e lege senatus edictus esset haberetur que:

utique, quos magistratum, potestatem, imperium curationemve cuius rei petentes senatui populoque Romano commendaverit quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur:

utique ei fines promerii proferre, promovere, cum ex re publica censebit esse, liceat ita uti licuit Tiberio Claudio Caesari Augusto Germanico:

utique, quaecunque ex usu reipublicae, maiestate divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere facere ius potestasque sit ita uti divo Augusto Tiberioque Iulio Caesari Augusto Tiberioque Claudio Caesari Augusto Germanico fuit:

1. Typis expressum est a Grutero p. 242, a Broterio in Notis et Emendationibus ad Taciti H. IV 6, qui scribit: 'Lex, quae, Vespasiano imperium capessente, lata est, aere incisa, Romae ruinis diu obruta iacuerat, cum pars eius praestantissima, quoniam in ea Sanctio contineatur' (continetur) 'effossa, primum in Ecclesia Lateranensi prope tabernaculum SS. Corporis Christi affixa est, mox in aedes Capitolinas translata, ubi nunc inter egregia antiquitatis monumenta adservatur. Quam cum ibi viderim, iuvat eam paulo accuratiorem, quam a Grutero — edita est repraesentare'.

utique quibus legibus plebeive scitis scriptum fuit, ne divus Augustus Tiberiusve Iulius Caesar Augustus Tiberiusque Claudius Caesar Augustus Germanicus tenerentur, iis legibus plebisque scitis Imperator Caesar Vespasianus solutus sit, quaeque ex quaque lege, rogatione divum Augustum Tiberiumve Iulium Caesarem Augustum Tiberiumve Claudium Caesarem Augustum Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Caesari Vespasiano Augusto facere liceat:

utique, quaecunque ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Caesare Vespasiano Augusto iussu mandatuve eius a quoque sunt, ea perinde iusta rataque sint ac si populi plebisve iussu acta essent.

Sanctio.

Si quis huiusce legis ergo adversus leges, rogationes plebisve scita senatusve consulta fecit, fecerit, sive, quod eum ex lege, rogatione plebisve scito senatusve consulto facere oportebit, non fecerit huius legis ergo, id ei ne fraudi esto neve quit ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio neve iudicatio esto, neve quis de ea re apud (se a)gi sinito.

CORNELII TACITI

OPERA.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTA ET EMENDATA
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATA

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALVS
PROFESSOR BONNENSIS.

VOLVMEN QVARTVM.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
J. G. SCHMITZ: COLONIAE. T. O. WEIGEL: LIPSIAE.

CORNELII TACITI

LIBRI MINORES

GERMANIA AGRICOLA DIALOGVS.

AD CODICES ANTIQVOS EXACTI ET EMENDATI
COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO
ILLVSTRATI

OPERA

FRANCISCI RITTERI.

ACCESSERVNT INDICES.

MDCCCXXXXVIII.

CANTABRIGIAE: J. & J. J. DEIGHTON.
LONDINI: J. W. PARKER.

IN GERMANIA VENDVNT:
J. G. SCHMITZ: COLONIAE. T. O. WEIGEL: LIPSIAE.

BONNAE, FORMIS CAROLI GEORGII.

PRAEFATIO.

In primi voluminis prooemio non solum vitam Cornelii Taciti scribendique causas et rationem exposui, sed etiam fata librorum ab ipso editorum a primordio sui usque ad nostra tempora, quantum fieri potuit, narrando persecutus sum. Ibi autem ne nimis multa iungerentur lectoresve molesta diversarum rerum varietate offunderentur, de libris scriptis et editis minorum Taciti operum quae dicenda essent, quarti voluminis praefationi reservanda duxi. Iam ad calcem laboris et alacri studio suscepti et feliciter ad finem perducti admotus, atque amplioris illius disputationis supplementum quoddam exhibiturus, primum de codicibus Germaniae et Dialogi de oratoribus, mox de scriptis libris Agricolae paucis absolvam.

I. De Germaniae et Dialogi vetere exemplari Germanico.

Nono post Christum natum seculo, cum veterum ingeniorum monumenta quae supererant in communi hominum incuria et ignorantia fere neglecta iacebant, in monasterio Fuldensi Ruodolfus monachus priorem Annalium Taciti partem lectitabat, ut in Prooemio nostro (c. 26) ostensum est. Idem vir eruditus Germaniae codicem, cui Dialogus haud dubie

adiunctus erat, manu versavit et ita adhibuit, ut quae Tacitus de Germanis in universum rettulerat, ipse de Saxonibus Germanorum populo proferret. Hoc fecit anno 863, quo scribere aggressus est *Translationem S. Alexandri*, post mortem Ruodolfi (a. 865) a Meginharto discipulo eius et amico absolutam. Quod ut melius a lectore perspiciatur, verba Ruodolfi narrationem Taciti suae accommodantis ac nomen eius reticentis infra scripta sunt, sumpta ex Pertzii *Monumentis historiae Germanicis* t. II p. 675. Ac primum ea Ruodolfus suis immiscuit quae capite quarto Germaniae scripta sunt, de moribus et institutis Saxonum haec c. 1 tradendo: *generis quoque ac nobilitatis suae providissimam curam habentes, nec facile ullis*[1] *aliarum gentium vel sibi inferiorum conubiis*[2] *infecti, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, tanquam in tanto hominum numero*[3], *idem pene omnibus.* Hinc suis verbis nonnulla de quattuor apud Saxones differentiis narrat, nobilium scilicet, liberorum, libertorum, servorum, dein (c. 2 p. 675) pergit Taciti verbis immixtis ex Germaniae capite nono: *coluerunt enim eos, qui natura non erant dii: inter quos maxime Mercurium venerabantur, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare consueverant. Deos suos neque templis includere neque ullae*[4]

1. *nec — ullis:* reddit Ruodolfus Tacitinum *nullis.* Apud Massmannum (*C. Cornelii Taciti de origine moribus ac situ Germanorum libellus* p. 224) *aliis* pro *ullis* perperam expressum est. Idem aberrat, cum *Meginharto* haec ex Tacito excerpta attribuit p. 220—233: nam Meginhartus posteriorem partem Translationis S. Alexandri scripsit, non principium.

2. *conubiis:* in Germanico Taciti exemplari *cōnubiis* videtur fuisse; hinc Ruodolfus *conubiis,* Pontanus *connubiis* expressit. Apud Massmannum *connubiis* in contextu verborum Ruodolfi non accurate scriptum est p. 224.

3. Apud Tacitum est *quamquam in tanto hominum numero,* Ruodolfi aberratione et assimilandi inclinatione (*tan-quam tan-to*) mutatum. Massmannus vitio typographico, opinor, p. 224 exhibuit *tanquam in tanto numero hominum.*

4. *ullae:* hoc pro *ulli* inscientiae Ruodolfi tribuendum; mox tamen recte excerpsit *nec ulli auspicio maior fides:* nam *auspicii,* ut est apud Massmannum, ab huius errore profectum.

humani oris speciei adsimilare[1] *ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos ac nemora consecrantes deorumque nominibus appellantes secretum illud sola reverentia contemplabantur. Auspicia*[2] *et sortes quam maxime*[3] *observabant. Sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito*[4] *spargebant. Mox, si publica*[5] *consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse paterfamilias*[6] *precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tulit, sublatosque secundum inpressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die*[7] *consultatio: si permissum est, eventuum*[8] *adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare proprium gentis illius erat; equorum quoque praesagia ac monitus experiri, hinnitusque ac fremitus observare; nec ulli*

1. Scriptura haec memorabilis indicio est in exemplari Germanico assimilationem non ita valuisse, ut in libris inde seculo quintodecimo in Italia descriptis. Conferatur quod mox sequitur *inpressam*.

2. *auspicia et sortes*: haec ex decimo capite Germaniae excerpta sunt. Ibi nos legimus *auspicia sortesque*, idque immutatum Ruodolfus stilo suo accommodavit.

3. *quam maxime:* Taciti locutionem *ut qui maxime* tamquam minus solitam et suis lectoribus obscuram Ruodolfus vitavit ac magis vulgarem substituit.

4. *fortuito:* in hac forma Ruodolfus plane consentit cum Pontano et melioribus Germaniae libris: codex Vaticanus 2964, Kappianus, Monacensis *fortuitu* offerunt.

5. *si publica consultatio fuit:* Taciti verba *si publice consuletur* ad praeteritum tempus transformaturus haec scribere maluit quam *si publice consulebatur*, voculam *publice* tamquam non satis dilucidam suae aetatis lectoribus evitando.

6. *paterfamilias*: in nostris codicibus excepto Vindobonensi est *pater familiae:* id Ruodolfus in formam sibi magis familiarem videtur convertisse.

7. *ipsa die:* hoc Ruodolfo videtur valere *eodem die.* Devitavit Tacitinum *in eundem diem* ut minus solitum.

8. *eventuum:* mirum videatur hoc vocabulum successisse in locum Tacitini *auspiciorum:* sed Ruodolfus haud dubie illud elegit ut suis lectoribus magis dilucidum, atque exprimere voluit quod Galli dicunt *evénemens*, nos (*bedeutungsvolle*) *Begegnisse.* Ante tamen et paulo post *auspiciorum* nomen ipse non vitavit: nunc vocem magis generalem anquisivit. Non vere dicit Massmannus hoc *eventuum* sumptum esse ex eo quod sub finem capitis a Tacito positum est, *qua gravium bellorum eventus explorant:* nam ibi huius nominis alia prorsus est significatio.

auspicio maior fides non solum apud plebem, sed etiam apud proceres habebatur. Erat et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorare solebant: eius quippe gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committere et victoriam huius vel illius pro iudicio [1] *habere. Quomodo* [2] *autem certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur, agendis rebus auspicatissimum initium crediderint, et alia innumera vanarum superstitionum genera, quibus implicati sunt, observaverint, praetereo.*

Ille Germaniae codex antiquus inde a Ruodolfi temporibus per plura secula non memoratur atque altum de eo silentium est usque ad annum 1460: nam quae monachus Hersfeldensis quidam de *volumine Taciti* in Germaniae monasterio ad amicum Poggium aliquanto ante annum 1425 detulit, haec accipienda esse de priore Annalium parte apud Fuldenses perinde asservata (v. Prooem. p. XXXVII) in Prooemii capite 27 p. XLI expositum est. Sed paulo ante annum 1460 in Italiam allatus est codex, in quo erat Taciti Germania, Dialogus, Suetonii de viris illustribus libellus. Hoc accepimus ex inscriptione codicis Perizoniani sive Leidensis nuper in lucem protracti, quae sic habet in altera primi folii pagina:

Hoſ libelloſ Iouianuſ pontanuſ excripſit nuper adinuẽtoſ et in lucẽ relatoſ ab Enoc aſculano quãquã ſatiſ mendoſoſ.	*M. CCCC. LX martio m̃ſe .ʗ.*

De origine et patria exemplaris a Pontano descripti haec idem in altera pagina folii 47, ubi incipit Suetonii libellus, rubro colore ad marginem notavit:

C. Suetoniuſ ſcripſit de uiriſ illuſtribuſ. cuiuſ exemplũ

1. *pro iudicio:* Tacitus habet *pro praeiudicio*, sed Ruodolfus recordatus aetatis mediae *iudicia dei* formam *iudicio* tamquam lectoribus suis magis familiarem praetulit.

2. *quomodo*: hinc ex Germaniae capite undecimo excerpsit, sed pauca inde sumpsit et satiatus iis quae transcripserat sua verba ponere pergit.

secutus hieronymus ipse q^uq3 libellū de scriptoribus christianis edidit. Nup etiā Bartholomeus facius familiaris noster de uiris illustribus temporis sui libros composuit. qui ne hos Suetonii illustres uiros uidere posset mors immatura effecit. paulo enim post eius mortē in lucē redierē cum multos annos desiderati a doctis hominibus essent. Temporibus enim Nicol. quinti (is vita concessit 1455) *pōtificis maximi Enoc Esculanus in Galliam et inde in Germaniam profectus conquirendorum librorum gratia hos quāquā mendosos et imperfectos ad nos retulit* [1].

In Germaniae monasterio Fuldensi codicem Germaniae Tacitinae nono seculo deprehendimus, ex eadem terra quintodecimo seculo Germaniae codex in Italiam ab Enoc Asculano delatus est, unde omnes quotquot extant scripti libri Germaniae et Dialogi descendunt, dum ipse ex oculis hominum evanuit. Accedit quod lectiones ex Ruodolfi reliquiis cognitae, exceptis nonnullis quas ille pro suo consilio mutare debuit aut voluit paucisque inscientiae culpa ab eodem inflexis, cum scriptura apographi ex codice Germanico a Pontano facti optime consentiunt. Quae cum ita sint, vix dubitandum videtur, quin exemplar, quod Ruodolfus sua aetate excerpsit, idem sit atque illud quod ab Enoc Asculano paulo ante annum 1460 in Italiam allatum esse accepimus.

II. De codice Perizoniano.

Ex duabus admonitionibus Pontani manu codici Perizoniano adiectis, quarum exemplum supra scriptum est, duae res ad notitiam nostram pervenerunt. Nimirum cum exemplar Germanicum in Italiam delatum est, hoc unicum fuit in orbe terrarum, quo Germania et Dialogus exhibebantur; tum qui primus ex thesauro nuper *adinvento* novum codicem sua manu accurate descripsit, fuit Iovianus Pontanus, a. 1426 in Umbria natus, Neapoli ab Antonio Panormitano educatus, qui

1. Reliqua de Suetonio a Pontano dicta omitto. Annotationi subscriptum est IOV. PONTANVS. VMBER *excripsit:*

postquam in variis et splendidis muneribus cum laude versatus et poëta ac rerum scriptor editis libris cognitus est, anno 1503 vitam finivit. Hoc ipsum codici Perizoniano prae omnibus Germaniae et Dialogi codicibus, qui nunc circumferuntur, primum locum vindicat. Accedit aliud. Scilicet ceteri codices, excepto Vaticano 1862, non ex libro Germanico vetere et nunc deperdito sed ex Pontani exemplari hausti sunt omnes. Pontanus enim verba capitis vicesimi quinti in Germania (*liberti — argumentum sunt*) non hoc loco repperit in libro Germanico, sed aliquanto post in fine capitis vicesimi sexti falso collocata offendit. Ipse ordinem exemplaris sui secutus est, sed mox animadvertit illam de libertis narrationem loco non apto positam esse ac pertinere ad finem capitis 25. Hinc ea alio tempore (id patet ex dilutiore atramento) ascripsit in inferiore margine verborum capitis 25 cum admonitione 'in hoc loco potius'. Iam eo loco, in quem transtulit illa Pontanus, omnes ceteri codices haec verba scripta habent, unus Vaticanus 1862 post finem capitis 26 sine ulla annotatione offert. Hinc clarum est praeter codicem Perizonianum unum Vaticanum illum ex vetere exemplari Germanico [1], ceteros ex Pontani libro natos esse. Idem ex scripturae discrepantiis librorum scriptorum, quotquot nunc extant, inter se collatis intelligitur. Ob hanc causam codicem Perizonianum (P) in Germania fere unice secutus sum, in Dialogo hunc et Farnesianum (F) adhibui. Farnesiano in Dialogo partes concessi, non quo putarem peregregium esse codicem [2], sed ut planum fieret quantum Perizonianus vulgaribus codicibus praestet. Neque aliter iudicandum erit pro-

1. Hinc Germ. c. 9 ambo consentiunt in scripturam memorabilem *Martem concessis animalibus placant et Herculem*, dum ceteri manum interpolatoris experti praebent *Herculem ac Martem concessis animalibus placant*. Scilicet hoc prave correctum est in exemplo aliquo ex Pontani libro descripto et propagatum in ceteros codices recentiores.

2. Ad eam opinionem sine sua culpa inductus est Lipsius: nam prae contextu verborum tunc vulgato (Puteolani) codex Farnesianus plane egregius erat et Lipsium in corrigendo Dialogo multum adiuvare poterat.

pterea quod Farnesianus in nonnullis locis veriorem scripturam praebet, Perizonianus falsam offert: ii enim et pauci sunt et tales in quibus Italorum manus corrigendo verum restituerunt [1].

De externa forma codicis Perizoniani haec notanda. Est membraneus, forma fere quadrata, in singulis paginis 22 versus complexus, luculente scriptus, multis compendiis expressus. Libri folia sunt 59, quorum 29 (fol. 2 A—30 A) Dialogum scriptum exhibent, proxima 17 (fol. 31 A—47 A) Germaniam continent, reliqua (fol. 47 A—59 B) Suetonii de viris illustribus libellum. Tam supra versus in contextu quam in margine plura emendata sunt et notata, quae partim eodem atramento et ab eadem manu, partim ab alia manu [2] et dilutiore atramento scripta sunt. Qua via in manus Iacobi Perizonii codex a Pontano scriptus pervenerit incertum est; Perizonius et hunc librum et alios Leidensi bibliothecae legavit. Ibi nota signatur 'XVIII Periz. C. 21'. Schedula in infimo folio 1 agglutinata typis expressum habet 'Ex legato Viri Clariff. Iacobi Perisonii'.

Codicem Perizonianum primus adhibuit et doctis hominibus notum fecit Lud. Tross in opusculo cui fecit indicem: *C Cornelii Taciti de origine, situ, moribus ac populis Germanorum libellus. Ad fidem codicis Perizoniani, nunquam adhuc collati, edidit et notas adiecit Ludovicus Tross. Accesserunt Dialogus de oratoribus et Suetonii de viris illustribus libellus, ad eundem codicem accurate expressi. Hammonae MDCCCXLI. 8.* Trossii opera cum hominum doctorum de-

1. Codex Farnesianus nunc est Neapolitanus Bibl. Reg. IV c. 21, membraneus. Continet alteram Annalium partem, Historias, Dialogum, Germaniam, Suetonii de Grammaticis et Rhetoribus libellum. Scripturas inde notatas sumpsi ex Lipsii commentario, tum ex Bekkeri, Waltheri annotatione, postremum ex Schrautii copiis quas evulgavit P. Petersen: *Annotationum in Cornelium Tacitum specimen alterum.* Confluentibus 1835. 4. Bekkerus sua Niebuhrio, Waltherus Schluttigio debet. Ad Germaniam varias scripturas diligenter enotavit Massmannus.

2. Massmanno iudice (l. c. pag. 9) omnia eadem manu correcta sunt et annotata: ego secundam manum in pluribus locis luculente agnoscere mihi visus sum.

sideriis et expectationi parum respondisset, ego Germaniam et Dialogum de integro ad codicem Leidensem exegi a. 1842, Massmannus Germaniam ex eodem libro totam descripsit, retentis notis et compendiis in exemplari Leidensi repertis. Massmannus operae suae admodum laboriosae copiam hominibus litteratis fecit in libro nuper edito: *C. Cornelii Taciti de origine moribus ac situ Germanorum libellus. Omnium codicum hucusque cognitorum lectione accuratissime subinnotata* (sic) *nec non de libelli fatis et codice ceterorum omnium fonte quaestione addita. Cura Ioannis Ferd. Massmann, Berolinensis. Quedlinburgae et Lipsiae. Typis ac sumptibus Godofr. Bassi.* MDCCCXLVII. 8. Curae a me in conferendo codice P positae verum exemplum nunc in lucem prodit: nam quod paulo ante publicavit Caspar Orellius (*C. Cornelii Taciti opera quae supersunt. Vol. II. Turici M.DCCC.XLVIII*), id neque plene neque accurate expressum est [1]. In Germania meae notationes in plerisque omnibus cum Massmannianis consentiunt. Massmannus scripturae compendia libri scripti rara diligentia reddidit: ego ex eo genere pauca delibavi, potissimum ea quae ad lectionem rite constituendam aliquod momentum habere videbantur. In libro P paucis exceptis assimilatio dominatur, a Pontano fortasse plerumque illata. Ego constantiae causa assimilationem non admisi in iis praepositionibus, in quibus eam constanter vitari a libris Mediceis in maioribus Taciti operibus animadverti. Conf. Prooemium p. LIII sqq. Idem rationis in Agricola secutus sum. Post haec quae de virtute et indole codicis Perizoniani disputata sunt, ceteros Germaniae et Dialogi libros scriptos persequi et describere a meo proposito alienum est. Diligenter et copiose nostris die-

1. Res haec est. Discrepantias scripturae a me ex codice P in exemplar editionis Trossianae transcriptas Böckingius, collega meus et amicus, me permittente in marginem eiusdem editionis ad Orellium mittendae transtulit. Sed in his exprimendis cum varie peccaverit Orellius, lectores monendi sunt ne varietati lectionis ex codice P ab illo excerptae nimiam fidem habeant. Ego graviores aliquot errores Orellii, veluti Germ. c. 9, in annotatione critica notavi: omnes perstringere nolui.

bus de iis expositum est a Tagmanno et Massmanno, ab hoc in editione Germaniae p. 1—22, ab illo in commentatione: *de Taciti Germaniae apparatu critico. Scripsit Robertus Tagmann.* Vratislaviae MDCCCXLVII. 8.

Sed quoniam codices illi recentiores passim memorantur in commentariis criticorum, nomina eorum huc conferre visum est.

A. Arundelianus, a Iacobo et Abrahamo Gronovio olim inspectus et collatus (vide edit. Gronovianam a. 1721 t. II p. 576—578), nunc evanidus.

B. Bambergensis, h. e. nonnullae Germaniae plagulae recenti manu scriptae et iam non cognitae.

F. Farnesianus.

Fl. Florentinus et quidem Laurentianus plutei 73 codex 20.

H. Hummelianus.

K. Kappianus.

L. Londinensis musei Britannici.

M. Monacensis.

Δ (Massmanno R). Vaticanus n. 4498.

Ra. Vaticanus 1862.

Rb. Vaticanus Urb. 655.

Rc. Vaticanus 1518.

Rd. Vaticanus 2964.

Re. Vaticanus Palat. 1795.

Rf. Romanus Angelicae bibliothecae Augustinorum.

S. Stuttgardiensis.

T. Turicensis.

V. Venetus sive Marcianus.

W. Vindobonensis.

Ad hos libros a Massmanno diligenter descriptos et collatos accedit Germaniae codex bibliothecae Phillippicae

in Middlehill, Dialogi Parisiensis olim (anno 1580) a Pithoeo inspectus, nuper collatus ab Eggero a. 1836 in Diurnis Antiquitatis studiorum Darmstad. p. 337—349.

III. De Agricolae codicibus.

Cum anno 1470 aerae Christianae Taciti scripta typis consignata Venetiis primum prodiere (v. Prooem. p. LVI), non modo Annalium maior pars sed etiam vita Iulii Agricolae defuit. Verum tunc et virtus auctoris et operis truncati species viros litterarum curiosos et antiquitatis amantes ad investigandum impulit. Ac mox aut in Italiae solo repertus aut eo ab exteris allatus est liber scriptus, quo vita Agricolae continebatur, Taciti operum augmentum plane egregium. Et ipse quidem post brevem vitam interiit atque ex oculis virorum doctorum evanuit, sed prolem reliquit qua monumentum ingenii aere perennius tuto ad posteritatem pervenit. Nam seculo quintodecimo ad finem vergente quattuor codices inde descripti sunt.

Exemplarium tunc confectorum primum locum sibi potest vindicare [1] liber Γ, h. e. codex chartaceus Vaticanus n. 3429, scriptus a Pomponio Laeto, viro in litteris egregie versato, qui in urbe Roma a. 1497 mortem obiit. In ipso notatum legitur: *Cornelio Tacito della Vita d'Agricola, scritto di mano di Pomponio Laeto, ligato dietro al Tacito stampato. Ful. Urs.* Quippe illud Vaticanae bibliothecae exemplar continet principem Taciti editionem, quam Pomponius ascripta Agricolae vita ditavit. Ad marginem codicis Γ voces vel syllabae, partim comitante nota *Al'* partim sine eiusmodi admonitione, adiectae sunt. Haec non sunt tentamenta ipsius Pomponii, qui suas coniecturas apposito verbo *puto* designavit, sed discrepantes scripturae ex alio libro petitae atque,

1. Conf. *Caroli Wex Prolegomenon in Taciti Agricolam cap. I. III.* Suerini 1845. 4. Wexius Agricolam ipse propediem editurus est.

ut videtur, iam in antiquo exemplari notatae: nam duos veteres libros Pomponio ad manum fuisse vix credendum videtur. In ipso scripturae contextu voces quaedam vel litterae punctis subnotatae et ad delendum consignatae sunt. Tam notatis litteris quam nonnullis quae notam non habent aliae litterae superscriptae inveniuntur. His Pomponius aut errores a se in scribendo commissos aut aperta codicis vitia corrigere tentavit. Antiquum vitium ille repetivit c. 7 *inter praeturam quaesturam ac tribunatum,* sed mox animadvertit *praeturam* perperam adesse punctisque suppositis vocem supervacuam delendam designavit. Hoc mendum e vetere illo codice propagatum esse hinc colligo, quod idem a Puteolano toleratum esse video [1]. Idem Pomponius c. 10 auctorem veterem secutus scripsit *itaque*, sed paulo post intelligens *que* esse pro *quę* (=quae), illud punctis notavit et *quę* superposuit. Ibi in vetere codice fuisse puto *ita que* leni macula aspersa pro *ita quę*: hinc scriba codicis statim memorandi (Δ) recte dedit *ita quae*, Pomponius $\overset{quę}{\underset{\cdots}{itaque}}$, Puteolanus falso explevit *itaque quae.* Alia vocabula perperam repetita et a Pomponio punctis notata, quae neque apud Puteolanum neque in libro Δ reperta sunt, errores a Pomponio et admissi et correcti videntur esse, veluti c. 19 *per aliena (exempla) experimenta*, 22 *moras (eruptionis) obsidionis*, 23 *propior sinus (sinus) tenebatur*, 26 *irru(m)pere*, 29 *praedata(m)*, 32 *diutius (seruos) hostes quam seruos*, 36 *ictus ferire (ictus).*

Codice Γ primum usus est Broterius, tum Dronkius in duabus Agricolae editionibus Confluent. 1824, Fuldae 1844, instructus collatione a Maggioranio parata. Plenius et accuratius idem nuper collatus est in usum Wexii. Wexius lectiones eius evulgavit in programmate ante (p. XIV) laudato.

1. Wexius l. c. pag. 8 Puteolanum ipso codice Γ usum esse et notam a Pomponio adhibitam non intellexisse dicit. Sed hoc signum apud Italos seculo quintodecimo admodum frequens Puteolanum, hominem in legendis libris antiquis multum et diu versatum, fallere non potuisset.

Ex eodem vetere codice, quem excripsit Pomponius, descendit *Δ*, h. e. codex Vaticanus n. 4498, membraneus, sub finem seculi quintidecimi [1] nitide scriptus. Insunt ibi: *Frontinus de aquaeduct.* (fol. 1 A); *Rufus de prouinciis* (fol. 20 B); *Suetonius de grammaticis et rhetoribus* (36 A); Pseudo-*Plinius de uiris illustribus* (45 B); *Taciti agricola* (63 B); *Taciti dialogus de oratoribus* (78 A); *Taciti Germania* (97 B); *M. Junii Nypsi de Mensuris* (109 B); *Incerti de ponderibus* (111 A); *Senecae ἀποκολοκύντωσις* (112 B), *Censorinus de die natali* (119 A—145). Hunc librum ex eodem fonte derivatum esse, unde *Γ* ad nos pervenit, hinc intelligitur quod in omnibus gravioris momenti scripturis vitiisque ambo consentiunt, ea autem in quibus a se discedunt maximam partem a scriba codicis *Δ*, non satis attento animo ad negotium incumbente, peccata sunt. Alia discrepantiae causa haec fuit. Qui scripsit codicem *Δ*, is nonnullas lectiones in margine exemplaris antiqui notatas in contextum verborum recepit, dum Pomponius auctorem veterem pressius secutus easdem in marginem libri *Γ* amandavit. Sic c. 9 pro *egregiae* *Γ* in contextu operis praebet *graeciae*, in margine *gratae*, sed *Δ* *gratae* in contextu habet, coniecturam pravam et in antiquo exemplari haud dubie in margine positam, a scriba codicis *Δ* adoptatam: nimirum aliquem loci sensum praeferre voluit lectioni haud dubie corruptae et omni sensu destitutae. Eandem viam meliore successu ingressus est c. 13, ubi *praeceptum*, a Pomponio in margine libri *Γ* (ex vetere exemplari) collocatum, pro corrupto illo *praecipue* adoptavit: nam illud verius esse etiam homo parum eruditus odorari potuit. Contra c. 39 pro exquisito *ut Domitiano moris erat* ex margine veteris exemplaris, ubi fuit *ut erat Domitianus* (hoc ex *Γ* cognoscitur qui notavit in margine *Al' ut erat Domitianus* [2]),

1. Quod Wexius dicit p. 2, hunc librum *ineunte saeculo XV scriptum esse*, non verum est: quippe continet Germaniam et Dialogum de oratoribus, opuscula in Italiam demum paulo ante annum 1460 allata.

2. Hanc discrepantiae formam Wexius p. 5 attulit: Dronkius inde communicavit *ut erat Domitiano moris.* Illud haud dubie fide dignius, et hinc corrigenda notatio critica mea t. IV p. 143.

captus facilitate lectionis dedit *ut Domitianus erat*, mediam inter contextum et marginem viam ingressus. Multis in locis oscitantiae culpa et inscientiae vitio peccavit. Ita c. 45 in verbis *noster hic dolor*, *nostrum vulnus*, *nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est* pro voce *longae* posuit *nostrae*, cum ex praegressis in auribus eius *noster* et *nostrum* nimis inhaesissent [1]. Perinde aberravit c. 6, ubi *medio luxuriae* pro *medio rationis*, ut erat in vetere exemplari, suppeditavit, nomine *luxuriae* ex versu subsequente imprudenter praecepto. Leviora eiusdem libri vitia, maximam partem in critica annotatione memorata, nunc persequi nihil attinet.

Codicem Δ primus adhibuit, sed pauca inde communicavit Broterius. Dein in Vaticana delituit et iam deperditus credebatur, sed ante aliquot annos Iacobus Clemens, philosophiae doctor in universitate Bonnensi, rogatu suo librum illum ex bibliothecae Vaticanae scriniis excitavit et in usum Dronkii contulit. Dronkius haec enotata prompsit in Agricolae editione Fuldensi a. 1844. Pleniorum collationem adeptus est Wexius et maximam partem publicavit in programmate saepius memorato.

Tertius codex ex vetere exemplari detortus olim fuit Fulvii Ursini [2]. Inde nonnullae lectiones discrepantes afferuntur in Ursini notis ad Tacitum in libro qui inscribitur: *Fragmenta veterum historicorum collecta ab Antonio Augustino, emendata a Fulvio Ursino.* Antv. 1595. 8. Tertius hic auctor in plerisque consentit cum ΓΔ aut alterutro eorum aut cum margine codicis Γ, atque inde de eadem huius libri origine argumentum peti potest. Unum offert memorabile. Scilicet c. 44 ante verba *durare in hac beatissimi seculi luce* inserit *magnae cuiusdam felicitatis esse*, glossam manifestam et in nullo alio monumento repertam. Hanc igitur is qui

1. Nimium, ut mihi videtur, huic aberrationi tribuit et confidit Wexius p. 6.


2. Hunc librum iam deperditum vere olim extitisse probavit Wexius p. 6 sq.

codicem scripsit ipse concinnavit aut ex veteris exemplaris margine recepit. Hoc alterum si accidit, Pomponius Laetus non omnia in margine veteris libri notata repetivit.

Quartum exemplar ex vetusto illo sibi paravit Franciscus Puteolanus, cum anno 1476 aut circa id tempus (cf. Prooem. p. LVII) Taciti Agricolam in hominum notitiam adductum Mediolani typis exprimere aggressus est in opere: *Plinii Secundi et aliorum Panegyrici. Acced. Agricolae vita per Cornelium Tacitum, et Petronii Arbitri satyrici fragmentum.* Qui hoc exemplum confecit, vitia et multa et varia commisit (cf. Wexii commentatio p. 8—10), sive nimis properanter scripsit sive ad veteris exemplaris ductus non satis animum attendit. Puteolanus tamen nonnulla rectius exhibuit quam codicum *Γ* et *Δ* scriptores, veluti c. 9 *egregiae* pro corruptis *graeciae* et *gratae*, ut est in *Γ* et *Δ*, c. 13 *Domitae gentes* pro *Domitiae gentis*, c. 18 *patrius* pro *prius*, c. 19 *iniuriae* pro *incuriae*, c. 26 *his ut tulisse* pro *his intulisse.* Eodem ego referendum puto c. 3 *felicitatem imperii* pro *felicitatem temporum.* Haec a Puteolano per coniecturam restituta esse, quae Wexii sententia est (p. 10), mihi vix probabile videtur, cum considero quam incuriose ac malo successu in minoribus Taciti libris ille rem gesserit, sed potius eos in vetusto libro ductus fuisse puto, qui Puteolanum aut scribam eius ad verum perducerent. Wexius illud statuere coactus est, quod Puteolanum ipso codice *Γ* usum esse credidit. Sed hoc secus esse duo loci prae ceteris luculente ostendunt. Primus est c. 18 *cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur*, ubi *Γ* falsam scripturam *uterentur* exhibet, Puteolanus cum libro *Δ* veram *verterentur.* Item in verbis c. 35 *(ita ut primum agmen in aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent)* verum et exquisitum *connexi* Puteolanus cum *Δ* servavit, *Γ* *conuexi* praebuit. Utrobique codicis *Γ* scriptura sic comparata est, ut emendandi necessitas nonnisi a critico admodum attento cognoscatur. Puteolanus, qui multo corruptiora patienter toleravit, in his vitium subesse vix ac ne vix quidem perspecturus erat, nisi

ipsius exemplaris auxilio ad verum adductus esset. Atque hoc re vera accidisse ostendit consensus codicis Δ. Nimirum tam scriba libri Δ quam qui Puteolani typothetis exemplar confecit in vetusto codice *verterentur* et *connexi* agnoverunt, Pomponius Laetus *uterentur* et *conuexi* perperam inde excripsit. Puteolanus postquam Agricolam cum panegyricis in lucem emisit, eundem in omnium Taciti operum editione (cf. Prooem. p. LVII) typis expressum repetivit. Priorem eius curam aliquoties π 1, posteriorem π 2 Wexii exemplo notavi.

Haec mea de scriptorum Agricolae librorum origine et ratione sententia est: aliam de eorundem cognatione opinionem proposuit Wexius et hac figura repraesentavit:



In hac figura A est codex archetypus, B et Y sunt exemplaria inde descripta et nunc deperdita (Y codex Ursini) D et C item libri deperditi et ex B ducti. M est margo codicis Γ, π editus a Puteolano Agricola.

IV. De indicibus.

Indicem historicum a Pichena inchoatum, ab insequentibus editoribus auctum varie non tantum complere et ad usum reddere habiliorem studui, sed eundem a vitiis, quibus editorum incuria inquinatus erat plurimis, perpurgavi, multa aliena quae sinistra Rupertii diligentia intulerat, removi. Verborum indicem a Beato Rhenano coeptum, a successoribus ampliatum iustis legentium desideriis minime suffecturum esse praevidebam ideoque non admittendum existimabam. Quippe in tam gravi scriptore opus est lexico peculiari, idque con-

ficiendum in se suscepit Ecksteinius Halensis. Qui si fidem olim datam non expleverit, id quod ego neque spero neque opto, ipse eiusmodi operi manum admovebo. Quae in commentario meo alicuius momenti esse videbantur, in indice annotationis collecta sunt et indicata. In eo conficiendo bonae spei iuvenis, Ioannes Andreas Hesse, plurimum me adiuvit.

Scribebam Bonnae ad Rhenum sub finem mensis Septembris a. 1848.

CORNELII TACITI
DE ORIGINE SITV MORIBVS AC POPVLIS GERMANORVM
LIBER.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—27: de Germaniae situ et omnium Germanorum origine et moribus. Germaniae fines; populi circumiecti et Oceanus (1). Ipsi Germani indigenae minimeque aliarum gentium adventibus hospitiisque mixti; cuius rei argumenta tria, primum quod non terra olim sed classibus advehebantur qui novas sedes quaerebant, Oceanus autem raris ab orbe nostro navibus aditur, alterum quod Germaniae solum caelumque allicere et tenere non potest nisi qui ibi nati sunt; idem etiam carminibus antiquis Germanorum traditur. Germaniae vocabulum recens et nuper additum (2). Alia de primordiis Germanorum (3). Auctor libri eorum opinionibus accedit, qui Germaniae populos nullis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Habitus corporum idem omnibus (4). Terra in universum aut silvis horrida aut paludibus foeda. Multa ibi pecora, sed improcera; etiam armentis suus honor deest. Argentum et aurum di negaverunt; proximi tamen ripae formas quasdam Romanae pecuniae agnoscunt et eligunt (5). Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt pedites equitesque, pedites et missilia spargunt. In pedite robur. Centeni pedestris militiae genus cum equitibus simul proeliantium (6). Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Pugnandi consuetudo. Pugnantibus in proximo pignora, uxores et liberi (7—8). Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanas hostias offerunt, Martem concessis animalibus placant, pars Suevorum etiam Isidi (Erthae) sacrificat. Nulla deorum simulacra et templa (9). Auspicia et sortes diligenter observant (10). De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes. Coëundi et consultandi modus (11). Licet apud concilium ac-

cusare et discrimen capitis intendere. Poenarum distinctio. Eliguntur ibidem principes qui iura per pagos vicosque reddunt (12). Omnia agunt in armis; arma sumit quem civitas suffecturum probavit. Nobiles et principum comites (13). Aemulatio principis et comitatus in acie, vivendi genus in pace (14—15). Urbes nullae in Germania; colunt discreti aut vicos locant non connexis et cohaerentibus aedificiis: solent etiam subterraneos specus aperire (16). Tegumen omnibus sagum, locupletissimi stricta veste distinguuntur, mulieres saepius lineis amictibus velantur (17). Severa ibi matrimonia. Caste vivunt uxores et virgines (18—19). Liberorum educatio, lex successionis (20). Inimicitias aut amicitia, patris suscipere necesse est, sed illae non implacabiles durant. Convictibus et hospitiis effuse indulgent (21). Vitae quotidianae forma et consuetudo (22). Potus et cibi; ad ebrietatem inclinant (23). Genus spectaculorum in omni coetu idem. Aleam exercendi rara temeritas (24). Servorum conditio, liberti non multum supra servos (25). Fenus agitare ignotum. Sedes figendi modus: agri pro numero cultorum ab universis in vicos occupantur, quos mox inter se secundum dignationem (in singulis vicis) partiuntur. Arva per annos mutant (26). Funerum nulla ambitio (27).

Cap. 28—46: singularum gentium instituta et ritus. Quae nationes e Gallia in Germaniam, e Germania ad Gallos commigraverint. Germanicae stirpis Treviri et Nervii, item Vangiones, Triboci, Nemetes ad ripam Rheni. Ubii quamquam libentius Agrippinenses vocantur, Germanica origine non erubescunt (28). Harum gentium virtute praecipui Batavi, Rheni insulam colentes, ex Chattis orti, fidi Romanis et exempti oneribus imperii. In eodem obsequio Mattiacorum gens ultra Rhenum. Agri decumates (29). Ultra hos Chatti agunt, populus inter Germanos corpore et animo egregius. Votivus apud eos obligatusque virtuti oris habitus (30—31). Proximi Chattis Usipii ac Tencteri; Tencteri equestris disciplinae arte praecellunt (32). Iuxta Tencteros Bructeri olim, nunc Chamavi et Angrivarii (33). Dulgibini et Chasuarii, Frisii (34). In septentrionem Germania ingenti flexu (chersonesi Cimbricae) redit. Chauci a Frisiis incipiunt et usque in Chattos sinuantur, ob iustitiam et fortitudinem iuxta laudati (35). In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci, olim ingenti bellorum gloria, nunc Chattis victoribus obedientes, item Fosi (36). Eundem Germaniae sinum (septentrionalem) proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed clara rebus olim gestis. Per eam occasionem de bellis Romanorum adversus Germanos et multis in vicem cladibus (37). Hi populi extra corpus Suevorum in Germania. Sed maiorem Germaniae partem Suevi obtinent, propriis nationibus et nominibus discreti. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere (38). Vetustissimi et nobilissimi Suevorum Semnones. Centum pagis habitant, magnoque corpore efficitur ut se Suevorum caput credant (39). Langobardos paucitas nobilitat. His

septentrionem versus proximi septem populi qui in commune Ertham, i. e. Terram matrem, colunt; eius deae vehiculum (navigium) veste contectum in insula Oceani (40). Ad Danubium Hermundurorum civitas amica Romanis (41). Iuxta Hermunduros Varisti, dein Marcomani et Quadi (42), retro Marsigni, Gotini, Osi, Buri. Ultra continuum montium iugum, quo Suevia scinditur, Lygiorum nomen, trans Lygios Gothones regio imperio subiecti (43). Suionum civitates ipso in Oceano praeter viros armaque classibus valent. Unus imperitat, nullis iam exceptionibus; arma clausa sub custode, et quidem servo, ob regiam utilitatem (44). Trans Suionas aliud mare, pigrum et prope immotum. Ibi cingitur clauditurque terrarum orbis. Dextro Suevici maris litore Aestiorum gentes alluuntur. Succinum inter vada et in litore legunt; de eius natura et origine. In fine Sueviae Sitones, apud quos femina dominatur (45). Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribendae sint dubium. Fennis mira feritas, foeda paupertas, sed rem difficilem asseculi sunt, ut ipsis ne voto quidem opus sit (46).

1 Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibus-

CORNELII. TACITI. DE ORIGINE. SITU. MORIBUS AC POPULIS. GERMANORUM LIBER. INCIPIT. P. 1. *rhetiisque* P, alii *rhaetiisque* aut *retiisque: Rhaetis* auctore Cellario (Geogr. Ant. I. 2. c. 8) Ernestius, quod nomen rectius scribitur *Raetis.* 2. *danubio* et paulo post *Danubius* P cum plerisque. *motuo* superscr. *v* P. 3. *coetera* et sic ubique P.

Cap. 1. *Germania omnis:* Caesar Gallici belli historiam dum incipit *Gallia est omnis divisa in partes tris,* universam Galliae terram provinciae Galliae tacite opposuit. Perinde Tacitus addito nomine *omnis* se loqui significavit de Germania proprie dicta, non de duabus Germaniis Romanorum provinciis in Gallica ripa Rheni sitis.

mutuo metu aut montibus: ubi montes non assunt, neque Germani neque Sarmatae traditos antiquitus fines egredi audent, metuentes ne bello confligentur. Is est *mutuus metus*, Thucydidis τὸ ἀντίπαλον δέος (III 11). Montes de quibus loquitur h. l. Tacitus, sunt Carpatici. Sarmatarum per Europam sedes inter Vistulam et Tanaim. Conf. Ptolemaeus III 1 §. 2 et 10.

latos sinus — complectens : sinus dicit terrarum loca Oceano finitima in eumque procurrentia (*Länderstreifen*) et intelligit terras Danorum imperio nunc subiectas, nominatim *Holstein, Schleswig, Jütland.* Insulas cogitavit Danicas, quibus nomen *Seeland, Fünen*, etiam Suediae et Norvagiae terras quas insulas esse Romani crediderunt. Conf. c. 29: *sinus imperii* (h. e. extrema pars

dam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus

1. *rheticarum* P. 2. *ī accesso* P. 3. *flexu occidentem* editor: *flexu occidentem* superscr. a Pontano *in* P, *flexu in occidentem* vulgo. 4. *Arbonae* P cum plerisque.

imperii Romani) *et pars provinciae habentur;* 37: *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent.* IV 5: *quantum ingenti terrarum sinu ambitur;* 67: *prospectabatque pulcherrimum sinum* (litora Campaniae), *antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.* H. III 66: *beatos Campaniae sinus promitti.* Hi sinus ibidem c. 63 *secreta Campaniae* et mox *litora* vocantur. A. 23: *atque omnis propior sinus* (Britanniae) *tenebatur*, ubi v. annot. Alii dici maritimos sinus opinantur, non vere: quippe mare nonnisi qua est *terminus* nunc memoratur et cetera omnia ad terras Germanorum diriguntur.

nuper cognitis — bellum aperuit: dicit bella a Druso, Tiberio, Germanico gesta. Conf. praecipue II 24.

modico flexu occidentem versus: praepositionem *in* super *occidentem* eadem manu scriptam addit liber Leidensis, atque hoc, puto, Pontanus in ἀρχετύπῳ suo repertum fideliter reddidit neque statim in principio voculam omisit, mox supplevit. Quo excitatur suspicio *in* additamentum esse alienae manus, multumque confirmatur, simulatque praepositionem non aptam esse constiterit. Nam si *in* accessit, *versus* non est praepositio, sed est participium, idque nimium de *modico flexu* Rheni. *Verti* enim Tacitus ponit ubi res in contrariam partem dirigitur, ut I 79: *an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur* (ad diversam partem ducerentur) *flumina et lacus per quos augescit.* H. II 68: *conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire;* H. IV 57: *verso itinere Novaesium concedit.* Adde I 4, V 6, XI 20, XII 7. H. II 54, III 16, V 51. H. I 76 *versas in Orientem provincias* et H. II 83 *versum in Italiam mare* scribens provincias in diversam partem sitas et mare in Asiam versum e contrario animo respexit. *Versus* igitur participium Tacito valet *in diversam partem conversus* et hoc nunc prorsus ineptum est: verum *in* expulso, ut suadet locus in optimo codice, *versus* praepositio evadit et sic recte dicitur *modico flexu occidentem versus* (*mit einiger Biegung nach Westen*).

modico — miscetur: Rheni fluminis cum duo sint flexus, unus inter Brigantiam et Basileam, alter ab Arenaco ad Lugdunum Batavorum, utrum h. l. dixerit Tacitus ambigitur. Primarium enuntiati verbum et princeps notio cum sit *septentrionali Oceano miscetur* (nam his fluvii *finis* consummatur), haud dubie de posteriore cogitabimus, ut fecit Gerlachius. Accedit quod per se fidei propius est Tacitum locutum esse potius de flumine iam adulto, quam verba fecisse de imbecillo quique ad ipsius opinionem ne terminus quidem esse sufficiat (cf. c. 32).

Danuvius molli et clementer

pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur.

2 Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra

1. *pluris* P. 2. *erumpat* P cum plerisque: *erumpit* Turicensis, Marcianus. 4. *ospitiis* (superscr. ab alia manu *h*) *mistos* P.

edito montis Abnobae iugo: quemadmodum verba *clementer edito iugo* adversa respondent prioribus *inaccesso vertice*, sic vox *molli* (*sanft ansteigend*) convenit praegresso *praecipiti* (*schroff abfallend*). XIII 38: *colles clementer adsurgentes*. H. III 52: *si qua Apennini iuga clementius adirentur*. Longe repetitum est et obscurum reddit Tacitum, quod Doederlinius *molli* vocem ad naturam soli et prata herbis tumentia refert. Forma nominis *Arbonae* ex vera *Abnobae* nata est, dum R pro B scribitur, mox etiam sedes litterarum *n* et *b* mutatur; sic ex ABNOBAE factum ARNOBAE et nova aberratione ARBONAE. Scriptura *Abnoba* vindicatur duobus titulis in regione eius montis, cui iam *nigrae silvae* nomen est, repertis (vid. Orellii Inscr. Lat. n. 1986), verbis Avieni docti scriptoris et diligentis (Descript. orb. 437): *Abnoba mons Istro pater est; cadit Abnobae hiatu flumen*. Consentit Ptolemaeus II 11 §. 7, item Plinius IV 24: *ortus hic* (Ister) *in Germaniae iugis montis Abnobae*. Martianus Capella VI §. 662: *Hister fluvius, ortus in Germania de cacumine montis* (Salmasius ad Solinum p. 186 inserit *Abnobae*, admodum probabiliter), *ad novem sexaginta amnes assumens etiam Danubius vocitatur*. Formam *Danuvii* ad auctoritatem codicum M et M[a] praetuli: cf. ad II 63. H. III 46.

donec — erumpat: plures populi Danubio flumini adeundi sunt, antequam *finem* sibi propositum consequatur. Finis notio modum coniunctivum peperit, eamque semper Tacitus spectavit et expressit, quotiens post *donec* tempus praesens subsequi fecit, veluti c. 20: *in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos*; 31: *fortissimus quisque ferreum insuper anulum — gestat, donec se caede hostis absolvat*; 35: *Chaucorum gens — omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur*. H 6: *Rhenus — in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur*. Adde H. II 1, IV 58 et 65, V 6. Danubii meatus *quinque* refert Herodotus IV 47, etiam Ephorus a Strabone nominatus, *sex* Plinius IV 24 extr. et Ptolemaeus III 10 §. 2—6, *septem* Strabo VII 3 §. 15 p. 305.

septimum os paludibus hauritur: septima Danubii pars aquarum paludibus hausta cum *meatus* iuste vocari non possit, scriptor pergit *septimum os* (*eine siebente Mündung*). Particula *enim*, post *septimum* interposita in editione Spirensi et hinc translata in alias, minime opus est.

Cap. 2. *ipsos Germanos — mixtos*: simili transitu a terra ad incolas venit A. 13: *ipsi Britanni delectum ac tributa — impigre obeunt*. Sententiam suam, indigenas esse Germanos, tribus argumentis astruit, quorum primum hoc, classibus advectos esse qui mutare sedes vellent, sed Oceanum raro ab orbe cetero navibus adi-

olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tristonem deum terra editum, et filium Mannum, origi-

4. *e horridi* P. 5. *peterť* P. 6. *nisi* (in fine paginae est) P: *nisi si* tres Vaticani, Monacensis, Farnesianus. 8. *ē* (h. e. *est*) P, unde plerique ex ceteris *est*, nonnulli *sit*. *tristonē* superscr. litt. *tri* ab al. m. *Tui*, ut sit *Tuistonem*. 'P prius *ei*, correct. in *et*' Massmannus. ipse non vidi.

tum, alterum, nihil esse in Germania quo peregrini allicianlur, tertium, tradi hoc ipsum a Germanis. *quia nec terra:* dum *nec* ponit, respicit alterum membrum *et immensus — aditur.*

immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus: Oceanum septentrionalem significavit; hic *ultra* orbem Romanis notum et navigantibus *adversus*. Nam praeter enorme spatium nunc etiam hoc memorandum erat, inimicum et periculosum esse illud mare eoque non aditum navibus. Conf. II 24: *quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia caeli praestat Germania.* In Germania 34: *nec defuit audentia Druso ac Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri.* Agr. 10: *sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent.* In contraria orbis parte (*bei den Antipoden*) esse Oceanum, ut alii interpretantur, hoc illum non truculentiorem magisque periculosum reddit. Neque apud Tacitum hic significatus vocis *adversus* alibi reperitur et a vocabulis technicis abstinere solet. Ceterum *utque sic dixerim adversus* positum pro *atque, ut sic dixerim, adversus.* Cf. ad O. 34.

nisi si patria sit: paulo ante *petere Germaniam* est in Germaniam se conferre: sed terram qui petit relicta alia, novam diligere praesumitur. Id notionis subest verbis *nisi si patria sit*. Nam proprie patria ab habitatoribus eius non petitur sed tenetur. De tristi solo et caelo Germaniae cf. Seneca de Provid. c. 4 §. 12: *omnes considera gentes in quibus Romana pax desinit, Germanos dico et quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste caelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant.*

celebrant carminibus antiquis — Tristonem: aliud carminum genus mox (3) memoratur et II 88: *Arminius — canitur adhuc barbaras apud gentes.* Haec carmina, annalium genus, dicit Iornandes 4: *quemadmodum et in priscis Gothorum carminibus paene historico ritu in commune recolitur. Tristo* ex P et ceteris libris plerisque reponendus erat. Correctio *Tuisto*

nem gentis conditoresque. Manno tris filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur.

Quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suevos Vandalios adfirmant, eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ut nunc Tungri,

1. *conditorisque* P cum plerisque. *assignant*, mox *affirmant* P. 2. *hermiones* superscr. *n* ab alia manu P. 3. *Iscaevones* Grimmius desiderat Mytholog. p. 320. 4. *pluris* — *pluresque* P cum plerisque. 5. *gabrinios* litterae *n* superscr. *v* P. *Vandalios* P et alii. apud Plinium *Vindili*. 8. *ut* P: ceteri *ac*.

et *Tuisco* demum ex nominibus *Tedesco* et *Teutsche*, Tacito plane incognitis, petita est. *Tuisconem* probat Grimmius Mytholog. Theod. p. 318.

Ingaevones — *vocentur;* Plinius N. H. IV 28 (14): *Germanorum genera quinque, Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingaevones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno Istaevones, quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basternae, supradictis contermini Dacis.*

quidam: iam post memorata carmina Germanorum ad rerum scriptores et antiquitatis peritos sese Tacitus convertit, eorum sententias percensendo usque ad finem capitis tertii.

Marsos Gambrivios: de Marsis v. annot. ad I 50. Sub initium imperii a Traiano suscepti non amplius videntur extitisse, ut in hoc libro infra commemorari non possent. Alterum populum *Γαμαβριουίους* Strabo vocat VII 1 §. 3 p. 291.

Germaniae vocabulum recens: pergit Tacitus aliorum opiniones referre, unde *recens* explicatur: Taciti temporibus id nomen vix *recens* appellari potuit, quippe haud dubie diu ante Iulium Caesarem iam impositum.

ut nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: qui diu ante Caesaris aetatem Rhenum transgressi sunt, nomine Germanorum Gallos expulerunt, sedes in Gallia Belgica pepererunt, quo nomine apud suos vocabantur in Germania transrhenana et proprie dicta? *Condrusi, Paemani, Eburones, Caeraesi, Segni.* Lege Caesaris B. G. II 4: *Condrusos, Eburones, Caeraesos, Paemanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad quadraginta milia* (polliceri); VI 32: *Segni Condrusique, ex gente et numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Trevirosque.* Hi postea in nomen *Tungrorum* coaluerunt, qui primum a Plinio nominantur N. H. IV 31, omissis quinque populorum nominibus a Caesare positis, qui simul cum Tungris nunquam recensentur, sive Tungri iam in Germania fuere et mox in Belgicam transgressi inter quinque nationes Germanorum no-

tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur. Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium 3

3. *mox ēt* (= etiam) P: alii *mox et.*

mine a Caesare comprehensas ita evaluerunt, ut ipsorum nomen maneret, cetera interirent, sive Condrusi et Eburones, Caeraesi et Paemani Segnique alio quo casu novo nomine (*Tungri*) appellati sunt. Hoc certum est, *Germanorum* vocabulum ne eorum quidem *nomen* fuisse qui postea *Tungri* vocati sunt, sed *cognomentum* fuisse, ab illis primum usurpatum, mox in omnes transrhenanos collatum. Nam qui eo vocabulo utebantur, omnes etiam suis et propriis nominibus vocabantur, in nova autem terra novum vocabulum certam ob causam asciverunt. Id cognomentum quid indicaverit, ostendunt Strabonis verba VII 1 §. 2: *τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου μετὰ τοὺς Κελτοὺς πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμονται, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου τῷ τε πλεονασμῷ τῆς ἀγριότητος καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς ξανθότητος --. διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα, ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι· γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον.* Hinc perspicitur eos qui Rhenum transcendentes Gallos expulere, hoc dixisse, se veros germanosque Gallos esse eoque decere, ut sibi sedes agrique in Gallia concederentur. Nomen Theodiscum ab illis sibi impositum id denotabat, quod Graece *γνήσιοι*, Latine *germani* sive *veri;* Romani autem vocabulum externum non curaverunt, sed vim eius suo nomine reddidere. Idem in *centenis* factum esse ad c. 6 videbimus, idem in Hercule (c. 3), in Mercurio et Marte (c. 9), idem in Iside accidit; idem ubique apud Tacitum valet, nisi si contrarium disertim monetur, ut c. 6 et 40 et 43 et 45, aut ipsa Germanorum traditio refertur, veluti c. 2. *Germanorum* nomen Latinum esse, non Theodiscum, producta vocalis *a* luculente ostendit. Si Theodisca radice natum et ex vocabulo *Man* sive *Mann* coalitum esset, debuit efferri *Germănus*, quod nunquam admissum est. Ab hoc vocabulo, quod primum cognomentum, dein commune nomen multarum nationum fuit, probe distinguendum est, si proprio nomine *Germani* recensentur, veluti Galli illi de quibus triumphavit Claudius Marcellus anno urbis 532 (531), memorati in fastis Capitolinis triumphalibus: *M. Claudius M. f. M. n. Marcellus cos. de Galleis Insubribus et German*[is]. Idem cognomentum *Oretanis* in Hispania. Plinius III 4: *Oretani qui et Germani cognominantur.* *Germanii* in Persis recensentur ab Herodoto I 125.

ita nationis nomen, non gentis: ex ipsa oppositione liquet gentis vocabulo corpus nationum vel populorum comprehendi. Doederlinius ascripsit Vellei. II 98: *omnibus eiusdem gentis nationibus in arma accensis.* Conf. infra (c. 38): *maiorem enim Germaniae partem oblinent* (Suevi), *propriis adhuc nationibus nominibusque discreti.*

primum a victore ob metum: *ob metum* valet *ut metum ceteris facerent.* Quippe gloriabantur se

virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu [quem barditum vocant] accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantve, prout sonuit acies;

1. *illis illis* (alteri linea subducta est) P. 2. *barditum* P cum plerisque: pauci *baritum*. glossam notavit editor. 4. *sonuis* superscr. *t* P.

et transrhenanos veros esse Gallos, ceteros eo nomine non dignos. De hac significatione Gellius exponit IX 12 §. 13—15. Quintilianus VI 2 21: *metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.* Cf. A. 44. Ex opposito *etiam a se ipsis* consequitur verba *a victore* accipienda esse vulgari significatione ὑπὸ τοῦ νικήσαντος, (*vom Sieger*), non valere *ex nomine victoris* (*nach dem Sieger*) sive ἀπὸ τοῦ νικήσαντος.

Cap. 3. *fuisse apud eos et Herculem memorant:* memorant scriptores quorum de originibus Germanorum relata exponere pergit, non ipsi Germani, qui alio nomine nobis haud cognito hunc heroa celebraverunt. Ut paulo ante *Germani* interpretatione Romana, sic etiam *Hercules* ad eandem legem nominatur ille, quem Germani primum fortium virorum canebant. De Hercule Germanorum v. Ind. hist.: de nomine Germanico varia coniectavere nostrates, nominatim Iac. Grimm et Herm. Müller, a quibus coniecturis certe in hac cura abstinere praestat.

sunt illis haec quoque carmina: carmina proeliorum discernenda esse ab iis quae de origine gentis recitabantur, ad c. 2 monitum est. Annalium carmina respiciens nunc scribit de altero genere: *sunt illis haec quoque carmina* (*sie haben auch solche Lieder*), *quorum relatu* cet.

quorum relatu, quem barditum vocant: barditus nomen, cui soli auctoritas a libris melioribus, factum a *bardis*, fortium virorum apud Gallos cantoribus (cf. Ammianus Marcell. XV 9 §. 8 cum annot. Valesii), Germanis minime convenit, apud quos non *bardi* sed tota acies bellantium cantabat. Altera scriptura (*baritum*) vox est nihili: *barrītus* autem, id quod libris Tacitinis non traditur, non fuit Germanorum cantus, sed Romanorum clamor, cum proelium ingressuri sunt, posterioribus temporibus ita vocatur, nominatus a clamore barrorum, h. e. elephantorum. Vegetius III 18: *clamor autem quem barritum vocant prius non debet attolli, quam acies utraque se iunxerit.* Ammianus XVI 12 §. 43, XXVI 7 §. 17, XXXI 7 §. 11. Iam cum neque *barditus* Gallorum neque *barritus* Romanorum huic loco conveniat, neque alterutrum vocabulum radice Theodisca nitatur, cum praeterea statui nequeat a variis Germanorum gentibus cantum proelii uno eodemque nomine vocatum esse, etiam hoc notatu dignum videtur, non ipsa carmina, sed carminum *relatum* eo nomine vocatum esse. Accedit quod Tacitus huiusmodi curiositatem et doctrinam quam maxime aversatur. Quae argumenta me movent, ut verba *quem barditum vocant* a semidocto lectore supra versum perantiqui cuiusdam libri ascripta esse et inde purpurae pannum adhaesisse statuam.

prout sonuit acies: ecce idem in opere simul edito de acie Ba-

nec tam voces illae quam virtutis concentus videntur. Adfectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Astiburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam

1. *vocis ille — videtur* tacite Rhenanus. *aff.* P. 4. *ulyssem* et mox *ulyssi* P in litura. 6. *astiburgiumque* litterae *t* ab al. m. superscr. *c* P. 7. *nominatumque*] nullum in P defectus signum, in margine ab alia manu cruce apposita *deest.* scilicet in nonnullis notae deterioris codicibus additur Ἀσκιπύργιον vel simile aliquod nomen Graecum.

tavorum et Germanorum H. IV 18: *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies;* H. II 22: *cohortes Germanorum cantu truci et more patrio — super humeros scuta quatientium. nec tam voces illae: voces* (Töne) est iustus cantus. Ammianus XXXI 7 §. 11: *barbari maiorum laudes clamoribus stridebant inconditis.*

ceterum et Ulixem quidam opinantur: huic opinioni se nihil tribuere ipsis verbis luculente significavit: nam *opinari* saepe de falsa aut temeraria sententia dicitur; paucorum esse opinionem pronomen *quidam* argumento est. Etiam curiosa non prorsus a se excludi addito *ceterum* monuit.

Astiburgiumque — constitutum nominatumque: unde mirae fabulae fundamentum sumptum ab iis qui eam excogitarunt? Haud dubie ex ipso nomine: quippe priorem partem ad ἄστυ, alteram ad πύργον referebant, hinc Graecam originem nacti et ex ultima antiquitate repetentes. Iam manifestum est, non probandam esse correctionem (*c* pro *t*) ab altera manu in codice Leidensi ascriptam, ab aliis codicibus adoptatam. Haec ipsa ex H. IV 33 ducta est: ibi M[a] *Asciburgii*, et hoc (*Asciburgium* nunc *Asberg* prope *Moers*) verum oppidi nomen videtur fuisse, sed antiquarii quorum opinio nunc refertur, illud ad suam sententiam paulum inflectebant.

aram — Ulixi consecratam: Ernestius et Passovius *Ulixi* interpretantur *ab Ulixe.* Sed qui eam rem finxit, cogitasse potius videtur ab oppidi civibus conditoris honori aram positam esse, adiecto patris nomine. Hoc simplicius. Conf. H 7: *veteram aram Druso sitam* (ab exercitu in memoriam mortui Drusi) *disiecerant.* Non similis est locus quem diversae explicationis defensores ex XV 41 afferunt: *aedes Statoris Iovis Romulo vota. eodem loco olim repertam:* ne ille quidem qui hanc fabulam invenit, eiusmodi aram ipse vidit, sed olim repertam esse tradidit: ut tamen Graecis litteris aliquam fidem conciliaret, in confinio Germaniae Raetiaeque etiamnum extare monumenta sepulcralia Graecis litteris inscripta narravit. Conf. Caes. B. G. I 29: *in castris Helvetiorum tabulae repertae sunt, Graecis litteris confectae et ad Caesarem relatae, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset;* VI 14: *neque fas esse existimant* (Drui-

Ulixi consecratam, adiecto Laërtae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. Quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

4 Ipse eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis aliarum nationum connubiis infectos propriam et since-

3. *rhetiaeque* P. 4. *extare* ubique P. 7. *nullis* editor: codices *nullis aliis*. *nationibus* (per comp.) superscr. *nū* P.

des) *ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus — Graecis utantur litteris.*

quae neque confirmare — in animo est: Livius in praefatione: *ea nec adfirmare nec refellere in animo est;* V 21: *haec ad ostentationem scenae gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem neque adfirmare neque refellere operae pretium est.*

demat vel addat fidem: haud dubie haec accipienda sunt de legentibus, non de iis qui post Tacitum in eandem rem inquirere volent, ut probat additum *ex ingenio suo quisque*, h. e. prout quisque ad credendum aut dubitandum et ambigendum inclinat. Rei autem quam credunt multi fides additur, quae rursus demitur diffidendo et dubitando. Monui propter Doederlinium qui diversam explicationem amplectitur.

Cap. 4. *ipse eorum opinionibus accedo:* redit unde digressus est cap. 2.

nullis aliarum nationum connubiis: codices *nullis aliis*. Adiectum *aliis* e Tacitinis amovendum Lipsio assentior, idque sive ex praecedente *nullis* per dittographiam sive ex subsequente *aliarum* fortuita repetitione natum esse iudico. Passovius ut hanc vocem defendat licenter παραφράζει, Waltherus *alia aliarum nationum connubia* esse quae alia natio cum alia in vicem ineat contendit. Sed hoc neque verum est (eiusmodi connubia *promiscua*, non *alia aliarum nationum* appellantur), neque ea sententia huic loco convenit. Mirifice Longolius *nullis aliis* interpretatur *nullis prorsus* (*durchaus durch keine andere*), quasi Tacitus affirmare voluerit nunquam puellam Raeticam vel Gallicam nupsisse Germano, aut lingua permittat ut pro *omnino* vel *prorsus* substituantur *alii*. Immo *aliis* nunc quidem plane otiosum est et a Taciti stilo et brevitate alienum. Provocavit Doederlinius ad O. c. 30: *ut omnem omnium artium varietatem complecteretur;* 10: *anteponendam ceteris aliarum artium studiis.* In his additum *omnem* et *ceteris* vigorem orationis auget, eo quod utrumque nomen substantivum adiectivo suo instructum prodit, sed pone *nullis ceteris aliarum artium studiis*, pone etiam *nullis aliis aliarum artium studiis*, et habebis magnam orationis inertiam et insolentiam. Nimirum in Germaniae verbis *connubia* iam habent suum attributum (*nullis*) ideoque *aliis* admodum ingrate accedit. Nam huius πολυπτώτου (*alii aliorum*, ἄλλοι ἄλλων) ea est natura, ut pro se solum ac sincerum consistat. Sed additamentum *aliis* etiam testimonio evertitur, quod omnium codicum auctoritate, ut mihi videtur, longe praestantius

ram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. Laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove adsuerunt.

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen **5**

2. *quāquā* P et sic plerumque. 3. *ceruli* P, alii *coerulei*. 6. *assuerunt* P.

est. Scilicet Ruodolfus Fuldensis nono seculo ex eo codice, quem in Italiam delatum excripsit Pontanus, Taciti verba inter sua recipiens (v. Praefat.) dedit: *nec facile ullis aliarum gentium — conubiis infecti propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt.* Itaque Ruodolfus dum Taciti verba suis accommodat, *nec ullis aliarum* ponit pro *nullis aliarum.* Si invenisset *nullis aliis aliarum gentium*, scripturus fuit *nec ullis aliis aliarum gentium.* Quapropter a Pontano imprudenter *aliis* additum et in ceteris codicibus ex eo fonte servatum esse credo, id quod eo facilius fieri potuit, quia idem Pontanus primo *nationibus* (ipse compendio *natoībus* ütitur) dedit, mox *num* in exitu superposuit.

idem omnibus: contraria iungere Tacitus amat. Inde rectius *idem omnibus*, ut verba iungit codex Perizonianus, quam *idem: omnibus* cet., quod ex deterioribus libris repraesentavit Massmannus.

truces — valida: A. 11: *rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant.* H 14: *corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* Iuvenalis XIII 164: *caerula quis stupuit Germani lumina, flavam caesariem et madido torquentem cornua cirro? Nempe quod haec illis natura est omnibus una.* Horatius Epod. 16 7: *nec fera caerulea domuit* (Romam) *Germania pube.* Caesar B. G. I 39: *saepenumero sese cum eis* (Germanis) *congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse.*

laboris atque operum non eadem patientia: mire Doederlinius: 'neutrum adiectivi et plurale est', — 'non substantivum; ideoque *eadem* non *parem* significat, sed ut saepe, *simul*'. Haud dubie nomen substantivum est, ut in Annalium verbis modo ascriptis *nulla patientia. Eadem* pro *simul* apud Tacitum non invenitur.

minimeque sitim aestumque tolerare: cf. H. II 93: *Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis* (Tiberis) *aviditas et aestus impatientia labefecit;* ibidem c. 32: *iam Germanos — tracto in aestatem bello fluxis corporibus mutationem soli caelique haud toleraturos.*

Cap. 5. *etsi aliquanto specie differt* (*obgleich ein guter Theil einen andern Anblick gewährt*): *aliquanto* est idem quod *bona sui parte; speciem* intelligit quam statim pingit. *humidior qua Gallias — aspicit:* cogitat praecipue de sedibus Frisiorum et Bructerorum. Cf. Pomponius Mela III 3: *terra ipsa multis impedita flumini-*

aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. Numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae

1. *feda* P. *humiclior* in P legit Massmannus. 3. *pecudum*, litteris *ud* punctis subnotatis et superscr. *or* P. 6. *propitii ne an irati dii* P. 7. *aff.* P.

bus, multis montibus aspera et magna ex parte silvis ac paludibus invia.

satis ferax: Doederlinius *satis* habet pro dativo, sed est haud dubie ablativus, tum propter adiuncta *frugiferarum arborum impatiens*, tum quia IV 72 *ingentium beluarum feraces saltus* legimus: nam genitivus et ablativus significatione cognati casus ob hanc causam in multis locutionibus promiscue ponuntur. Hinc etiam apud Virgilium G. II 222 *ferax oleo* ablativus est, non dativus, item apud Plinium Epist. IV 5 *ferax bonis artibus. Sata* sunt fruges quae seruntur, vocabulum a Virgilio saepe usurpatum (E. III 82. G. I 23 et 106 et 113 et 325 et 444, II 141 et 423 et 436, IV 331. Aen. II 306, III 139, XII 454). *frugiferarum arborum impatiens:* monitum est a Tacito bonam Germaniae partem differre a specie, quae in universum obtineat. Itaque nihil offensionis in eo, quod c. 10 *frugifera arbor* et c. 23 *poma agrestia* memorantur.

pecorum fecunda, sed plerumque improcera: molesta erat artisque expers aequalitas sed *plerumque improcerorum*, adeo male sonabat. Inde ausus est inflexa structura pergere *sed plerumque improcera* (sunt). Alii *improcera* per ἀντίπτωσιν cum terra iungunt. Schneidewinus coniecit *in improcera*, collatis ex Iustino XLIV 1 *Hispania in omnia frugum genera fecunda est*, et Silio Ital. II 498 *fecundum in fraudes hominum genus.* Sed si Tacito licuisset ponere *fecunda in pecora improcera*, inde tamen non consequitur licere *pecorum fecunda, sed plerumque in improcera.*

ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: equis deest procera et pulchra statura, bobus magnitudo cornuum. Armentorum duo genera, equos et boves, particula *aut* significavit et discrevit. Suum honorem Doederlinius accipit oculos taurorum torvos et truces, unde ταυρηδὸν βλέπειν et Iuno βοῶπις. Non sequar, sed potius de specie et magnitudine equorum cogitandum existimo: nam etiam *equos* nomine *armentorum* comprehendi monstrant verba *eaeque solae et gratissimae opes sunt* (pecora et armenta). *Gloria frontis* cornibus continetur, atque his boves denotantur.

numero gaudent (*eine gute Anzahl haben sie*)*:* non hoc dicit, numerum placere Germanis, sed numerum iis non deesse. Agr. 44: *opibus nimiis non gaudebat* (h. e. nimias opes non possidebat, *übergrossen Vermögens hatte er sich nicht zu erfreuen*), *speciosae contigerant.* Sic etiam G. 15: *gau-*

venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur, quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi, sed quia numerus argenteorum

2. *affic.* P. 4. *fingutur* P. 10. *affectaõe* (i. e. *affectatione*) P.

dent praecipue finitimarum gentium donis, h. e. dona finitimarum gentium accipiunt et hoc nominis sui gaudio fruuntur; 46: *et peditum usu et pernicitate gaudent*, ubi v. annot.

quis enim scrutatus est? nondum compertum videtur nunc habuisse id, quod posthac tradidit XI 20: *Curtius Rufus — in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit.*

est videre: vitavit solitum *licet videre*. XVI 34: *ut coniectare erat.* Graece *ἔστιν ὁρᾶν*. *non in alia vilitate:* expectaverit aliquis potius *caritate* vel *pretio*, sed scriptor *non in alia* tamquam una voce usus pro *pari* posuit. *proximi:* h. e. proximi Romanis in ripa Rheni et Danubii. Nunc *proximos* nude dicere poterat, quia ante de Romanis in commemoratione munerum locutus erat.

serratos bigatosque: serrati sunt nummi denarii quorum ora serrae instar incisa (*mit gezacktem Rande*); hi frequentes temporibus liberae civitatis ideoque veteres et diu noti; conf. Eckhel Doctr. Num. Proleg. ad num. fam. §. 16. De bigatis Plinius XXXIII 13: *nota argenti fuere bigae atque quadrigae, et inde bigati quadrigatique dicti.*

nulla adfectione animi: vitium codicis P *affectaõe* ex nota *affectõe* libri antiquioris perperam resoluta nata est. Affectatio est simulatio, cuius contrarium, affectionem animi, sententia nunc postulat. Sic modo *haud perinde adficiuntur*. *promiscua et vilia:* promiscua (*allerlei*) a variis mercatoribus emunt, *vilia* parvo pretio parant: ad utrumque numerus argenteorum aptior erat.

Cap. 6. *rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur:* constat sibi Tacitus, dum scribit II 14 de Germanis: *primam utcumque aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela. Brevia tela* hoc loco *frameae* sunt, quarum ferrum brevi hastae ligneae innexum est, *prima acies* h. e. pauci ex tota turba, maiores lanceas gestant, i. e. frameas longae hastae ligneae adiunctas, a Tacito ibidem *enormis hastas* et mox (II 21) *praelongas hastas* vocatas. Item *praelongas hastas* Germani in exercitu Civilis ferunt H. V 18, sed ibi memorantur qui promptissimi Germanorum in prima acie pugnabant. Falso ad hunc locum offendit Lipsius, Tacitum sibi non constare

6 facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur.

Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea.

6. *cominus* P. 8. *pluraque* P cum plerisque: *plura* Turicensis et Vindobonensis. *immensum* superscr. ab al. m. *in* P: nonnulli *in immensum*. 10. *distingūt* P. *galeae* P cum plerisque: *galea* Turicensis et Rhenanus.

ratus. Ceterum ne frameae quidem ad iaciendum habebantur, sed ad fodiendum, ut patet ex subsequentibus: *et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt.* Itaque verba *ut eodem telo vel comminus vel eminus pugnent* de ferro acri adaptato modo ad breviorem modo ad longiorem hastam ligneam accipienda sunt. *Comminus* significat in arto pugnam, *eminus* in qua assultibus utuntur. H. V 18: *praelongis hastis — militem eminus fodiebant.*

atque immensum vibrant: in ab alia manu in P supra versum additum non requirit Taciti stilus. Conf. III 30: *immensum viguit;* 52: *immensum proruperat;* IV 27: *gliscebat immensum;* 40: *immensumque attolli*; VI 37: *Euphraten nulla imbrium vi sponte et immensum attolli.* Perinde Tacitus *aeternum* pro *in aeternum* ausus est III 26, XII 28.

nudi aut sagulo leves: his verbis complexus est et locupletes et plebem. Locupletissimi enim Germanorum sagula vel amictus non gestabant, sed vestem interiorem (*einen Leibrock*), h. e. tunicam vel tunicae similem. Rursus pauperes *saga* ferebant, cetera intecti. Lege c. 17 cum annotatione. Iam qui tunica indutus est et toga caret vel amictu (sago), saepe *nudus* vocatur; v. Forcellinii lexicon s. v. *nudus.* Recte monet Doederlinius: 'quodsi inverecunde nudi fuissent, eum morem non omisisset humanitas scriptorum Romanorum quin ut incredibilem feritatem demirarentur et perstringerent. — Neque usquam in monumentis Romanorum, ut in columna Antonini, plane nudi repraesentantur Germani'.

nulla cultus iactatio: cultum dicit vestitus ornamenta. Conf. A. 40: *cultu modicus, sermone facilis.*

cassis aut galea: cassis de lamina ferroque, galea de corio. Sic Isidorus ex bono auctore Orig. XVIII 14.

equi non forma — conspicui: Caesar B. G. IV 2: *quae sunt apud eos nata* (iumenta), *parva atque deformia, haec quotidiana exercitatione summi ut sint laboris efficiunt;* VII 65: *eorum adventu* (Germanorum), *quod minus idoneis*

Equi non forma, non velocitate conspicui. Sed nec varietatem gyrorum in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe ut nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt; idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec

1. *varietatem gyrorum* editor: *uárietate gyros* P et alii, *uariare gyros* quattuor Vaticani et Angelicanus et Farnesianus. 3. *cunclo* superscr. ab al. manu *coniuncto* P. 5. *misti* P. 8. *et ad'em* P, sed correctum erasis litt. *em* ab al. m. 11. *fortitumidinis* (non *fortitudinis*) P. sed Pontanus *titu* linea subnotavit.

equis utebantur, a tribunis militum reliquisque — equos sumit Germanisque distribuit.

sed nec varietatem gyrorum in morem nostrum docentur: varietate, ut est in P aliisque libris, me iudice ortum est ex *varietatē*, *gyros* autem ex *gyro*♃, h. e. *varietatem gyrorum.* Quod est in aliis et minus antiquis codicibus *variare*, hinc sane *varietate* vix nasci potuit, idemque a Latinitate non tutum videtur. Nam *variare gyros* significat gyros qui sunt varios reddere (*ποικίλλειν*), non varios gyros decurrere. De *nec* quod valet *ne quidem* cf. annot. ad II 82 et adde H. II 15 et 53.

coniuncto orbe: vitium P *cuncto* iam in *ἀρχετύπῳ* videtur fuisse, natum ex nota *ɔiūcto* vel *c̄iūcto.* Ceterum de veritate antiquae correctionis dubitari nequit.

in universum aestimanti: conf. A. 11 cum annot.

eoque mixti proeliantur: hoc proeliandi genus accurate describit Caesar B. G. I 48; adde eiusdem IV 12, VIII 13. B. C. III 84.

centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum (centeni) inter suos vocantur: Romani vocabulum a Germanis usurpatum nihil curaverunt, sed vim eius suo reddiderunt, perinde ut c. 2 extr. factum vidimus. *iam nomen et honor est*: proximo militiae post equites gradu *centeni* una cum his proeliantes.

cedere loco — arbitrantur: Germanicus in oratione qua consulto de Germanis loquitur contemptius, II 14: *sine pudore flagitii, sine cura ducum abire fugere.* Tacitus ipse aequius iudicavit. De particula *potius* suppressa cf. ad XIII 6.

Cap. 7. *reges ex nobilitate: ex nobilitate* non est ex nobilibus, sed secundum nobilitatem, ut docet appositum *duces ex virtute.* Ob rem conf. c. 42 et XI 16.

et duces: quod in P est *et* cum lineola (= *etiam*), ea impru-

aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multi-
7 que superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio; si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt; effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus neque fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinqui-

1. *aut* ante *concilium* P: alii *ac.* 4. *et* cum lineola super *t* (h. e. *etiam*) P, *etiā* Vaticanus 1862: celeri *et.* 6. *neque* P: celeri *nec.* 12. *aut prop.* superscr. ab al. m. *et* P: *et* ceteri.

denter aut a Pontano aut iam ab antiquo scriba addita est: nam *et* respondet proxime superiori *nec.*

exemplo potius quam imperio: sunt ablativi instrumenti qui vocantur, non dativi, ut dicunt Gruberus et Doederlinius. Imperium intelligit potestatem libera civitate per legem curiatam, mox a Caesaribus delatam. Perinde c. 11: *rex vel princeps — audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate.*

neque animadvertere: animadvertere nunc est morte multare, ut sequentia docent. Id in Annalibus *advertere* et saepius et constanter Tacitus dixit (cf. annot. ad XIII 28), in prioribus operibus *animadvertere* praetulit: v. H. I 46 et 68, IV 49. *ne verberare quidem:* recte sic P cum melioribus, ut c. 44 *ne libertini quidem:* in aliis perperam *nec* aut *neque;* cf. annot. ad IV 35 et H. II 82, IV 38. De re aliter tradit Caesar VI 23: *cum bellum civitas aut inlatum defendit aut infert, magistratus qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur.* Haec Caesar invenit apud Germanos Rhenum transgressos et diu inter belli discrimina versatos.

effigiesque et signa quaedam (*Abbildungen und gewisse Symbole*): *effigies* accipe formas aprorum et aliarum ferarum, non deorum effigies, quae nullae apud Germanos (c. 9). Cf. 45: *insigne superstitionis formas aprorum gestant.* H. IV 22: *inde* (a parte Germanorum) *depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est.* Alterum quod ponit *et signa quaedam,* eorum exemplum habemus navigium Isidis c. 9 et 40. Plutarchus in Mario c. 23 extr. χαλκοῦν ταῦρον memorat, apud quem Germani iuraverunt.

turmam aut cuneum facit: turmam in equitibus, cuneum in pedite. Cuneis soliti pugnare Germani; H. V 16: *Civilis haud porrecto agmine sed cuneis adstitit;* ibidem c. 18: *Bructerorum cuneus tranatavit.* *sed familiae et pro-*

tates. Et in proximo pignora, unde feminarum ululatus [audiri], unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant. Memoriae proditur quas- 8
dam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus

1. *foeminarum* P. glossam *audiri* seclusit editor. 4. *enumerare* P. 5. *ortamina* superscr. *h* P. 6. *foeminis* P. 7. *cominus* P.

pinquitates: propinqui vel propinquitates latius patent quam familiae; *gentium* nomen ob ambiguitatem consulto vitavit. In acie hunc ordinem Nestor Agamemnoni suadet apud Homerum Il. *B* 363.

et in proximo pignora: sunt, ut centies alibi, omissum est; Doederlinius supplevit *fortitudinis incitamentum.* Ob rem v. H. IV 18. Caesar B. G. I 51. Plutarchus Mar. 27.

unde feminarum ululatus [audiri], unde vagitus infantium: verbum *audiri* nonnulli accipiunt pro infinitivo historico (*audiuntur*), sed is imperfecti temporis potestate fungitur, non praesentis, neque apte a Doederlinio allatum est VI 19: *fluitantia aut ripis adpulsa non cremare* (= cremabat) *quisquam, non contingere* (= contingebat). Alii *est* supplendum praecipiunt, verum hoc *est* (ἔστι) non suppletur sed scribitur, ac tum sermonis Latini lege non *audiri* subsequi debuit, sed *audire*, ut c. 5: *est videre apud illos.* Alii *unde audiri* pro *ut inde audiatur* dictum putant, adversante prorsus sermonis usu et consuetudine Latina. Postremo *solet* aut addendum aut supplendum dicit Doederlinius: addere nemo sustinebit, si mitius remedium adhiberi poterit: quo minus cogitando addatur, prohibet norma linguae Latinae. Neque hanc licentiam tuetur quod Tacitus A. 34 scripsit: *quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere* (= contra ruere solet), *pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur;* sane hoc ausus est et iuste audere potuit, primum quod notionem *solent* proximi enuntiati praedicatum suggerebat (*pelluntur = pelli solent*), tum quod a structura libera et pendente statim ad legitimam et solitam reversus est, de qua licentia certis legibus temperata dixi ad II 31. Itaque non dubitandum est quin hoc nostro loco *unde audiri* et turpi et manifesto soloecismo positum sit. Veram emendandi viam alterum membrum *unde vagitus infantium* ostendit: nam quemadmodum ibi nolio *venit, pervenit* (ad aures pugnantium) vel *penetrat* (haec sponte excitatur adverbio *unde*) a legente suppletur, sic concinnitas orationis Tacitinae postulat, ut eadem in priore membro cogitetur. Hinc efficitur verbum *audiri* pro glossa habendum esse, a lectore semidocto supra versum perantiqui codicis ascripta, ab aliis in contextum ascita. Theodisce interpretor: *und in unmittelbarer Nähe die Liebespfänder, woher Heulen der Weiber, woher Wimmern der Kinder.* Exemplum rei in opere simul edito ipse narravit H. IV 18: *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.*

captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco

3. *nobiles*, superscr. *v* ut sit *nubiles*, P. *imperentur* superscr. *a* ab eadem manu P. 6. *Voledam* P (Massmannus attulit *Voleda*): ex ceteris plerique *Veledam*, ut M[a] in Historiis 4 61, 5 22 et 24.

illae numerare: in P adhaesit ultima proximi pronominis littera (*illae enumerae*), ut paulo ante (c. 6) *galeae* pro *galea* ante *equi*. Neglexerunt hanc varietatem Trossius et Massmannus. Numerant vulnera, ut agnoscant et virtutis testimonium edant, *exigunt* (*prüfen*) sive scrutantur, ut compertum habeant utrum vitae periculum sit necne. Numerant laetae et cum admiratione, exigunt anxiae et sollicitae. Ita ut capiamus suadent verba *nec pavent*, id est non pavent atrocem rem oculis perlustrare, cura et fortitudine impulsae. Lipsius *exigere* explicuit 'requirere cum exprobratione'. Sed quis crediderit tam atroces et inhumanas fuisse Germanorum mulieres, ut parta victoria redeuntes ex proelio maritos incolumes non libentius aspicerent quam vulneribus confectos? Longe repetita sunt I. Fr. Gronovii: '*exigere* ut *sarta tecta exigere, ad summam veritatem ius exigere*. Quasi taxare et plus aut minus in illis virtutis agnoscere'.

Cap. 8. *memoriae proditur — restitutas:* eiusmodi feminarum Germanicarum facinora apud Livium Tacitus legit libro LXVIII, ut licet coniicere ex Mario Plutarchi c. 19 et 27; adde Caesaris B. G. I 51.

obiectu pectorum: non terga vertere et fugere se velle cum viris ostendebant, sed subsistere adverso pectore, ut nisi a viris defenderentur, in captivitatem hostium cederent.

quibus inter obsides — imperantur: quasi praeteriens hoc suadet principi et ducibus Romanis. De Augusto Suetonius c. 21: *ut — a quibusdam vero novum genus obsidum, feminas, exigere temptaverit, quod negligere marium pignora sentiebat.*

nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt: *consilia* sponte et ultro dantur, *responsa* rogantibus ab iis qui tamquam periti consuluntur. Caesar B. G. I 50: *cum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent; utrum proelium committi ex usu esset necne; eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent.* Adde Plutarchi Caes. 19, Strabonis VII 2 §. 3 p. 294.

vidimus — Veledam, diu — habitam: sic distinguendum est, commate posito post *Veledam*. Tacitus enim, ut tam ex huius libri habitu quam ex Historiis cognoscitur, ipse apud Germanos non fuit, sed Veledam in urbem ad-

habitam. Sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione, neque tamquam facerent deas.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus 9
humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem concessis animalibus placant. Pars Suevorum et Isidi sacrificat: unde

1. *Auriniam* superscr. 'vel *Albriniam*' P. *compluris* P et alii. 2. *neque* P: ceteri *nec*. 5. *placant* editor: *placant et herculẽ* P (Orellius falsa rettulit de scriptura codicis P) et Vaticanus 1862. vulgo legitur *Herculem ac Martem — placant*.

ductam (cf. annot. ad II. V 24) vidit. Itaque *diu — habitam* significat *quae diu habita est*, non *diu habitam esse*: id enim non videre sed accipere et audire Tacitus et aequales poterant.

et compluris alias: Gannam principe Domitiano commemorat Dio apud Xiphil. LXVII 5, *Chattam mulierem* vaticinantem Vitellio Suetonius in huius vita c. 14.

tamquam facerent deas (*als wollten sie Göttinnen machen*): vis sententiae cadit in *deas*. Scilicet ridet adulationem et superstitionem, cuius exempla Nerone principe edita erant, ut adeo feminae caelum decerneretur, veluti Poppaeae filiae infanti (XV 23), mox ipsi Poppaeae (Dio LXIII 29). Conf. XIV 3: *additurum principem defunctae templum et aras*. Respici ἀποθέωσιν principum, ut statuit Doederlinius, non crediderim. Ceterum adulationem et simulationem Romanam dum a Germanis abesse tradit, superstitionem non negavit. Quapropter nihil differt ab his quod legitur H. IV 61: (Germani) *plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas*.

Cap 9. *deorum maxime Mercurium colunt:* ut ante (cap. 2 extr.) commune Germanorum nomen Latino vocabulo reddidit, militiam pedestrem virtutis causa cum equite iunctam *centenos* Romana interpretatione vocavit (6), sic etiam in numinibus explicandis nomina barbara vitavit, Latina libere substituit. Quae Iac. Grimmius in Mythologia Theodisca docte et ingeniose de nominibus Theodiscis sub Latinis latitantibus suspicatus est, apud ipsum legenda relinquo. De Mercurio iam Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum I 9: *Wodan sane quem adiecta littera Gwodan dixerunt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut deus adoratur.* Taciti verbis supra positis non contrarium est quod legimus H. IV 64: *communibus deis et praecipuo deorum Marti grates agimus:* nam in fortuna bellica bellorum deo praecipuas grates agi convenit. Alia autem de numinum cultu apud Germanos quos cognovit reppperisse sibi visus est Caesar B. G. VI 21: *deorum numero eos solos ducunt quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.* Talia opinari pronum erat nullas deorum effigies, nulla delubra deprehendenti.

Martem concessis animalibus placant: rarum erat et extra consuetudinem admissum, quod in certamine inter Hermunduros et Chattos victores diversam aciem *Marti ac Mercurio sacravere*, ut narravit hic noster XIII 57. De hostiis

causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimilare ex magnitudine caelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque

4. *assimulare* P. Ruodolfus c. 2: *deos suos neque templis includere neque ullae* (sic) *humani oris speciei adsimilare* cet. *coelestium* P et sic ubique.

humanis quas Gothi sacraverint Marti, Iornandes c. 5. Grimmius Marti substituit Theodiscum numen *Ziu* (*Δία*): aliis est *Thysdagr*; quae res plane incerta. *Concessa animalia* posuit respiciens diras hostias et immanes modo dictas, unde *concessa* sunt humanitatis lege permissa. Obscure loquentem Tacitum facit Grimmius Mythol. Theod. t. I p. 40 ed. 2: 'das *concessum* steht als *sacrum* dem *profanum* entgegen, und nur solche Thiere eigneten sich, deren Fleisch von den Menschen gegessen werden konnte'.

placant [*et Herculem*]: quid hoc est? Num Tacito Hercules est deus Germanorum? Non est, sed *primus fortium virorum*, ut c. 3 luculente traditum. Hinc *silva Herculi sacra* memoratur II 12, et in Germania c. 34 de columnis eius mentio iniecta est, sed inde nihil consequitur nisi fuisse heroa, qualem c. 3 Tacitus descripsit. Sed iam ipse antiquissimus codex ostendit *et Herculem* glossam esse, a semidocto et antiquo lectore ex c. 3 petitam: nam post plenam et absolutam sententiam haec verba moleste succedunt: in vulgo librorum ita interpolatum est, ut structura verborum bene se habeat, cetera offensio maneat.

pars Suevorum et Isidi sacrificat: Isidi apud Romanos III. nonas Martias, cum soluta est acris hiems, navigium offerebatur, ritu Aegyptiaco, ut credere licet in numine peregrino, et dies ipse *navigium Isidis* vocari solebat; Lactantius Instit. I 27. Kalendar. antiq. ap. Orellium Inscript. Lat. t. II p. 380. Grimmius l. c. tom. I p. 236 ed. 2. Eiusmodi navigium cum etiam apud Germanos numini offerretur (c. 40), hinc Isidem ibi coli Romani crediderunt. Theodiscum deae nomen *Holda* fuisse Grimmius suspicatus est, sed a vero aberravit. Nam *pars Suevorum*, de qua nunc Tacitus loquitur, sunt *Reudingi*, *Aviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones*, *Vithones*, qui *in commune Ertham, id est Terram matrem, colunt* (c. 40). Pro navigio c. 40 memoratur *vehiculum*, sed est navigium rotis instructum. *Ertha* igitur verum nomen deae apud Suevos modo enumeratos, et haec perinde atque Isis Aegyptiaca Terra mater sive Ops et Tellus Latinorum fuit.

nec cohibere — arbitrantur: cf. H. II 78: *est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. Nec simulacrum deo aut templum; sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam*; H. V 5: *Iudaei mente sola unumque numen intellegunt.*

lucos ac nemora (*Haine und Gehölze*): luci sunt nemora deis consecrata. Utraque iunxit etiam O. 9 et 12. Eiusmodi lucus fuit *Tamfanae templum* apud Marsos (I 51), *Baduhennae* apud Frisios (IV 73).

nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident. Auspicia sortesque ut qui maxime observant. Sortium 10
consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur isdem nemoribus ac lucis

5. *fortuito* P: nonnulli *fortuitu*. 6. *consuletur* P et alii: *consulatur* Rhenanus. 7. *coel.* P ut semper. 13. *iisdem* P.

secretum illud (jene geheime Idee): secretum h. l. participium est suspensum ex pronomine *illud*, non substantivi vice fungitur.

sola reverentia (nur in der Andacht); non corporis oculis sed animi, reverentis et colentis secretam et arcanam potestatem numinis.

Cap. 10. *auspicia sortesque* (*Vogelflug und Würfel*): *sortes* a serendo dictae quod sparguntur. Caesar I 50 et 53 nonnisi sortes data occasione commemoravit. Taciti huius rei descriptio prae ceteris plena et luculenta. *temere ac fortuito: temere* est nullo provisu consiliove spargentis, *fortuito*, ut casus et fors tulit.

si publice consuletur (wenn von Staatswegen die Frage gestellt werden soll): consuli de scrutanda deorum voluntate dictum, ut H. II 3: *Cinyradas sacerdos consulitur;* XIV 30: *hominum fibris consulere deos.* Absolute apud Cornelium Nep. in Miltiade 1: *consulentibus nominatim Pythia praecepit;* Tacitus H. II 4: *de navigatione primum consuluit.* Idem *consultare* dixit II 54: *numerum modo consultantium et nomina audit.* Olim non recte haec verba de publico consilio capiendo aut omittendo accepi, quam explicationem Rupertius et Doederlinius Orelliusque acceperunt. Obstant quae e contrario subsequuntur *sin privatim*, quae non nisi de numine a privato homine consulto apte intelligi possunt.

ter singulos tollit (erhebt dreimal einen (Würfel) *nach dem andern*): qui ter tollit, eum ter sparsisse sponte sequitur et talia Tacitus eloqui omittit. Prohiberi res de qua numen interrogatur, tum videtur, si bis vel ter signa adversa fuere, permitti ubi bis vel ter addicunt. Hanc rei explicationem approbat Caesaris narratio I 53: *is* (Valerius Procillus captus a Germanis) *se praesente de se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur an in aliud*

candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetractentur. Coëunt, nisi quid

1. *pressas* superscr. *o* et *a* puncto subnotato P. 4. *apud proceres* P cum plerisque: *sed apud proceres* Marcianus. 5. *istos* superscr. ab al. m. *illos* P. 6. *opservatio* P (ex *b* factum *p*). *explorătur* P (lineola super litt. *a* ab al. m. deleta est): ceteri fere omnes *explorant*. 13. *ꝑtractētur* P et sic plerique (*pertractentur*), *praetactentur* Farnesianus.

tempus reservaretur: sortium beneficio se esse incolumem. Aliter Orellius: 'nihil aliud est quam tres surculos tollit, non simul quidem sed unum post alterum'. Sed *ter singulos tollere* non est tres surculos deinceps tollere; neque *spargere* verbum videtur suadere, ut de tam exiguo numero surculorum apud Tacitum cogitemus. De Rugianis Saxo Grammaticus Histor. Danicae l. XIV p. 321 ed. a Stephanio: *nec sortium eis usus ignotus extitit. Siquidem tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium sortium loco coniectis, candidis prospera, furvis adversa signabant.*

nulla de eadem re in eundem diem consultatio: deos de eadem re eodem die non consultant, ut Romani qui in adversis auspiciis novas hostias mactare solebant, donec litarent. *auspiciorum adhuc fides:* fides (*Beglaubigung*) est approbatio quae auspiciis continetur. Genitivus est subiectivus qui vocatur. Aliter c. 39 *fides antiquitatis*, h. e. antiquitas ipsa approbata. Ceterum *auspicia*, ut saepe alibi, latius dicta sunt non solum de avium indiciis, sed etiam de iis quae ex equis et captivis sumuntur.

praesagia ac monitus: qui monent (*warnen*), plerumque rem aliquam dissuadent. *isdem nemoribus ac lucis: isdem* dum scribit, respexit paulo ante (cap. 9) dicta: *lucos ac nemora consecrant* (deis). Deorum conscios isdem lucis alunt, in quibus ipsos venerantur. Praesagia equorum etiam Persae observabant: Herodotus III 84—86, Iustinus I 10. A Persis candidi sacri alebantur: Herodotus I 189, VII 55.

Cap. 11. *de maioribus:* intellige bellum aut pacem, iudicum electionem, poenas capitales.

apud principes praetractentur:

fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. Ut turbae placuit; considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coërcendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum

1. *incidit* P cum plerisque: *inciderit* Hummelianus. 2. *auspicatissimam* in P invenit Massm. *inicium* P. 8. *tamen* (per comp. *tam̄*) P: alii *tum*. 10. *autoritate* P. 11. *magisquã* P.

principes faciunt προβούλευμα, ut senatus Atheniensium et patres in urbe Roma. *Praetractentur*, ut est cum levi vitio 'in codice Farnesiano, Muretus et Acidalius suo iudicio verum esse perspexerunt. Nam *pertractentur* diligentem et curiosam tractationem denotaret, qualem Tacitus Germanorum principibus vix tribuerit. Ac sane *ꝑtractentur* (= pertractentur) et *p̄tractentur* (= praetractentur) facile commutari potuerunt. *Praetractari* est ἅπαξ λεγόμενον.

fortuitum et subitum: fortuitum quod non praevisum a principibus, subitum quod celeri consilio tractandum est. *cum — inchoatur luna:* cf. Caesar I 50 extr.

nec dierum numerum — sed noctium computant: idem de Gallis Caesar tradit VI 18: *Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant. — Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Hinc in legum libris antiquis Germanorum noctibus tempora definiuntur, sed perperam eodem referuntur *Weihnacht* et *Fastnacht:* nam prius festum incipit tempore nocturno, *Fastnacht* autem appellatur ex tribus festis diebus extremus qui a tempore ieiuniorum excipitur, id quod nocturno tempore accidit.

sic constituunt, sic condicunt: constituunt in universum de tempore praefinito ad 'rem aliquam agendam dictum est; *condicunt* cum adversario iudicem adituri.

nec ut iussi: in opere simul evulgati (H. IV 76): *Germanos non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere.*

ut turbae placuit, considunt armati: considendi tempus et initium concilii non a praepositis, sed incerto multitudinis consensu definitur. Aliter Doederlinius: 'nullo ordine, non tribubus, non gentibus, non familiis discreti; contra quam in plurimarum nationum concionibus et in ipsorum adeo Germanorum proeliis usita-

12 adsensus genus est armis laudare. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti mulctantur. Pars mulctae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exolvitur. Eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

1. *assensus* P. 7. *supplicia abscondi* P, in mg. al. m. *flagitia*, ut ceteri. *et* cum lineola super *t* P. 8. *poenarum* P et ceteri: correxit Acidalius. *mulctantur* — *mulctae* P. 9. *ipsis* deleta *s* P. *vindicavit* litt. *vit* punctis subnotatis et superscr. ab al. m. *tur* P. 10. *exoluitur* P cum plerisque. *iisdem* P, et sic solet. 11. *pnceps* litteris *p* et *e* superscr. *i* et *i* P. 12. *autoritas assunt* P.

tum erat; vid. c. 7. Eo ipsum *turbae* h. e. multitudinis inordinatae, electum vocabulum ducit'.

frameas concutiunt: H. V 17: *ubi sono armorum — adprobata sunt dicta.*

Cap. 12. *corpore infames:* sunt qui corpore infamiam contraxerunt, h. e. qui libidinem admiserunt humanae naturae legibus contrariam, pathici et cinaedi. Cf. I 73: *Falanio obiciebat accusator quod — Cassium quendam mimum corpore infamem adscivisset.*

tamquam scelera ostendi oporteat: scelera (*Verbrechen*) quibus alii, sive civitas sive singuli, lacsi sunt, ostenduntur, ut exemplo ultionis ceteri deterreantur; flagitia (*Schandthaten*) quibus humana natura dedecoratur, abscondenda Germani censent.

sed et levioribus delictis pro modo poena: in iudicio publico aut causae capitales aut leviora in rem publicam delicta iudicantur; illae morte puniuntur, his pro modo delictorum poena irrogatur.

equorum pecorumque numero: quippe pecora et armenta solae et gratissimae Germanorum opes sunt.

principes qui iura per pagos vicosque reddunt: hi iudices non delicta vindicant, sed civilem iurisdictionem obeunt, h. e. controversias de possessione dirimunt et ceteras actiones civiles suscipiunt.

consilium simul et auctoritas: princeps apud Germanos consilio iudicum ita fere praepositus erat, ut Romae in quaestionibus perpetuis singuli praetores iudicum consiliis suo quisque praeerant, nisi quod illi de causis privatis hi de publicis et capitalibus iudicabant. Caesar B. G. VI 23 non-

Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi ar- 13
mati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant. Haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignitatem etiam adolescentulis adsignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur. Nec rubor inter comites aspici. Gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus

3. *Cũ* superscr. ab al. m. *Tum* et littera *C* transfixa P. 4. *propinqui* P et alii: *propinquus* Farnesianus et alii. 6. *rei.pu.* P. 7. *digtatẽ* litt. *i* superscr. inter *gt* (i. e. *dignitatem*, ut Arundelianus): plerique *dignationem*. 8. *assignant* P. 9. *aggr.* P. 10. *etiam ipse* P: nonnulli *ipse etiam*. 11. *emulatio* P.

nisi privata Germanorum iudicia recensuit: *in pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt.*

Cap. 13. *nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt:* cum armis veniunt in concilium et publica negotia tractant, armati per pagos iura dicunt; ad hos nomen *privatae rei* pertinet. Galli in conciliis belli suscipiendi causa habitis arma gestabant: Caesar V 56, VII 21. Antiquis temporibus etiam Graeci semper in armis: Thucydides I 6.

haec apud illos toga: arma data idem valent quod apud nos toga virilis: nam virilem togam intelligi proxima significant (*hic primus iuventae honos*).

etiam adolescentulis: in numero adolescentulorum qui suffecturi armis iam probati sunt.

ceteris robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur: ceteri robustiores et iam pridem probati sunt principes aetate et usu armorum robustiores et longo tempore probati. Cogitavit de pluribus comitum catervis cum suo cuiusque principe. Haec igitur scriptoris sententia est, principem adolescentulum cum suis comitibus sequi exemplum alius principis annis et armorum scientia praefulgentis. Qui *adgregatur*, non subiicitur (*coordinatur*, non *subordinatur*), sed auctorem et ducem ita tantum sequitur, ut eius exemplo et peritia utatur. Sic haec verba ut accipiamus, suadent proxima et contraria *nec rubor inter comites aspici:* his enim alterum et novum infertur. Theodisce: *auch bringt es* (anderseits) *keine Schande unter dem Gefolge zu erscheinen.* Etiam hoc de nobilibus dictum esse vix opus est ut moneam. Lipsii coniectura (*ceteri*) sententiam corrumpit evertitque. Doederlinii explicatio Tacitum reddit obscurum; dicit: ʻnobilissimorum filii etiamsi iam adolescentuli dignationem principis habent, vim tamen et munus principis non

primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profli-
14 gant. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi

2. *haec vires* (*c* transfixum) P. 9. *iam viro* P.

habent' (Tacitus contrarium narravit), 'sed plebeiis aggregati' (immo plebeii nulli in comitatu, sed nobiles omnes et equites) 'alium sequuntur, qui reapse princeps est et comitatum habet. Id non magis pudori fuit quam cum hodie regum filioli militant et salva generis fortunaeque dignitate tribunis parent, ut artem bellicam discant. Hoc unum illi privilegii habent, ut iam adolescentuli ac maturius ceteris in comitatum asciscantur et tirones veteranis comitum aggregentur et paulo reverentius habeantur. Quodsi hac ratione *dignationem principis* distinctam putaveris ab ipso principatu' (eam distinctionem Taciti verba non admittunt), 'non opus erit Lipsii emendatione *ceteri*'.

gradus quin etiam ipse comitatus habet: hoc bene tenendum, eo magis quod multi obliviscuntur tam interpretes quam qui de antiquitatibus et rebus gestis veterum Germanorum exponunt, in comitatu nonnisi *equestres* milites fuisse, a peditum plebe discretos, a principe in numerum amicorum et sodalium receptos, quos ex honestioribus familiis electos fuisse per se patet et a Tacito significatum est verbis *electorum iuvenum globo circumdari.* Comites equestri militia functos omnes fuisse ostendunt haec (c. 14): *exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum.*

expetuntur enim legationibus: ad insignem principem fortique comitatu instructum alii populi legatos mittunt, auxilium eius expetunt, munera offerunt. *ipsa plerumque fama bella profligant:* gens ab aliis bello petita si auxilium clari principis nacta est, idque fama celebratur, qui ante invasuri erant in sedes hostium, iam ab incepto desistunt. *Profligant* est *propellunt* (*verscheuchen*) sive ante se pellunt.

Cap. 14. *infame in omnem vitam ac probrosum — recessisse:* *infame* denotat maculam nomini et honori aspersam, *probrosum* convicia eam ob rem a ceteris audienda. Cum his non pugnare quae II 14 leguntur, *sine pudore flagitii, sine cura ducum abire fugere*, ad illum locum a me monitum est. Conf. annot. ad cap. 6. Ammianus XVI 12 §. 6: (rex Chnodomarius) *ultro se dedit solus egressus; comitesque eius ducenti numero et tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.*

suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum nonnisi vi belloque tuentur. Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et

2. *eius* om P. *assignare* P. 4. *ocio* P. 8. *tuẽtur* P et Vaticanus 1862 *tuent*^{s}*:* plerique *tueare.*

illum defendere tueri: additum *tueri* plus infert quam inest verbo *defendere:* nam hoc de arcendis hostibus in ducem ingruentibus intelligitur, tueri de quovis ad eundem servandum provisu et studio.

praecipuum sacramentum est: praecipua pars est sacramenti, vel in sacramento militari a comitibus praecipue spondetur. Pronomen *eius* in P excidit et fortasse iam in exemplari Fuldensi haustum erat, dum notae *eiq* pars prior post *gloriae*, altera ante *adsignare* periit.

petunt ultro eas nationes quae — gerunt: hoc contrarium est eius de quo c. 14 extremo: nam principes cum suo comitatu modo a populis bellum gerentibus expetuntur, modo ultro eos petunt. Eius rei exempla II 45—46 et 62, XI 16. H. IV 17, V 19.

magnumque comitatum — tuentur: recte se habet codicis P scriptura *tuentur*, qua fit ut narrare pergat Tacitus, non suam sententiam interponat. In antiquo exemplari videtur fuisse *tuẽt*^{s} vel *tuẽt':* hinc factum *tuentur, tueantur,* et illata correctione *tueare.*

illum bellatorem equum: bellator equus, ut *victor exercitus* III 74, XII 17; H. III 54, IV 46. Paullum abit H. III 83 *aderat pugnantibus spectator populus.* Virgilius G. II 145: *hinc bellator equus campo sese arduus infert.* Cicero Cat. mai. 5: (Ennius) *equi fortis et victoris* (senectuti) *comparat suam.* *largi tamen apparatus:* *apparatus* mensae dixit, quos in Annalibus III 52 et 55 *paratus* appellavit. Cicero de Off. I 8: *delectant etiam magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia et copia.*

expectare annum: anni proventum breviter annum dixit, ut in Agricola 31: *ager et annus in frumentum.* Lucanus III 452: *agricolae raptis annum flevere iuvencis.* *vocarę hostem:* est hostem provocare ad pugnam, ut H. IV 80: *neque ipse deerat adrogantia vocare offensas.* VI 34: *Oroden — Pharasmanes vocare ad pugnam.* Praeiverat Virgilius G. IV 76: *magnisque vocant clamoribus hostem.*

Cap. 15. *multum venatibus, plus per otium transigunt*: codices *non multum venatibus.* Negationem de-

raptus. Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri. Pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere quod possis sanguine parare.

15 Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque, fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armento-

3. *quin imo* P. *adq̄rere* P. 5. *non multum* P et ceteri. 6. *ocium* P. 8. *foeminis* P. 9. *habent* P: *hebent* ex Vaticanis tres et alii. *mira diversitate* (utrique voc. superscr. ab al. m. *m*) P.

levit Lipsius, nisus illo Caesaris B. G. VI 21: *vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei bellicae consumitur.* Idem IV 1: *multum sunt* (Suevi) *in venationibus.* Aliud ac validius Lipsii argumentum in usu et ratione positum est: quippe gentes acres feraeque, ubi silvarum copia, venatui deditae esse solent. Addo hoc, ab ipso Tacito (IV 72) *ingentium beluarum feraces saltus* apud Germanos, sed *modica domi armenta* tradi. Illud *nihil agens* intelligendum de opere domestico et agresti, non de venatu. Sed ex recentioribus huius scriptionis interpretibus multi dicunt Caesarem Tacitumque diversa tradere de eadem re posse: possunt sane, sed credi nequit eos in hac re, quae tam facile explorari potuit, diversa rettulisse. Praeterea reputandum, si *non multum* apud Tacitum legamus, eum qui primum de Germanorum moribus exposuit, vera, alterum qui multis annis post idem argumentum longe deligentius et plenius tractavit quique certiora afferre potuit, aut falsa aut ea quae nullam probabilitatis speciem habent, narrasse. Alii de bellicosissimis haec dici recte animadvertentes, hos a venatu fere abstinuisse, infirmissimum quemque ei negotio operam dedisse putant. Sed rursus credi non potest fortissimos ab opere viris rei bellicae studiosis dignissimo abstinuisse et vulgo hanc rem delegasse, quod ipsum pugnat cum Taciti verbis. Nam infirmissimo cuique ac senibus non venatus cura sed domus et penatium et agrorum delegata erat. Itaque, si tenemus *non multum*, ingentem ferarum multitudinem, quas silvae Germanicae alebant, securam fere otiosamque apud Germanos degisse Tacitus enarravit. Verbo moneri sufficiet Persas, quorum mores in multis rebus Germanicis similes sunt, nulli rei magis quam venationibus operam dedisse. Originem vitii monstrat libri P scriptura *nō multū:* quippe *nō* natum est ex littera *m* perperam repetita.

conferre principibus vel armentorum vel frugum: partis notionem praepositio verbo suppeditat, et *conferre* nunc idem quod Graece μεταδιδόναι τινί τινος. Liberius illud quod legimus XV

rum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque. Iam et pecuniam accipere docuimus.

16 Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi. Ne caemen-

3. *sed et* P et Stuttgardiensis: ceteri *sed.* 11. *cementorum* P.

53: *ut quisque audentiae habuisset*, de quo v. annot.

gaudent praecipue — donis: praecipuum alendi comitatus adiumentum e donis finitimarum gentium nanciscuntur. Cf. annot. ad cap. 5.

sed et publice mittuntur: etiam civitatum nomine eiusmodi dona mittuntur aut concordiae causa, aut ob auxilia a principibus olim lata, aut in spem opis ob illis quondam nanciscendae. *iam et pecuniam accipere docuimus:* consentit cum his quod Tacitus H. IV 76 memoravit.

Cap. 16. *nullas Germanorum populis urbes habitari*: urbes sunt ubi senatus et regimen in ceteros; eae in Germania vetere nullae: *oppida* perpauca fuere, ut *Mattium* Chattorum I 56: *Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum.* Tale etiam Marobodui oppidum aut castellum in Hercyniae latebris, de quo Tacitus II 62 et Strabo VII 1 3, item illud in quo Segestes cum suis circumsedebatur (I 57).

ne pati quidem inter se iunctas sedes: inter se pendet a v. *iunctas.* Primum de aedificiis singulis et discretis refert, qualia etiamnum in multis Germaniae partibus reperiuntur (*Schulzenhöfe*), mox ad *vicos* pervenit.

materia ad omnia utuntur, informi: commate discrevi verba *informi — delectationem.* Nimirum *materia* est lignea et contrarium iis quae proxime dicta erant deesse Germanis *caementa* et *tegulae.* Haec ipsa certius describitur inde a verbis *informi* cet. Theodisce convertas: *Holz brauchen sie für alle Theile, unförmliches und ohne Rücksicht auf Schönheit oder Anmuth.*

terra ita pura ac splendente: argillam rubricam (*Röthel*) videtur dicere. Hanc etiamnum videre licet ornandis aedificiis adhibitam in iis Germaniae locis ubi simplices et prisci mores obtinuerunt.

solent et subterraneos specus aperire: aperire (*erschliessen*) est facere aperienda humo, ut dicit Doederlinius.

quippe rigorem: vulgata *quia rigorem — molliunt* non apta est sententiae scribentis. *Causam* enim cur specus subterraneos recludant

torum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur, informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quippe rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

17 Tegumen omnibus sagum, fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut

3. *illinunt* P. 4. *liniamenta* P. *supterraneos* P. 6. *quippe* editor: P *qa*, vulgo *quia*. 10. *figula* P, ceteri *fibula*. 11. *iusta* P. 12. *distinguntur* P.

eosque multo fimo onerent, ipsa verba *suffugium hiemi et receptaculum frugibus* continent. Post haec non enuntiatum *causale* subsequi debuit, sed *explicativum* quo exponeretur quomodo specus subterranei sint suffugium hiemi et receptaculum frugibus. Haec explicatio duobus enuntiatis comprehenditur, quorum uno *suffugium hiemi*, altero *receptaculum frugibus* declaratur. Quippe quando rigor frigorum gravius urget, in eos specus sese recipiunt, h. e. rigorem frigorum molliunt. Rursus ubi hostis advenit, fruges in specus sub terra abscondunt. Quapropter opus est particula explicativa et talis est *quippe*. Haec ipsa ex *q̄pe* corrupta in *qa*, ut est in libro P, dum in aliis *qui* vel *quae* aut *quia* prave correctum est.

eo ipso fallunt quod quaerenda sunt: dum hostis quaerit ubi nihil est eoque tempus perdit, pauca illa et fida receptacula latent ipsum et effugiunt (*λανθάνει καὶ διαφεύγει*). Conf. III 10, XI 12, XIII 13, XV 66. H. II 34, III 53. Horatius Carm. III 14 19: *Spartacum si qua potuit vagantem fallere testa.* Adde eiusdem Carm. I 10 16, IV 4 52; Ep. I 5 31. Idem posuit hoc verbum Epist. I 16 54: *sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.*

Cap. 17. *tegumen omnibus sagum: tegumen* (*Gewand*) dixit vestem exteriorem, quae apud Romanos toga, apud militem *sagum* (*Kriegsmantel*): eandem in feminis Germanorum *amictum* vocavit hoc capite extremo. *cetera intecti:* cetera intellige pedes et caput.

locupletissimi veste distinguuntur: solita Romanis domi *vestis* tunica fuit. Etiam h. l. *vestis* non est sagum sed tunicae species. Plebs sagis dum contenta est, locupletissimi veste vel tunica distinguuntur. Errant autem qui commatis notam post *distinguuntur* omittunt, in quibus video Massmannum: nam verba *non fluitante* — *exprimente* accedunt ad describen-

Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum 18
partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.

2. *ferunt* superscr. ab al. m. *g* P. 6. *foeminis* et statim *foeminae* P, qui ita solet. 10. *ullăru*, sed expunctis litt. *ru*, P.

dum vestis habitum, quae luculente ostendunt, haec accipienda esse de interiore veste (*Leibrock*, *tunica*, *χιτών*).

eligunt feras: h. e. non cuiusvis generis ferarum pelles adhibent, sed electas: *sie treffen eine Auswahl unter dem Wild.* Doederlinius mutata distinctione coniunxit *exquisitius* — *eligunt*, sed vetus ordo praeferendus ob contraria (gerunt) *negligenter* — *exquisitius.* Ulteriores exquisitius ferarum pelles gerunt, quod his unis uti possunt. *Proximi ripae* sunt qui ad Rhenum et Danubium colunt.

spargunt maculis pellibusque: *pellibusque* dedit pro *pellium* ne genitivi concurrant; *spargere* est *ποικίλλειν.*

feminae saepius lineis amictibus velantur: quae in plebe saga, idem in feminis amictus linei; hos, non tamen omnes feminae in Germania sed proceres tantum, idque Tacitus legentibus ex natura rei supplendum reliquit, clavo purpureo (*purpura*) variare solent. Plinius XIX 2: *iam quidem et transrhenani hostes* (vela texunt lino): *nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere. — In Germania autem defossi atque sub terra id opus agunt.*

in manicas: hoc est ut fiant manicae (*Aermel*). Vestis *superior* quae superiorem corporis partem tegit.

Cap. 18. *quamquam severa illic matrimonia:* particula *quamquam* modo in pendente enuntiato (*καί περ*), modo in libero et per se constante (*καί τοι*). Altera ratio et hoc loco obtinet et O. 28, ubi cf. annot., ac narrator falsam opinionem in Romano lectore ex proximis facile emergentem ea voce repellere voluit.

ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur: caute scripsit *plurimis nuptiis ambiuntur*, non *plurimas nuptias ineunt.* Nam *plures* nuptias si nobilibus Germanorum in hoc

Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes ac propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque.. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro adfert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. Hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus

2. *ac prop.* P: vulgo *et prop.* 5. *inuicem* P. 6. *affert* P. 9. *incipientibus* P.

fido testimonio libenter concedimus, *plurimas* tamen probi et simplices populi mores vix concesserint, neque id Tacitus tradere voluit, immo nobiles expeti maritos filiabus suis a plurimis parentibus. Ambientes sunt parentes, qui ambiuntur nobiles. *Nuptiis* dativus est. Theodisce: *die wegen ihres Adels für gar viele Verbindungen umworben* (gesucht) *werden.* Cf. Virg. Aen. VII 333: *connubiis ambire Latinum.* Consentit memoria rerum. Duae Ariovisto uxores (Caes. B. G. I 53), una Civili (H. IV 79). Hinc consequitur verba *qui non libidine* liberius iuncta esse cum sequentibus, unde notio his petenda *plures uxores ducunt.* Quae si vere sunt exposita, non probanda Doederlinii explicatio: '*se circumdant* tanquam ornatu et per affinitates etiam praesidio'. Apud Tacitum *ambiri* nusquam pro *se ambire* sive *se circumdare* admissum reperitur.

munera — quaesita: est *ἐπαναδίπλωσις* quae gravitatem narrationi conciliat, nec cogitandum de temeraria repetitione, ut visum Bernhardyo apud Doederlinium.

boves et frenatum equum — gladioque: equi mentio et gladii (cf. c. 6) argumento est respici a Tacito nuptias honestiorum et nobilium, non plebis.

in haec munera uxor accipitur: ἐπὶ τούτοις τοῖς δώροις, ut haec dona tractare possit. Scilicet ipsa mulier bobus arat (c. 15) virumque in bellum comitatur (c. 7 et 8).

haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur: generosus liberi ingenii spiritus. 'Comparat simplicitatem nuptialium apud Germanos rituum, profanam specie, effectu autem validissimam ad tuendam coniugii sanctitatem, cum operosis illis et sanctissimis Romanorum caerimoniis et auspiciis et coniugalium deorum invocationibus, quas tamen contemptus matrimonii et adulteria et divortia sequi solerent'. Doederlinius.

quae liberis inviolata ac digna reddat: ad v. *digna* ex proximis ablativus *liberis* facile suppleri

accipiant, rursusque ad nepotes referantur. Ergo saepta 19
pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena praesens et maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. * * * Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet,

1, *septa* P (non *saepta*, ut narrat Orellius): *septae* Arundelianus. 2. *illecebris* P, et statim *irrit.* 5. *accisis* P et alii: nonnulli *abscisis*. 7. hiatus signum ab editore est.

potest, quibus ut digna sint inde quod *inviolata* manserunt, sponte efficitur. Reddit arma liberis suis sponsas accipientibus, hi coniugibus sive matris nuribus.

rursusque ad nepotes referantur (und weiter an die Enkel überkommen): nepotes intellige filios earum quae modo *nurus* vocatae sunt, nepotes eorum quos ipsa soceros habet, cum uxorem ducturi sunt: quippe ad primos qui coniugium ineunt cetera referuntur. Tacitus igitur tres, ut nos dicimus, generationes composuit. Mire Doederlinius et Massmannus pravam scripturam *rursus, quae,* non solum a P sed ab optimis quibusque codicibus spretam, in verborum contextum receperunt.

Cap. 19. *saepta pudicitia agunt*: ita agunt ut pudicitia a quovis libidinis impetu defensa et discreta maneat. Contrarium vocis *saepta* est *aperta* et *vulgata*. Alia imagine Livius scripsit III 4: *postquam omnia pudore saepta animadverterat.* Apud Iac. Gronovium (t. II p. 577) ex Arundeliano affertur *septae*, scriptura interpolata.

litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant: intellige viros ac feminas matrimonio iunctas. Hi ubi secreta litterarum committunt, illicita eos machinari praesumitur. Rem ipsam, h. e. illicitos amores, quia non admittunt Germani, etiam secretum illud litterarum commercium ignorant.

quorum poena praesens et maritis permissa: *praesens* est statim post commissum flagitium. Non idem est quod Caesar tradit de Gallis VI 19: *viri in uxores sicuti in liberos vitae necisque habent potestatem.* *accisis crinibus*: nihil mutandum in hac meliorum librorum scriptura. Crines enim ignominiae causa *acciduntur.* Id cum aliis parum videretur, *abscisis* substituere.

publicatae enim pudicitiae nulla venia: de adultera haec dicta esse non possunt. Ei enim cum gravissimam poenam a marito adhiberi modo expositum esset, nullam veniam concedi sponte liquet. Tum in adultera pudicitia *adulteratur*, in virgine *publicatur*, id est non continetur intra castitatis virginalis terminos et munimenta, sed communicatur cum aliis. Postremo de adultera non apta est admonitio, eam non forma, non aetate invenire maritum: immo ipsa maritum iam invenit, sed flagitio amisit. De hac igitur dici debuit novum maritum ei non contingere. Quae omnia ostendunt

nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur; plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur,

excidisse versum de *virginibus* positum et in hunc fere modum restituendum: *puellae caste vivunt ac severe habentur: publicatae enim* cet. Scriba a nomine *puellae* aberravit ad verbum *publicatae* compendio expressum. Nimium autem de pravitate morum apud Romanos narrat Doederlinius: 'Romanorum comparando arguitur pravitas, inter quos nobiles etiam virgines *licentiam stupri apud aediles vulgabant* (vid. Ann. II 85), ac tamen maritos inveniebant'. Hoc neque a Tacito traditum est neque apud alium scriptorem legitur.

non aetate: aetas intelligitur iuvenilis et viridis, ut saepe apud Latinos scriptores, praecipue comicos poetas. Nunc ille significatus ex adiunctis agnoscitur. *seculum vocatur:* seculum breviter et cum vi dictum pro seculi moribus. Seneca Ep. 39 extr.: *tunc autem est consummata infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent. Et desinit esse remedio locus, ubi quae fuerant vitia mores sunt.*

melius quidem adhuc eae civitates: cf. I 43: *melius et amantius ille qui gladium offerebat.* Particula *adhuc* augendi notionem habet, ut c. 29: *nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.* Etiam apud Romanos in honore *singularia* matrimonia: Livius X 23. Paulus ex Festo s. v. *pronuba: pronubae adhibebantur nuptiis quae semel nupserunt, causa auspicii ut singulare perseveret matrimonium.* Servius ad Virg. Aen. IV 166: *Varro pronubam dicit quae ante nupserit quaeque uni tantum nupta est: ideoque auspices deliguntur ad nuptias.* Idem ad IV 19: *repellebantur a sacerdotio bis nuptae.* *semel transigitur:* cf. A. 34.

ne ulla cogitatio ultra: conf. ad O. 1.

numerum liberorum finire aut — necare: finire est *terminare* et *definire*, ut XIII 38, h. e. constituere quot tollendi sint et educandi. Nam de hac terminatione, non de abstinentia coniugum, sermonem esse monstrant quae proxime sequuntur *aut quemquam ex agnatis necare:* nam ibi *agnati* sunt qui super numerum finitum nascuntur; cf. H. V 5: *necare quemquam ex agnatis nefas* (apud Iudaeos). *quam alibi bonae leges:* universe et indefinite respicit legem Papiam Poppaeam, de qua v. ad III 25.

Cap. 20. *nudi ac sordidi: nudi* dictum de cultus et vestitus inopia (cf. ad c. 6 et 17), *sordidi* de munditiae defectu, non de parciore victu et alimentis, ut accepit Doederlinius. *in hos artus, in haec corpora:* praepositio et casus accusativus effectum denotant, *ut hi artus (Gliedmaas-*

excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas: pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmius et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi; et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior adfinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

2. *aut nutr.* P et *Δ* et Monacensis: alii *ac nutr.* 3. *pectora*, sed *t* puncto subnotatum, P. 8. *apud* (per comp. *ap̄*) *patrem* P et alii: plerique *ad patrem.* 9. *arctioremque* P. 10. *tăquâ et ĩ aĩum* P (de hoc falsa rettulit Orellius), eademque aut similia plerique. 14. *affin.* P. 15. *precia* P.

sen), *haec corpora fiunt;* cf. ad c. 26.

nec ancillis aut nutricibus delegantur: bonis rei Romanae temporibus idem mos in urbe et Italia: mox deterior invaluerat. O. 29: *nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae* cet.

donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat: aetas separat ingenuos, cum ipsi suffecturi armis a civitate probantur (c. 13), mox bellum et venatum obeunt aut domi nihil agunt, servi servilia officia tractant. Virtus agnoscit ingenuos non tamquam ingenuos sed ut viros fortes: fortes autem nonnisi in liberis hominibus esse praesumuntur. Praeferenda vetus distinctio ei quam Thierschius et Doederlinius commendavere, *donec aetas separet, ingenuos virtus agnoscat.* De coniunctivo cf. ad c. 1.

sera iuvenum venus: venus est veneris usus (*Liebesgenuss*), et ita saepe dicitur *abstinere a venere* aut *uti venere.* Consentit Caesar B. G. VI 21: *qui diutissime impuberes manserunt, maximum inter suos ferunt laudem; hoc ali staturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant. Intra annum vero vicesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus.*

pares validaeque miscentur: vocabulum *pares* item ut *validae* de virginibus dictum, ut sit *pariter validae; misceri* est se miscere, ut Graecum *μίσγεσθαι*. Theodisce: *gleich kräftig gesellen sie sich dem Gatten zu.*

robora parentum liberi referunt: referunt natura sua et firmitudine. Cf. 43: *Marsigni et Buri sermone cultuque Germanos referunt.* De imitatione per artem posuit Livius

21 Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes: proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hospitis, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi in vicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur. [Victus inter hospites comis.]

5. *iusta* P. 6. *ospiciis* (non *ospitiis*) superscr. *h* P. *aliqua* P. 9. *ospès* et *ospitii* P, utrobique superscr. *h*, perinde paulo post. 12. *poposceris* P: correxit alia m., et sic (*poposcerit*) ceteri, excepto Vatic. 1862 qui *poposcerunt*. 13. *inuicem* P. 14. glossam seclusit editor.

X 7: *rettulisse dicitur Decius parentis sui speciem* cet. *Robora* sunt robustae corporum formae.

quidam sanctiorem — latius teneant: hoc a nonnullis ducibus (fortasse a Ceriale, cum foedus sanxit cum Civile et sociis) et imperatoribus observatum Tacitus videtur probasse ideoque rei causam explicuisse, ut imitandum id posteris suaderet.

tamquam et animum: in quod in libris scriptis ante *animum* legitur, ex priore versu (*in accipiendis*) perperam repetitum est.

tanto gratiosior senectus — pretia: Romae senectus orborum gratiosa erat ob spem testamenti in multis excitatam et ab his ambiendo colendoque ostensam. Cf. annot. ad III 25.

Cap. 21. *recipitque satisfactionem universa domus:* h. e. tota familia cui illata iniuria est aut mors, postquam homicidium expiatum est certo armentorum vel pecorum numero, sibi satisfactum esse profitetur. Non vere Rupertius *recipit* interpretatur *in se recipit*, adversante usu sermonis.

convictibus et hospitiis: convictus inter amicos et cives, hospitia cum hospitibus ac peregrinis. *quemcumque mortalium:* h. e. aliquem mortalium, quicumquę est. *quantum ad ius hospitis:* conf. A. 44: *quantum ad gloriam.*

victus inter hospites comis: victus est quo vita sustentatur, Graece *βίος*, Theodisce *Unterhalt.* Sic c. 46: *victui herba, vestitui pelles.* Non quidem apud Tacitum, sed tamen apud alios scriptores Latinos idem nomen aliquoties *vivendi modum* (*Lebensweise*) denotat, de quo v. Forcellinii lexicon, ubi

Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, 22 lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis adfinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in

1. *statī eīm sono* litteris *im* punctis subnotatis et *e* corr. ab al. m. P, unde alii *statim e somno.* 7. *transfiguntur* P. *et* P et alii: plures omittunt. 8. *inuicem* P. *inimicis* P cum plerisque: Arundelianus et Turicensis et Vindobonensis *inimicitiis.* *affin.* P.

laudantur Caesar B. G. I 31, Cicero de Inv. I 25, Cornelius Nepos in Dionis vita c. 4. Iam sive priorem significatum nunc admiseris, sive alterum, adiectivum *comis* ineptum erit. Id qui dedit, *victum* valere *convictum* falso credidit. Itaque haec, id quod primus suasit Ernestius, a Tacitinis segreganda curavi. Nam postquam Germanorum in hospites comitas praeclare iam exposita est, ita ut legentium oculis quasi subiecta repraesentetur, plane intolerabile videtur eandem his verbis tam nude significari, licet insolitam nominis *victus* vim non premere vel non curare velimus. Sed si inertis repetitionis crimen Tacito quis velit obtrudere, tamen ea verba huic loco minime conveniunt. Nam a verbis *abeunti*, *si quid poposcerit*, usque ad *acceptis obligantur* iam non de comi apud Germanos hospitum convictu, sed de liberalitate erga hospites abeuntes et in vicem poscendi facilitate expositum est. Accedit igitur locus alienus ad convincendam alienae manus temeritatem. Ascripta erant haec verba antiquitus in margine perantiqui cuiusdam libri, ut argumentum loci indicarent: hinc a recentiore scriba extremo capiti applicata sunt. Corruptionis faciem haec non ferunt, et in Mauro lavando inutilis opera consumitur. Thierschius et Doederlinius admissa transpositione tentarunt: *pari humanitate excipiuntur. Victus inter hospites comis*; *notum* cet. Manet offensio significatus in nomine *victus*, ne quid dicam de remedii violentia. Trossius: *victus inter omnes pariter communis.* Si hoc accepit *inter omnes civitatis homines*, nihil falsius est, si *inter omnes hospites*, nihil magis supervacaneum. Lachmannus coniecit: *vinculum inter omnes comitas.* Vix putaverim a comitate barbaros suos laudare Tacitum voluisse.

Cap. 22. *separatae singulis sedes et sua cuique mensa:* Posidonius Stoicus apud Athenaeum IV 36 p. 151 E: *Κελτοὶ* (Galli et Germani) *τὰς τροφὰς προτίθενται χόρτον ὑποβάλλοντες, καὶ ἐπὶ τραπεζῶν ξυλίνων μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπηρμένων.*

simplices cogitationes: simplices sunt verae ac nulla simulatione aut dissimulatione infectae (*aufrichtige Gesinnung*). H. I 15:

conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia loci. Ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non
23 possunt. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus: proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac

3. *adhec* P: *adhuc* plerique. 4. *ioci* superscr. 'vel *loci*' P, ut Hummelianus et Stuttgardiensis et Monacensis. 5. *retretactur* superscr. *a* P.

ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur. I 69: *non enim simplices eas curas.* H III 85: *inerat tamen simplicitas et liberalitas.*

gens non astuta nec callida: astutus est natura, callidus multarum rerum peritia.

aperit adhuc secreta pectoris licentia loci: particulam *adhuc* iunge cum v. *secreta pectoris*, h. e. quae adhuc pectore clausa erant. Pontanus discernere nequivit utrum in *ἀρχετύπῳ loci* an *ioci*, et hinc in paucis illud, in plurimis hoc expressum est. Iocatos esse in conviviis Germanos Tacitus non tradit, immo animi sui sententiam sine velamentis protulisse de rebus gravibus et seriis. De diversis Romanorum moribus haec monuit Passovius: 'singula fere huius capitis verba institutis Romanis opposita sunt. Surgebant Quirites ante lucem, lavabantur post pilam; iunctis sedibus coenabant; ne quis in urbe cum armis esset, legibus XII. tabularum cautum erat; ante lucernas potare ignominiosum habebatur; per convivia denique mutua diffidentia regnabat'.

Cap. 23. *in quandam similitudinem vini corruptus:* corruptus est fermento mutatus; *in quandam similitudinem* valet ut quaedam fiat similitudo. *Οἶνον ἐκ κριθέων πεποιημένον* apud Aegyptios Herodotus invenit (II 77). Plinius XXII 82: *ex isdem* (frugibus) *fiunt et potus, zythum in Aegypto, celia et ceria in Hispania, cervisia et plura genera in Gallia aliisque provinciis.*

proximi ripae et vinum mercantur: mercantur a Romanis in sinistra Rheni, in dextra Danubii ripa. Alia Suevorum instituta temporibus Iulii Caesaris, qui de his B. G. IV 2: *vinum ad se omnino importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.*

agrestia poma: quae in agris nascuntur, non in hortis praecipua cura coluntur.

recens fera (frisches Wild): statim ut capta est, fera ad edendum apparatur. Non cocta carne vesci Germanos Tacitus certe non indicavit, tradidit Pomponius Mela III 3 2, qui rem in maius vero auxit. Aliter Posidonius l. c.: *ἡ τροφὴ δ'ἐστὶν ἄρτοι μὲν ὀλίγοι, κρέα δὲ πολλὰ ἐν ὕδατι καὶ ὀπτὰ ἐπ' ἀνθράκων ἢ ὀβελίσκων.* Taci-

concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. 24
Nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robu-

2. *indulxeris* superscr. *s* P. 8. *questum* P. 9. *precium* P. 11. *defecerint* P et Turicensis: ceteri *defecerunt.* 12. *ac de*] *et de* tacite Lipsius. 13. *iuuenĭor* P.

tus dum recentem feram nominavit, diversum apud suos morem spectavit. Cf. Horatii Serm. II 8 6: *in primis Lucanus aper* (*leni fuit austro captus, ut aiebat coenae pater*).

si indulseris — vincentur: hoc scripsit, respiciens maius opus cum hoc exiguo simul editum, et quod ibi (H. IV 79) traditum a se erat de cohorte Chaucorum Tolbiaci interfecta, dum haec indulget ebrietati, exemplum ostentans aliis ducibus imitandum. Aliud ebrietatis Germanorum exemplum narravit in Annalibus I 50.

Cap. 24. *nudi iuvenes: nudi* h. l. qui cingulo tantum circumdati sunt. *quibus id ludicrum est: id* subiectum est, respiciens *inter gladios — se iaciunt*, ludicrum praedicati nomen (*für welche das ein Spiel ist*). *Infestae frameae* sunt, quarum mucrones in corpora saltantium directi sunt.

non in quaestum tamen aut mercedem: haec pendent ex notione quae inest proximo v. *paravit.* Non ideo se exercuere, artemque et decorem quaesivere, ut ipsi lucrum facerent aut ab iis qui munera ederent mercede conducerentur. Non bene offendit Doederlinius et transpositio verborum ab ipso commendata non desideratur. Contrarium proximo enuntiato effertur; ibi *quamvis* pendet ab adiectivo nomine *audacis.*

inter seria: inter ea quae serio tractantur, h. e. tamquam rem seriam exercent.

cum omnia defecerunt: in P *defecerīt* ex compendio *defecerūt* detortum est; cf. c. 21 *cum defecere.* Ab hac forma nunc abstinuit propter vocem proximam a vocali inchoatam.

postremo ac novissimo iactu: postremus est qui seriem claudit, idem novissimus, quatenus ex omnibus unus reliquus.

quamvis iuvenior: quamvis iuventa, h. e. iuventutis vigore viribusque praestantior. Quod ut

stior, adligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exolvant.

25 Ceteris servis non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit; et servus hactenus paret. Cetera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coërcere rarum. Occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat

1. *alligari* P. *ueīre* P. 2. *cōdicioīs* P. 5. *ministris* superscr. ab al. m. *teriis* P. 7. *ut servus* superscr. ab al. m. *et* P. 10. *impune ē* (= *est*) P cum plerisque. 11. *liberti — argumentum sunt*] in P haec in fine demum c. 26 a prima manu scripta sunt, sed etiam hic in inferiore margine; signo ad *impune est* posito, ascripta sunt atramento dilutiore et omissis *et super ingenuos* quae altero loco c. 26 non desunt, cum admonitione 'in hoc loco potius'.

exprimeret narrator, formam rariorem videtur elegisse. Haec in duobus exemplis, quae Forcellinius attulit ex Plinii Epist. IV 8, Apulei Metam. VIII, nihil differt a vulgata et contracta *iunior*.

Cap. 25. *ceteris servis — utuntur:* a servis qui venum dantur ad eos venit quibus ipsi utuntur. Sententia est *ceteris servis utuntur, sed non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis*. Massmanni coniectura ab ipso dubitanter proposita (*ceterum*) non opus est.

ut colono: ut ei qui agrum a possessore colendum conduxit. Similes servi Germanorum clientibus Romanorum priscis rei publicae temporibus. *cetera domus officia:* narrat *vernas*, h. e. servos domi natos et habitos, Germanis non fuisse, denique ministros qui domestica munia curarent, defuisse. *Domus* vocatur heri aedificium et opponitur *penatibus* servi in agro huic assignatis.

opere coërcere: *opere* idem valere atque *opere laborioso* ex adiunctis clarum est. Respicit poenas servorum apud Romanos, quibus dabantur in metalla aut in pistrinum.

non disciplina et severitate: non ut ceteri servi conservi sui supplicio discant parere et vitare quod gravi poena ultus est dominus. *Disciplina et severitate* idem quod H. I 51 *severitate disciplinae.* O. 28: *si prius de severitate ac disciplina maiorum — pauca praedixero.* Scilicet disciplina aut pueris aut servis aut militibus adhibetur.

nunquam in civitate: notavit diversum apud Romanos morem malis sub principibus. Conf. XIV 39.

iis gentibus quae regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

Fenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque 26
magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis in vicos occupantur, quos mox inter

1. *quae*] P hoc loco q̃, altero *que*. 3. *sunt*] s't P. 6. *in vicos* editor: ĩuicẽ P, alii *in-uices* aut *uices* aut *uicis* aut *uice*.

impares libertini: impares ingenuis et nobilibus. Doederlinius intelligit *impares reipublicae capessendae*, sed nihil adest unde hoc cogitatione suppleatur.

Cap. 26. *fenus agitare — vetitum esset: fenus agitare* est pecuniam ita credere alteri, ut inde *fenus* sive fructus accedat, qui usuris continetur. *In usuras extendere fenus* significat fenus acquiri ex ipsis usuris, h. e. agitari ἀνατοκισμὸν (Zinswucher), quod vetitum apud Romanos. Nomini *ignotum* inest vis negativa, ideoque verbum *servatur* (h. e. *observatur*, ut I 80, IV 50) ita refertur ad praecedentia *fenus agitare et in usuras extendere*, ut negatio his adiuncta cogitetur. Quippe observant Germani ne fenus agitent neve in usuras extendant.

agri pro numero cultorum ab universis in vicos occupantur; fundamentum lectionis est in libro P *ĩuicẽ*, unde ceteri *invicem* sive *in vicem*, alii *inuices* sive *in uices*, alii *vices* aut *vicis* aut *vice*, et hinc statim intelligitur *per vices*, ut in multis editionibus legitur, omni auctoritate carere et prorsus improbandum esse. Idem dicendum de varietatibus in quibus omittitur praepositio. Ipsum autem *in vicem* recte se habere nequit. Nam *in vicem* indicat fieri aliquid aut praestari ab utraque parte, respondens Theodisco *gegenseitig*. Sic cap. 18: *atque ipsa in vicem armorum aliquid viro adfert;* 22: *de reconciliandis in vicem inimicis — consultant.* 37: *medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna.* Idem usus Taciti in ceteris operibus. Nunc autem cum de duabus partibus nihil dictum sit, *in vicem* plane obscurum est et tolerari nequit. Equidem ex *uicē* facio *vicos*, quod in ἀρχετύπῳ *uicō* exaratum fuisse suspicor. Iam *in vicos* idem est quod *ut fiant vici*, quae accusativi effectum denotantis significatio Tacito admodum familiaris est et frequens, veluti *in mortem* pro eo quod *ut mors consequatur*, *in monumentum* pro *ut monumentum aedificetur.* Eiusmodi exempla etiam in Germania non rara. Cf. 20: *in hos artus, in haec corpora — excrescunt;* 17: *partemque vestitus superioris in manicas* (ut manicae fiant) *non extendunt;* 44: *nec remos in ordinem* (ut ordo fiat) *lateribus adiungunt;* 45: *mox ut in picem resinamve* (pix ut fiat resinave) *lentescit;* 46: *in medium* (ut medium sit) *relinquam.* Quamobrem *agri — ab universis occupantur in vicos* hoc est, ab universa natione vel civitate partes agri terram occupantibus ita assignantur et dividuntur, ut numerus quidam vicorum designetur et cuique ex his sua portio attribuatur. Ipsi vicorum condendorum cultores agros sibi delegatos secundum dignitatem inter se partiuntur (*quos*

se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praebent. Arva per annos mutant; et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et

2. *prebent* P, *praebent Δ: prestant* superposito 'vel *prebent*' Vaticanus 1862, *praestant* plerique. 4. *laborar̃* superscr. *labor̃* P. *ut hortos* superscr. ab al. m. *et* P. 6. *spēs* P.

mox inter se secundum dignationem partiuntur). Nimirum *vicis* totius Germaniae civitates dispergebantur, *urbes* non habebant. Lege c. 16: *nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; — Vicos locant, non in nostrum morem connexis — aedificiis;* 12: *eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt;* 19: *expellit* (adulteram) *domo maritus ac per omnem vicum verbere agit*. Restat ut ostendam neque *in vices* neque *in vicis*, quae discrepantiae lectionis alioqui ad traditam scripturam non minus prope accedunt quam *in vicos*, ad ceteram sententiam convenire. Occupare agrum *in vices* est ita occupare *ut vices fiant* sive mutatio. Quae mutatio si accipitur de sedibus post aliquod tempus mutandis et novis parandis, haec narrando Tacitus secum planissime pugnabit. Nam sui Germani certas et fixas sedes habebant, non vagantium populorum more agebant. Alium rei statum Iulius Caesar invenit apud eas gentes Germaniae cum quibus ipse congressus est, neque inde quod ille B. G. VI 22 narravit (*agriculturae non student, maiorque pars victus in lacte caseo carne consistit; neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum qui una coierint, quantum et quo loco visum est agri attribuunt, atque anno post alio transire cogunt*), quidquam licet colligere aut elicere ad vitam Germaniae populorum, qualis erat altero Traiani consulatu, quamque Tacitus exposuit, quocumque modo definiendam. Iam alia tempora, alia agendi ratio; certae sedes, certi singulorum populorum fines, ipsi in vicos pagosque descripti. Sin credatur esse *mutatio arvorum* per annos in eodem vici agro a cultoribus ita facta, ut agri uno fruges ferant, altero requiescant, haec paulo post demum memoratur verbis *arva per annos mutant; et superest ager.* Neque vero lectio *in vicis* bonam sententiam praebet: agri enim cum occupantur, vici nondum sunt, sed ab occupantibus demum conduntur, neque *in vicis* occupantur agri sed circa vicos et circa vici aedificia.

arva per annos mutant: agri partem, quae aratur, per annos mutant singuli aratores vel possessores, h. e. altero quoque anno iacere sinunt et recreari. Hoc cur facere facile possint, causam proxima verba *et* (= et sane) *superest ager* exponunt.

ut pomaria conserant: h. e. ut loca agrorum ordinibus arborum cum aliqua arte positis et directis instruant.

ver et aestas intellectum ac vocabula habent; autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

Funerum nulla ambitio: id solum observant, ut corpora 27 clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. Sepulcrum caespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta ritus-

1. *estas* P. *autumni* P, non *auct.* 3. *observăt* P: ceteri *observatur.* 6. *adiicit̃* P. *cespes* P.

autumni — ignorantur: Carolus Magnus Novembrem *Herbist manoth* nominavit, ut narrat Eginhardus in vita eius c. 29. In aliis linguae Theodiscae dialectis *haerfest, harvest, herpist, harfst*, nunc *Herbst.* Nomen antiquum videtur esse, sed Taciti temporibus parum usurpatum ob penuriam pomi et vini.

Cap. 27. *funerum nulla ambitio:* alius apud Gallos mos. Caesar B. G. VI 19: *funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa, omniaque quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia.*

sepulcrum caespes erigit (ein Rasen macht das Grab hervorstehen): h. e. tumuli loco caespes est. De loquendi genere dictum ad H. V 6.

instituta ritusque: instituta sunt civilia, ritus religionum. *quae nationes:* ingratum est ἀσύνδετον in rei novae commemoratione. Fortasse fuit *quaeque* et *quae* ex *quaeq;* provenit.

Cap. 28. *validiores olim Gallorum res fuisse — tradit:* B. G. VI 24: *ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Sallustius Iug. 114.

summus auctor: summus auctor est praecipuus et cuius summa est auctoritas in rebus tradendis (*der vorzüglichste Gewährsmann*). Sic H. III 28: *an potior auctor sit Gaius Plinius.* III 30: *Gaius Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor;* V 9: *tradunt temporis eius auctores;* XIV 64: *quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent.* A. 10: *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores.* Hoc praeferendum vulgatae *summus auctorum.*

inter Hercyniam silvam — Helvetii: nomen quod hodie obtinet (*Harz*), antiquum refert, sed Hercyniae nomine multi saltus per medium et meridionalem Germaniae tractum a Romanis comprehendebantur. Caesar B. G. VI 25: *oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium;*

que, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

28 Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos: quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boihemi nomen, signatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Panno-

3. *autor* P, *auctor* Vaticanus 1862: *auctorum* ceteri. 7. *divisas*, superscr. ab al. m. *uer* ut sit *diversas*, P. 8. *hircyniam* superscr. ab al. m. *e* P. 10. *Boiemi* superscr. ab al. m. *h* P. *sig¹ q;* superscr. ab al. m. *t* P, ceteri *signatque* aut *significatque*. 11. *arauisci* superscr. ab al. m. *n* super *u* P.

hinc se flectit sinistrorsus diversis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Conf. Plinius IV 25 et 28. Ptolemaeus appellat Ὀρκύνιον δρυμὸν II 11 §. 7 et 21 et 26. Eius pars etiam varia Bohemiae iuga, veluti illa quae iam vocantur *Erzgebirge*. De his Tacitus II 45.

ulteriora Boii: dicit magnam partem Boioariae (*Baiern*) et Bohemiae (*Böhmen*). A Boiis enim ascita terminatione dicti *Boio-arii:* Bohemia autem et Bohemi descendere videntur a *Boiohemo* (*Bojenheim*), h. e. domicilium Boiorum.

manet adhuc Boihemi nomen: Strabo VII 1 3, cuius verba ad Annales II 62 transcripta sunt, regiam Marobodui castellumque iuxta situm nominavit Βουΐαιμον, Ptolemaeus II 11 §. 29 Μαρόβουδον. Velleius II 109: *Sentio Saturnino mandatum ut per Chattos, excisis continentibus Hercyniae silvis, legiones* (duceret) *Boiohoemum* (*id regioni quam incolebat Maroboduus nomen est*). *quamvis mutatis cultoribus:* pro Boiis veteribus Boiohemiae incolis Marcomani duce Maroboduo eas sedes occupaverant temporibus Caesaris Augusti. Conf. Strabo l. c., Velleius II 108—110. Tacitus II 62—63.

utrum Aravisci in Pannoniam Germanorum natio, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint: duo populi, Osi et Aravisci, cum sermone et institutis et moribus Pannonios referrent, ut liquet comparanti c. 43, sed Osi in Germania, Aravisci in Pannonia habitarent, incertum Tacito fuit, uter ab altero pulsus novas sedes in aliena terra paraverit. Incertum fuit, utrum Aravisci olim Germanorum natio ex Germania in Pannoniam acti ibique linguam Pannonicam et mores acceperint, an potius Osorum in Germania habitantium sermo et instituta Pannonica hinc explicanda sint, quod ab Araviscis e Pannonia in Germaniam commigraverint et antiquitus populus Pannonicus sedes

niam ab Osis Germanorum natio, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treviri et Nervii circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes.

1. *a boiis,* sed. in mg. *Osis.* *natio* editor: codices et vulgo *natione.* 3. *qui* superscr. ab al. m. *quia* P. 4. *Treueri* P. 5. *neruli* litterae *n* superscr. *h* P: emendavit Rhenanus a. 1519. *citra* superscr. ab al. m. *circa* et litt. *tr.* punctis subnot. P. *aff.* P. *germanae* P: ceteri *germaniae* aut *germanicae* (*germanice*).

in Germania paraverint. Quae sententia iusta et sana ut efficeretur, *natio* pro *natione* reponenda erat et comma post *Osis* delendum. Ut vulgo legitur *ab Osis, Germanorum natione,* haec turpiter pugnant cum verbis c. 43: *Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos.* Ceterum adiectis verbis *Germanorum natio* Tacitus non affirmavit Araviscos re vera esse Germanos, sed haec cum ceteris referuntur ad *incertum est.* Theodisce converto: *ob aber Araviscer in Pannonien von den Osern als ein Volk der Germanen, oder die Oser von den Araviscern aus* (als Pannonischer Stamm) *in Germanien eingewandert seien, — ist ungewiss.*

eodem adhuc sermone institutis moribus: Pannonica haec fuisse Tacitus dicit c. 43.

Treviri et Nervii: cf. Ind. hist. Nervii Treviris vicini ex Germania in Galliam Belgicam transgressi ad Sabim (*Sambre*) fluvium usque ad mare Gallicum occidentem versus sedes occupaverant, ubi nunc Belgii provincia *Hennegau.* Cf. Caesar B. G. II 4 et 17 et 18 et 28, V 39 et 42, VI 3. Strabo IV 3 4 p. 194. Plinius IV 31. Ptolemaeus II 9 §. 11: *ὑπὸ δὲ τὰ εἰρημένα ἔθνη* (Tungros et Menapios) *παρήκουσιν ἀρκτικώτεροι μὲν Νερούιοι, ὧν πόλις Βάγανον ἢ Βάγακον* (*Bavay*).

Vangiones, Triboci, Nemetes: memorantur in exercitu Ariovisti a Caesare B. G. I 51: *Germani suas copias eduxerunt generatimque constituerunt paribusque intervallis Harudes, Marcomanos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos;* IV 10: *Rhenus per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Trevirorum citatus fertur.* Strabo IV 3 §. 4: *μετὰ δὲ τοὺς Ἐλουηττίους Σηκουανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον, ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας, Τριβόκχοι.* Ibidem: *μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρηούιροι.* Plinius IV 31: *Rhenum autem accolentes Germaniae gentium in eadem provincia Nemetes, Tribochi, Vangiones; hinc Ubii.* Ptolemaeus II 9 §. 17 et 18: *ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγκα ποταμοῦ πρὸς μεσημβρίαν καλεῖται Γερμανία ἡ ἄνω, ἐν ᾗ πόλεις ἀρχομένων ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγκα πο-*

Ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

29 Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnun-

1. *nubii* P (litterae *n* superscr. *h* ab al. manu): *ne Ubii* Gruterus, ante quem erat *Ubii*. 6. *Cattorum* P: ex ceteris plerique *Chattorum* et *Chatorum*.

ταμοῦ Νεμήτων μὲν Νοιόμαγος (Speyer), *Ῥουφινίανα* (Rufach in Alsatia), *Οὐαγγιόνων δὲ Βορβητόμαγος* (Worms), *Ἀργεντόρατον* (Strasburg), *Λεγίων ἡ Σεβαστή*, *Τριβόκκων δὲ Βρευκόμαγος* (Brumt sive Brumat septem octove milliariis Gallicis ab Argentorato meridiem versus), *Ἔλκηβος* (Ell). In his a Ptolemaeo varie erratum est, sed id tamen ex veterum testimoniis videre licet, a Mogontiaco meridiem versus eunti in sinistra sive Gallica ripa Rheni primos occurrisse *Vangionas*, quorum civitas Borbetomagus (Worms), tum successisse *Nemetes* et urbem Noviomagum (Speyer), dein *Tribocos*, ut in Taciti libris, vel *Triboccos* sive *Tribocchos* (*Tribochos*), ut ab aliis vocantur, in Alsatia, fortasse etiam in parte Lotharingiae, habitasse.

ne Ubii quidem — meruerint: Ubii ex dextra Rheni ripa in sinistram a M. Agrippa, anno ut videtur 715, locati, dein ab Agrippina Claudii uxore, colonia veteranorum a. 48 a Chr. in civitatem Ubiorum deducta, Agrippinenses appellati, de quo v. Taciti Annales XII 27 cum nostra annotatione. In verbis *conditoris sui* (*sui* iungo cum nomine *conditoris*, neque accipio pro reflexivo pronomine) *σφάλμα* narrantis statuere tutissimum mihi videtur. Scilicet Tacitus nunc Agrippam qui Ubios in sinistram ripam transtulit, commiscuit cum Agrippina unde Agrippinenses vocati sunt; posthac in Annalibus ipse verum interim exploratum et compertum tradidit.

Cap. 29. *Batavi*: conf. H 6. H. IV 12. *non multum ex ripa*: dicit loca Vahali amni et Mosae Vahalem excipienti ad partem sinistram proxima. Insulam intelligit quae circumfluitur Vahali Mosaque et Rheno fluminibus. Cf. Plinius IV 29. Ptolemaeus II 9 §. 4. *Chattorum quondam populus*: ipsum Batavorum nomen ex Chattorum detortum videtur esse. Alii compositum putant ex *bat* et *aue*, h. e. *humile pratum*. *Langobardorum* similes, eisque perinde atque his origo ex gente Suevorum. Langobardi enim nominati sunt a promissis barbis, atque Chattis et Batavis mos crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere; v. c. 31 et H. IV 61. In sedibus virtute partis Batavos iam invenit Iulius Caesar; B. G. IV 10.

tur, nec publicanus atterit. Exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuviumque consederint, eos qui decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. Mox limite acto

2. *p̃liorum* P. 10. *danubiũq;* P.

antiquae societatis insigne; dicit dextras insigne concordiae, de quo v. H. I 54, II 8. *nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit:* H IV 12: *nec opibus Romanis — attriti viros tantum armaque imperio ministrant;* H. V 25: *sibi non tributa sed virtutem et viros indici.*

exempti oneribus et collationibus: onera sunt tributa et vectigalia ordinaria, *collationes* extra ordinem postulatae.

Mattiacorum gens: Mattiaci fere ex regione oppidi Mogontiaci habitabant in dextra ripa Rheni, et fontes Mattiaci ubi nunc *Wiesbaden.* Cf. Tacit. XI 20. Plinius XXXI 17: *sunt et Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet; circa margines vero pumicem faciunt aquae.* Ammianus Marcellinus XXIX 4 §. 3: *antegressus ad Mattiacas aquas.*

terrae suae solo et caelo: habitabant in locis editis et silvarum saltibus, et hinc caelum rigoribus asperum.

decumates agros exercent: agros Romani permiserant ea conditione ut decumas aratores solverent. Qui agri cum vulgo *decumani* nominentur, Tacitus nove *decumates* posuit, idque non sine ratione ausus est. Decumanus enim ager proprie est in provincia frumentaria: illi autem agri provinciam non efficiebant, sed augmentum erat superioris Germaniae. Non vere Ukertus Germ. p. 274 *decumates* primo casu positum et dictum de cultoribus accepit: nam sic divelluntur quae iungi formae aequalitas postulat, et *agros exercent* ita non sine infantia admissum.

limite acto: acto idem quod *promoto:* nam praesidia promota in ipso limite erant. Ceterum decumates agri in ea Germaniae parte quae nunc appellatur *Schwaben,* tum in tractu Rhenano a Moeni ostio usque ad Nicerem. Cf. *Schwaben unter den Römern — von Julius Leichtlen.* Friburgae 1825. 8. Alios qui eandem quaestionem tractarunt, recensuit Ukertus l. c. pag. 267.

Cap. 30. *ultra hos Chatti — inchoant: hos* intelligit qui decu-

promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

30 Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis ut ceterae civitates in quas Germania patescit; durant siquidem colles paulatimque rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul ac deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi ratione disci-

3. *catti* P, mox *cattos, cattis, cattorum* cet. *hircynio* superscr. *e* P. *ĩchoãt* P (scriptum prius erat *ĩchoat*[s]). 5. *durãs* P mutato *t* ex *s*. *paulatimque* tacite Rhenanus a. 1533: codices *paulatim*. 7. *ac* superscr. ab alia manu *atque* P: *atque* ceteri. 9. *solertiae* P. 10. *intelligere* P. 12. *romanae* superscr. ab al. m. 'vel *ratione*' P.

mates agros exercent; *ultra* est paulo longius a ripa Rheni, cui proximi decumates agri. Chattorum sedes ubi nunc magnus ducatus et principatus *Hassorum*, quorum nomen a Chattis deductum, ita tamen ut ipsam ripam non attingerent.

durant siquidem colles paulatimque rarescunt: haud dubie *paulatimque* a Rhenano vere correctum est: *ἀσύνδετον* enim (*paulatim*) in enuntiato non pendente bene se haberet, post *siquidem* ferri non potest. Accedit quod hoc sermonis membrum respondet proximo *prosequitur simul ac deponit*, unde utriusque similis structura desideratur.

et Chattos — deponit: de usu particulae *et* dixi ad H. V 22. Deponit Chattos silva Hercynia ad fluvium Werram.

duriora genti corpora, stricti artus: in ceteris Germanis *fluxa corpora* et tantum ad impetum valida notavit hic noster H. II 32, G. 4.

nosse ordines (*kennen Rangstufen*) *:* est *ἐπεξήγησις* verborum *praeponere — praepositos.* Verbum *nosse* noli commiscere cum *noscere*, cuius alia vis est H. I 68, II 93, ut monitum ad H. I 68.

disponere diem, vallare noctem: breviter haec elocutus est pro 'diurno tempore exercitus partes aptis locis disponere, nocte militem castris et vallo continere'.

ratione disciplinae: Pontanus in *ἀρχετύπῳ* notam legit, dubiam et incertam inter *Romanae* et *ratione*, ut ex superposita admonitione intelligitur. Verum *ratione* sententia postulat. Nam si non solum Romani sed etiam Chatti plus in duce reponunt quam in exercitu, quomodo hoc uni disciplinae Romanae concessum esse iure dici poterit? Ablativus denotat id unde aliquid consequitur, h. e. ratione adhibita ab iis qui

plinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum. Rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuius- 31
que audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus

6. *iusta* P, et sic ubique. 7. *raro* P cum plerisque: alii *rara*. 12. *precia* P. *noscendi* P et alii: plerique *nascendi*. *retulisse* P.

probant disciplinam (*in 'Gemässheit der Ueberlegung militärischer Schule*).

ad proelium: sine impedimentis et paratu, expediti et leves. H. II 45: *sed expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria.* Cf. H. II 40 et ibi annotatio.

equestrium sane virium id proprium: respiciunt haec contrarium modo de Chattis relatum *omne robur in pedite*, et hinc rationem disciplinae et constantiam plerumque consectariam esse significatur. *Equestrium virium* est breviloquentia pro *eorum quibus omne in equite robur.* *iuxta formidinem:* prope accedit ad formidinem, ut VI 42 *populi imperium iuxta libertatem.*

Cap. 31. *nec nisi hoste caeso exuere — habitum:* Civilis Batavus, cuius maiores ex Chattis, idem fecit; H. IV 61. Paulo ante *audentia* est *audendi virtus*, ut c. 34: *nec defuit audentia Druso.*

ignominiosum id genti: hoc monet, quia apud Romanos usus anulorum, et praecipue ferreorum, honori erat; v. Plinii N. H. XXXIII 4 et 5 — 8. Doederlinius *velut vinculum* parenthesi addidit, sed iungenda sunt cum verbo *gestat*, ut componantur contraria *gestamen* et *vinculum:* nam Romanis anuli gestamen erat, non vinculum. Plinius XXXIII 4: *de Prometheo omnia fabulosa arbitror, quamquam illi quoque ferreum anulum dedit antiquitas, vinculumque id, non gestamen, intelligi voluit.*

plurimis Chattorum hic placet habitus: plurimi h. l. sunt *permulti*, ut cetera docent, non maior pars populi. Quibus *placet* is habitus, h. e. crinis barbaque submissa et anulus ferreus, ii etiam caeso hoste uti illo perseverant. Alia in his Doederlinius agnovisse sibi visus est, de quibus scribit: 'Chatti crinem barbamque submittere solebant, donec hostem cecidissent; tum ponebant tondendo et quasi Virtuti dedicabant. Ab hoc inde actu fortissimus quisque semel ipse a ceteris fortibus distinguebat. Nam qui *vulgari* fortitudine erant, ii satis habebant *semel* hunc ho-

ferunt. Ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Chattorum hic placet habitus; iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

32 Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum, quique ter-

3. *cede* P. idem *ostis* superscr. *h*, perinde statim. *absoluerit* superscr. *at* et litt. *erit* punctis subnot. P: ceteri *absolvat*. 4. *et* ascriptum postea ab eadem manu in P. 7. *vultu* P, alii *cultu*. 8. *rura* superscr. *c* P. 9. *exangues* PΔ: ceteri *exanguis*.

norem meruisse et vel uno hoste caeso in perpetuum tonsi incedebant; fortissimi contra tanquam parum peregissent post primum facinus denuo submittebant crines succrescentes seque ignavis illis, qui *necessitate* utpote nullodum hoste caeso squalorem retinebant, *sponte* aequabant, ut ad nova semet ipsi facinora exstimularent. Ii itaque post alteram caedem denuo ponebant capillum rursusque submittebant ad tertiam usque victoriam et deinceps'. Sed quibus ille habitus placuit, hi cur crines caeso hoste tondendo ponerent et de integro succrescentes expectarent, iusta causa afferri nequit. Immo ab his horridum cultum semper retentum esse ostendunt verba *ne in pace quidem cultu mitiore mansuescunt*.

iamque canent insignes: insignes est *cum insigni suo*, id est insigne suum tenentes usque ad senectutem.

nam ne in pace quidem — mansuescunt: his explicantur priora *visu nova*. Quia in pace retinent horridam faciem, simulac bellum exarsit, non desunt qui hostibus oris habitu metum incutiant.

aut aliqua cura (*oder sonst eine Arbeit*): curam dicit victus parandi.

Cap. 32. *certum iam alveo Rhenum*: certus alveo fluvius est qui certo alveo continetur, non in lacus se diffundit, non ripam egreditur montium nivibus subito impletus. Obscura referentem Tacitum Doederlinius fecit interpretando: 'ubi flumen pro certo iam Romanis munimento est, propter alvei latitudinem, ducta a *certo amico* metaphora. Apud Usipios enim Rhenus nullis praesidiis custodiisque munitus' (immo eiusmodi praesidia in ripa Romana adversus Usipios et Tencteros minime deerant) 'ipsa alvei sui latitudine satis tuto defendebat fines imperii'. De Rheni superiore alveo nihil comperti Tacitus videtur habuisse: priores fabulosa aut in maius aucta narraverant, ut Pomponius Mela III 2 extr.: *Rhenus ab Alpibus decidens prope a capite*

minus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores: posteri imitantur. Hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. Inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Cha- 33

1. *Usipi* P cum plerisque: *Usipii* Arundelianus et Hummelianus. M[a] 13 55 *usiporum* et c. 56 *usipsos*, H. 4 37 *usipis.* 5. *emulatio* P. 9. *chamanos* (in margine *Chamaui* superscr. *n*) P: alii *Chamauos.*

duos lacus efficit, Venetum et Acronium. Mox diu solidus et certo alveo lapsus haud procul a mari huc et illuc dispergitur. Adde Strabonis VII I §. 5. *Rhenum colunt* breviter dictum pro *Rheni ripam vel terras colunt.*

Usipii ac Tencteri: Usipii ad Loganae *litora* usque ad Sigam (*Sieg*) fluvium, Tencteri inter Sigae ostia et Ruram (*Ruhr*) tunc agebant. Hinc Usipii cum Chattis et Mattiacis Mogontiacum obsidio clauserunt principe Vespasiano (H. IV 37), Tencteri vicini Agrippinensium et Rheno discreti eodem tempore comparent H IV 64. Olim Usipii vel Usipetes et Tencteri ex Germania a Suevis pulsi Rhenum transgressi erant, sed a Caesare in ripa Mosae caesi aut repulsi: B. G. IV 1—15. In Annalibus I 51 nominantur *Usipetes*, ut a Caesare et a Floro (is Livium secutus est) IV 12 23, sed Ann. XIII 55 *Usipii* vel potius *Usipi*, ut in Germania. Apud Strabonem VII 1 §. 4, ubi est *Νουσίπων*, aut *Οὐσιπίων* cum Cluverio Germ. ant. III c. 12 et 19 reponendum aut scribendum *Οὐσίπων*.

sic instituere maiores: facinus belli a Tencterorum equitatu patratum iam Caesar rettulit B. G. IV 12. Eum nunc videtur hic noster respexisse.

iura successionum: numerus multitudinis res designat successionis iure translatas (*Gerechtsame der Nachfolge*).

prout ferox bello et melior: ut *malus* saepe de formidine et ignavia, sic *bonus* et *melior* de virtute bellica dicitur; itaque *melior* est pro *fortiore*, neque opus ut nomen *bello* etiam pertineat ad *melior.* Qui ferox est bello, is nondum vera virtute bellica gaudet. Spernenda igitur Acidalii coniectura *ferox et bello melior.*

Cap. 33. *Bructeri olim occurrebant:* de sedibus Bructerorum ad Lupiam et Amisiam v. I 60 et 51. Strabo VII 1 3: *ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε.* Ibidem *Λουπίας ποταμός, ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων.* Copiose de hac gente, sed admixtis admodum incertis, exposuit Ledebur: *das Land und Volk der Brukterer.* Berolini 1827.

Chamavos et Angrivarios immigrasse: Angrivarii ante colentes inter Visurgim et Albim (v. annot. ad II 8) transmisso Visurgi occi-

mavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum. Nam ne spectaculo quidem proelii invidere. Super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

34 Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuarii

1. *angrinarios* superscr. ab al. m. *v*. 4. *p̃lii* P. 5. *milia* superscr. altero *l* P. 8. *quando urgentibus iã imperii fatis nihil iã* P. 10. *angrinarios et chamanos* P. *dulgitubini* P: alii *dulgibini* aut *dulciboni*. *chasuarii* *A* et alii: *tasuarii* P.

dentem versus in sedes Bructerorum immigraverant.

nam ne spectaculo quidem proelii invidere: de ablativi ratione dixi ad I 22. Res a Tacito memorata, neque cognita aliunde, post annum a Chr. 70 et ante a. 98 huius libri natalem accidit. Nam sub initium principatus Vespasiani Bructerorum populus et civitas adhuc incolumis extitit, ut liquet ex H. IV 21 et 61 et 77, V 18.

oblectationi oculisque ceciderunt: hoc delectationis evenisse Vestricio Spurinnae et exercitui in finibus Bructerorum tunc tendentibus coniicio ob ea quae Plinius Epist. II 7 narravit: *Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, ostentatoque bello ferocissimam gentem — terrore perdomuit.* Scilicet conterminae gentes, belli occasionem nactae et a parte Bructerorum accitae ad exturbandum regem invisum, tunc Bructeros videntur devicisse et fudisse paene ad internecionem gentis. Ceterum ex his verbis et quae sequuntur, falsam sententiam corrigere possunt qui opinantur, Tacitum amore quodam et admiratione Germanorum permotum ad hunc librum perscribendum accessisse. Cf. c. 20 et 23 quaeque ibi annotata sunt.

quando urgentibus — discordiam: *urgere* solita significatione dictum, h. e. premendo et trudendo molestiam exhibere. Haec scribens cogitavit de cladibus Romanorum a. 69 et 70 a Civile et sociis illatis, etiam de malis bellorum civilium, tum de damnis principe Domitiano acceptis et nondum a Traiano punitis. Falso interpretatur Orellius: 'cum fatalis quaedam necessitas cogat imperium Romanum fines suos latius semper extendere; id quod ipse cum maxime hanc curam in manibus habens fieri vidit sub Traiano, sub quo ex communi opinione longe florentissimum erat imperium Romanum neque ulli discrimini etiam futuro tempore expositum videbatur praeterquam uni fortasse Tacito'. Immo cum Tacitus haec scripsit, Traianus neque imperii fines protulerat, neque de aucto vel augendo imperii ambitu quidquam in his verbis inest.

Cap. 34. *a tergo Dulgibini et*

cludunt aliaeque gentes haud perinde memoratae; a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. Utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus. Et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso ac Germanico: sed obstitit Oceanus in se

1. *cludunt*, superscr. ab al. m. *a* ut sit *claudunt*, P. 2. *frisii* — *frisiis* pr P, sed alterum *i* bis deletum. 3. *utreq3* P. 6. *tentauimus* 9. *ac* adiecit editor.

Chasuarii cludunt: tergum quod dicat ex contrario nomine *frontis* cognoscitur; est latus meridionale, ad superiorem, ut videtur, Lupiam et ad Dimolam. Ptolemaeus II 11 17: *εἶτα Λαγγοβάρδοι· ὑφ' οὓς Δουλγούμνιοι.* Chasuarii Ptolemaeo *Κασουάριοι* audiunt et prope Abnobam colunt II 11 22: *πάλιν ἀπ' ἀνατολῶν μὲν τῶν Ἀβνοβαίων ὀρῶν οἰκοῦσιν ὑπὲρ τοὺς Σουήβους Κασουάριοι.* Haec cum Tacitinis male conveniunt, sed in Ptolemaei farragine varia et ex variis temporibus sumpta ac non concinne iuncta sunt.

a fronte Frisii excipiunt: Taciti de Frisiis locos Ind. hist. monstrabit. Adde Plinii N. H. IV 29. Ptolem. II 11 §. 11: *τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν ὑπὲρ μὲν τοὺς Βουσακτέρους οἱ Φρίσσιοι μέχρι τοῦ Ἀμασίου ποταμοῦ.* In extrema ad septentrionem parte Germaniae inter Rhenum et Amisiam agitabant.

maioribus minoribusque Frisiis — ex modo virium: alibi maiores et minores Frisii non commemorantur, sed de fide rei et relationis non dubitandum videtur, praecipue ob addita illa *utraeque nationes — immensos insuper lacus;* illi lacus sunt in quos fossa Drusiana (*Yssel*) effunditur. Per eos Romani exercitus imperante Caesare Augusto et Tiberio Oceanum classe ingredi, mox per Amisiam in Germaniam pervadere saepius tentaverunt. Conf. I 60 et 63 et 70, II 8.

nec defuit audentia Druso ac Germanico: particulae *ac* prior pars hausta est a praegresso *Druso*, altera oblitterata in *ἀρχετύπῳ* codice uncialibus scripto (DRVSOCGERMANICO). Quippe particula necessario requiritur. Nam si legitur, ut vulgo fit et in codicibus repraesentatur, *Druso Germanico*, unus dux Romanus nominatur, frater ille Tiberii, pater Germanici, qui sane Oceanum classe ingressus est, cum Bructeros in Amisia flumine navali proelio devicerit, ut traditum a Strabone VII 1 3, cuius verba ascripsimus ad c. 33. Sed multo magis Oceanum tentavit filius eius Germanicus principe Tiberio, eiusque conatus tum magnis eventis tum gravibus cladibus magis illustrati sunt quam Drusi res in Oceano gestae. Lege modo Annalium I 60—70, II 8—24. Qui cum simul memoratur, tum demum recte se habent *mox nemo temptavit*, quae falsissima forent, si unus Drusus Germanicus ante nominatus esset. Sed num sufficiet

simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo temptavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

35 Hactenus in occidentem Germaniam novimus. In septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia

1. *tent.* P. 5. *caucorum* h. l. sed mox *chauci* et c. 36 *chaucorum* P. 6. *frisis* P. 7. *optenditur* P. 8. *nam* superscr. ab al. m. *tam* P. 9. *ĩplent* P. 10. primitus in P *maluit*, quod mutatum in *malint* et hoc puncto supposito in *malit*.

scribere, ut fecit Doederlinius, *nec defuit audentia Druso*, *Germanico*? Secus est. Quippe Tacitus, qui nullis distinctionis notis uti potuit, lectores suos turbaturus et falsa eis suppeditaturus erat, idemque, quo praecipue attendi velim, in opere cum Germania simul evulgato Drusum vocavit *Drusum Germanicum*, dico H. V 19: *quin et diruit molem a Druso Germanico factam.* Itaque ad evitandam obscuritatem connectente particula quam maxime opus erat. Cf. I 3: *Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit*; II 8: *precatusque* (Germanicus) *Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret.* Idem vitium commisit librarius XIII 55

Cap. 35. *in septentrionem ingenti flexu redit:* praeclare significavit Chersonesum Cimbricam (Danicam paeninsulam, *Holstein*, *Schleswig*, *Jütland*) longe in septentrionem excurrentem et redeuntem ita, ut litus postquam immensum procurrit, revectum eodem tractu tendere pergat.

Chaucorum gens: inter Amisiam et Albim. *Maiores* data occasione vocavit XI 19. Ob alia de Chaucis a Tacito tradita v. Ind. hist. Adde Ptolemaei II 11 11: *μετὰ δὲ τούτους* (post Bructeros et flumen Amisiam) *Καῦχοι οἱ μικροὶ μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ, εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.* Plinius XVI 1: *sunt vero in septentrione visae nobis Chaucorum* (gentes), *qui maiores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus. — Illic misera gens tumulos obtinet altos aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi aestus, casis ita impositis* cet. Idem Chaucos recenset IV 29.

lateribus obtenditur: ita obtenditur, ut in latere occidentis gentes illae, in oriente Chauci habitent. *in Chattos usque sinuetur:* extremi Chaucorum ad Chattos, ubi Verra fluvius, a septentrione ad meridiem procurrunt.

quique — malit iustitia tueri: eandem hanc aequitatem etiam hodie tenent regni Hannoverani

tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant non per iniurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma et, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac 36
marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt. Idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc iner-

4. *asseq.* P. 5. *et si* P: ceteri *ac si.* sane H. 2 5 *ac, si res posceret.* 8. *ilacessiti* P. 10. *noiē* P, *nomine* ceteri fere omnes: correctum in Spirensi.

cives, tenaces iusti, potentes affectuum.

sine impotentia: affectus cupidinis aut irae continere et coërcere sciunt.

et si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque: cum de Chattis relatum esset eos pedite valere, in Tencteris vires equestres praedicatae essent, Chaucos utrisque praecellere Tacitus admonuit. Quamobrem tantum abest, ut post *exercitus* languida sint verba *plurimum virorum equorumque*, ut sine iis ipsa descriptio manca foret. Non vere Doederlinius: 'possunt haec utcunque explicari, ut epexegesin contineant numerosi exercitus, non hercle languore carentem'. De asyndeti forma cf. ad XI 6.

Cap. 36. *in latere Chaucorum Chattorumque:* latus Chaucorum et Chattorum dicit orientem versus positum, ad utramque ripam Visurgis, in media Germania. Taciti de Cheruscis relata pete ex Ind. hist. Ptolemaeus II 11 19: ὑπὸ δὲ τοὺς Σιλίγγας Καλούκωνες ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ, ἐφ' οὓς Χαιρουσκοὶ καὶ Χαμαυοὶ μέχρι τοῦ Μηλιβόκου ὄρους. Plinius IV 28: *Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci.*

inter impotentes: unis Chaucis potentiam sui tribuit Tacitus c. 35: ceteri cupidinem aut iram compescere nesciunt. *modestia ac probitas nomina superioris sunt:* *superioris* est τοῦ κρείττονος. Inferiores cum modeste agunt et iuste, inertes vocantur aut timidi: superiores ubi idem faciunt, eis verae virtutis nomen et pretium omnes concedunt.

qui olim boni aequique: olim cum potentia Cheruscorum floruit, *boni*, h. e. fortes, celebrabantur, atque iidem *aequi* vocabantur ob moderationem. Versa fortuna *inertes* sive ignavi et timidi pro *bonis*, *stulti* pro *aequis* appellabantur.

in sapientiam: h. e. ut sapientia videatur. Cf. annot. ad c. 26.

tracti ruina Cheruscorum et Fosi: Fosi alibi non memorantur, neque Ptolemaei (II 11 12) Φουνδοῦσοι huc videntur pertinere.

tes ac stulti vocantur: Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens: adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

37 Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. Veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.

Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio

2. *tacti* cum plerisque P: *tracti* Farnesianus, Hummelianus, Monacensis. *fusi* superscr. ab al. m. *o* P. 3. *aduersarum* superscr. *aduersariis* P. *socii st'* P. 5. *sitū* P: *Δ* et alii *sinum*. *cymbri* — *cymbrorum* P. 10. *sescētesimum* P.

Fusa fluvius qui prope Cellas Allerae miscetur, utrum a Fosis nomen invenerit an ipsis dederit incertum. In ruina *trahuntur* proxima. Conf. H. III 29: (ballista) *pinnas ac summa valli ruina sua traxit.* Ad homines translatum VI 26: *Agrippinae pernicies Plancinam traxit.* H. I 48: *Galbae amicitia in abruptum tractus.*

Cap. 37. *eundem — Cimbri tenent:* partem Chersonesi Cimbricae ceteris Germaniae terris proximam. Pomponius Mela III 3 extr.: *in eo* (in sinu Codano) *sunt Cimbri et Teutoni; ultra ultimi Germaniae Hermones.* Plinius II 67: *septentrionalis vero Oceanus maiore ex parte navigatus est, auspiciis divi Augusti Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium;* IV 27: *incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingaevonum, quae est prima inde Germaniae. Sevo mons ibi immensus — immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum qui Codanus vocatur.* Strabo VII 2 1: *χερρόνησον οἰκοῦντες — καὶ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον.* Ptolemaeus II 11 12: *πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι Κίμβροι.*

utraque ripa castra ac spatia: in ripa Danubii et Rheni Taciti temporibus spatiosa castra (*castra ac spatia*) monstrabantur, quibus Cimbri olim in celebri exitu consederant. *et tam magni exitus fidem:* nomen *exitus* (*der Auszug*) concreto significatu pro *exeuntibus* nove positum, quae vis additis *tam magni* efficitur, et magnus exitus pro multitudine et copia exeuntium. Magnus enim exitus vel migratio magno numero e patria cedentium efficitur. Lipsii coniectura *exercitus* non probanda.

sexcentesimum — agebat: utitur occasione oblata, ut res Germanorum ab eo tempore cum Romanis cogniti sunt, brevi complectatur.

Caecilio Metello et Papirio Carbone consulibus: Metellus et Carbo consules ab u. 641 (aerae Capitol. 640) = 113. Particula *et* consulum nominibus interposita eo minus offendit, quod consules obiter ac non in annalis historiae

Metello et Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone et Lucio Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Marco quoque Manlio fusis vel

1. *et* P: plerique *ac*. *Sapyrio* superscr. *p* et *S* subnotato. *cons̃*. P. 2. *.cc. ferme et .X.* P. 4. *tam̃ longi*, sed ductu ab al. m. deleto, P. 8. *amiso et ip̃o: et ip̃e pacoro* P: correctum in Hummeliano, Monacensi, aliis. 9. *Lucio* additum ab editore. 10. *cepione* P.

principio nominantur, quamquam ibi etiam interdum *et* apud Tacitum accessit, de quo v. ad IV 68. Sed in eiusmodi locis cum plerumque *et*, semel *que* (A. 44), nunquam *ac* apud Tacitum reperiatur, nulla dubitatio quin h. l. ex P *et* adoptandum sit. De re cf. Liv Epit. 63: *Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt; ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est* (ad Noreiam). Florus III 3. Eutropius IV 25. Obsequens c. 98. Strabo VII 2.

ad alterum — computemus: eo anno quo Traianus iterum consul (98), Germaniam Tacitus scripsit cum Historiis simul edendam; v. Prooemii c. 9.

amisso et ipse Pacoro — deiectus: non sine aliqua contemptus significatione dictum est *infra Ventidium* (*unter einen Ventidius*) *deiectus*: nam Ventidius obscuris natalibus ortus tamen nobilem victoriam et triumphum de Parthis tulit. Plinius VII 44: *triumphare P. Ventidium de Parthis voluit quidem* (Fortuna) *solum, sed eundem in triumpho Asculano Gnaei Pompei Strabonis duxit puerum, quamquam Masurius auctor est bis in triumpho ductum, Cicero mulionem castrensis suffarranium fuisse, plurimi iuventam inopem in caliga militari tolerasse.* Ventidius triumphavit anno 716; v. annot. ad H. V 9.

Carbone et Lucio Cassio: Carbo iam nominatus nunc uno nomine, ut par est, vocatur: sed Cassius eodem iure quo ceteri consulares liberae civitatis duobus nominandus erat. Cf. annot. ad XIII 30. Quapropter praenomen Cassii h. l. intercidit, neglectum a scribis una littera (*L.*) expressum. Cf. Liv. Epit. 65: *Lucius Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant* (Cimbris iuncti), *in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est* (a. u. 647 = 107). Caesar B. G. I 7: *Lucium Cassium consulem occisum* cet. Orosius V 15: *Lucius Cassius consul — occisus est.* Vides, lector, in his locis constanter addi praenomen Cassii.

Scauro Aurelio — Marco quoque Manlio fusis vel captis: Liv.

captis, quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt. Nec impune Gaius Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes Gai Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias adfectavere; ac rursus inde pulsi proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

38 Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut

1. *consularis* P cum plerisque. *ppt .ro.* (*ι* post in *o* mutatum) P. 2. *trisque* P: alii *tresque*. 3. *.C.* hic et 5. P. 4. *absperculerunt* (ex praeced. *abstulerunt*, idque in principio versus perinde atque *absperculerunt*) P. Massmannus syllabam *abs* deletam esse observavit: ego non notavi. 5. *mox*] *rursus* in P legi perperam narrat Orellius. 6. *ocium* P. 7. *aff.* P. 8. *rursus inde pulsi ĩ proximis* P: plerique *rursus pulsi inde proximis*.

Epit. 67: *M. Aurelius Scaurus, legatus consulis* (Manlii a. u. 649 = 105), *a Cimbris fuso exercitu captus est; et cum in consilium ab iis evocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige feroci iuvene occisus est. Ab isdem hostibus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio proconsul victi proelio castrisque binis exuti sunt.* Sallustius Iug. 114: *per idem tempus advorsum Gallos a ducibus nostris Q. Caepione et M. Manlio male pugnatum.* Velleius II 12. Florus III 3. Orosius V 16. Plutarchus Lucullo 27. In praenomine Manlii Sallustius consentit cum Tacito: Livius et Cicero (pro Murena c. 17, Plancio c. 5) *Gnaeum* nominant, alii *Gaium*. *Cn. Mallium* nominat etiam titulus apud Gruterum p. 207, Orellium n. 3697. Decreto Manliae gentis cautum fuisse, ne quis Marcus Manlius vocaretur, Livius tradit VI 20, Cicero Philipp. I 13.

nec impune Gaius Marius in Italia: brevitatis causa priorem Marii victoriam de Teutonis et Ambronibus ad Aquas Sextias in Gallia partam non recenset, sed alteram proximo anno (653 = 101) de Cimbris in campis Raudiis ad Veronam relatam praedicat, quia tum finis bello Germanico impositus est. Cf. Livius Epitom. 68. Velleius II 12. Plutarchus Mario c. 24—27. Orosius V 16. Florus III 3. Eutropius V 1. Marius non impune vicit Germanos, quod ipsi non incruenta victoria contigit. Idem de Caesare dicendum. Ceteri duces partim insidiis Germanorum partim vi tempestatum gravia vulnera perpessi sunt.

Gai Caesaris minae: Suetonius Caligula 43—47. Dio LIX 21.

occasione discordiae — inde pulsi: cf. H. IV 12 sqq., 54 sqq.

proximis temporibus — victi sunt: de falso Domitiani triumpho cf. A. 39 et annot.

Cap. 38. *de Suevis;* Suevi

Chattorum Tencterorumve gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamvis in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium: apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso vertice religatur. Principes et orna-

1. *chattorum* nunc P et plerique. 2. *optinent* P. 3. *quă* superscr. ab eadem manu *vis* P: alii *quamquam*. 4. *sueui'a* P. 8. *caniciem* P. 9. *in ipso uertice*, superscr. *solo* super *uertice* ab alia manu, P: plerique *in ipso solo uertice*. *religatur* P et alii: *religant* Hummelianus et Monacensis.

quos Caesar ad ripam Rheni offendit (B. G. I 37, IV 1—3), Chatti et Langobardi videntur fuisse. De antiquis Suevorum sedibus Strabo VII 1 3: *μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σοήβων ἔθνος· διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος, μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται.* Sed iam tunc trans Albim migraverant, ut Straboni auditum, qui pergit: *νῦν δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες.* Taciti temporibus partem Germaniae Orientem versus sitam coluere, terras Albi vicinas usque ad Vistulam, et in septentrionem usque ad Oceanum, tum Bohemiam et cetera usque ad Danubium. Suevici generis populos tres classes Tacitus persequitur, 1) Semnonas et Langobardos et septem populos Terram matrem venerantes cap. 39—40, inter Albim et Viadrum (*Oder*) habitantes, 2) Suevorum gentes ad Danubium agentes c. 41—42, 3) Suevos in extrema oriente et septentrione et insulis usque in Oceanum se sinuantibus c. 43—45. Aliter ac Tacitus de Suevis Plinius IV 28: *Hermiones, quorum Suevi, Chatti, Cherusci.* Adde Ptolemaei II 11 §. 15; Orosius I 2: *ubi* (in Germania) *plurimam partem Suevi tenent, quorum omnium sunt gentes quinquaginta quattuor.*

nodoque substringere: nodo collectum in occipitio vincire (*unten in einem Knoten zusammenschnüren*); retro verti crinem in proximis demum refertur.

horrentem capillum retro sequuntur: retro liberius positum iunge cum verbis *horrentem capillum; sequi* dictum de naturali studio et affectu, ut c. 5: *argentum magis quam aurum sequuntur.* Doederlinius *usque ad canitiem* interposito puncto diremit a proximis, quo virtus descriptionis imminuitur. Neque verum est quod scribit idem: 'id arte quadam efficere solent, ut horreat capillus'. De arte nihil ab hoc nostro traditum est, neque verbum *sequi* artem significat.

ac saepe in ipso vertice religatur: hoc ubi fit, capillus non retro labitur sed erectus in summo vertice horret. Variationem infert meliorum librorum scriptura

tiorem habent. Ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis, ornantur.

39 Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco

1. *innoxie* P, et sic vel *innoxiae* ceteri: *innoxia* Muretus et Acidalius. 3. *ostium* addito *h* P. *ornantur*, superscr. ab al. m. *arm* ut sit *armantur*, P. 4. *Senones* superscr. *m* P. 6. *patriũ* P, et sic plerique. *sacram*] in P fuit *sacrũ*, sed emendatum ab alia m. *sacrã*.

(*religatur*) a Tacito non abhorrentem, et novam capilli formam mutatum structurae genus luculentius pingit; itaque reliqui vulgatam (*religant*). Additum *solo* post *ipso* glossa est nominis *vertice*, ut ostendit codicis P scriptura *ipso* solo *uertice*: unde intelligitur eum qui hoc ascripsit non de pronomine *solus*, sed de vertice, tamquam *solo* et fundamento capilli, cogitasse. Ob hunc ornatum Claudianus *de IV Cons. Honorii* 655: *crinitusque tuo sudabit fasce Suevus.*

sed innoxia: innoxiae vitium aut a Pontano aut iam a scriba Germanici exemplaris per assimilandi aberrationem invectum est: nam haud dubie dolus et insidiae amantium ex adverso significantur. Forma ipsa doli et consilii expers, neque noxia est neque innoxia.

adituri bella compti, ut hostium oculis, ornantur: contrarium est ornari *amantium amasiorumve oculis*. Apud Graecos et imitatores Romanos κομᾶν proprium erat amantium et pueris insidiantium.

Cap. 39. *Semnones*: hos Maroboduus in regnum suum abduxit et in sedibus collocavit quas Taciti diebus tenebant. Strabo VII 1 3. Tacitus II 45. Velleius II 106: *usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorum fines praeterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* Ex proxima Taciti descriptione liquet a Semnonibus Langobardos septentrionem versus inspectos fuisse. Consentit Ptolemaeus II 11 15. Huic (§. 15 et 17) sunt Σόηβοι Σέμνονες, Straboni (edito certe) Σέμνωνες, Dioni LXVII 5 Σέμνονες. Habitabant in parte Saxoniae, Silesiae, Bohemiae septentrionalis. Nominantur etiam in monumento Ancyrano: *classis Romana ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad* (orbis extrem)*a navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanorum ante id tempus adiit. Cimbrique et Charudes et Semnones, eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt.*

religione firmatur: religio quam celebrant remotam et horrendam antiquitatem testatur. *auguriis patrum — sacram:* est versus longus numerose decurrens. Conf. annot. ad I 1. Mox *primordia* sunt

reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. Si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitant; magnoque corpore efficitur ut se Suevorum caput credant.

Contra Langobardos paucitas nobilitat. Plurimis ac valen- 40
tissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii

5. *parentia*, superscripto ab al. manu *t* ut sit *patentia*, P. 6. *adiicit* P. *senonum* superscr. *m* P. *pagis habitant* Ernestius; *pagis habitantur* (litterae *ur* per compendium) P et ceteri. 7. *corpore* superscr. *temp*, sed hoc rursus punctis subnotatum, P. 8. *Longobardos* ultimae syllabae superscr. *i* P. *nobilitas* P cum plerisque: *nobilitat* Farnesianus et *Δ*. 10. *Veusdigni* litterae *V* superscr. *R* (Orellius falsa de libro P rettulit) P: ex ceteris plerique *Reudigni*. *Aniones* primo *n* superscr. *v* P. *anglii* cum plerisque P: alii *angli*.

quae primum festo die celebrantur. *ut minor — prae se ferens*: haec suo iudicio addit Tacitus ad explicandam vim ritus modo narrati. Doederlinius comparavit Horatii Carm. III 6 5: *dis te minorem quod geris, imperas*; I 12 57: *te minor latum reget orbem.*

per humum evolvuntur: a ceteris aut per ministros, ut videtur. Doederlinius interpretatur *se evolvunt*, ut *advolvi* et *advolutus* I 13 et 23, VI 49, H. IV 81, *provolutus* XI 30, XII 18, XIV 2 et 61.

centum pagis habitant: qui defendunt *habitantur*, quod me iudice prava assimilatione ob proximum verbum *efficitur* ortum est, dicunt *Semnonas* pro terra Semnonum esse. Sed id iuste statui non posse ostendunt verba *ut se Suevorum caput credant.* Quod Broterius commendavit, *pagi iis habitantur*, hoc male sonat.

magnoque corpore: magnum corpus appellavit centum pagorum societatem et civitatem. Sic H. IV 64 *in corpus nomenque Germaniae.* XIII 27 *late fusum id corpus* (libertinorum). Conf. c. 43: *ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum.*

Cap. 40. *Langobardos paucitas nobilitat*: Langobardi a Semnonibus septentrionem versus inter Albim et Viadrum (*Mark Brandenburg*) habitabant, olim victi a Maroboduo, mox libertate vindicata: Strabo VII 1 3. Tacitus II 45—46 et 62—64. Velleius II 106: *fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* Adde Ptolemaei II 11 §. 9 et 15 et 17. Apud Tacitum II 45 in Mediceo priore est forma *Langobardi*, apud Ptolemaeum et Strabonem *Λαγγόβαρδοι.* Velleii editio princeps habet *Longobardos*, ut P et inde plerique codices Germaniae.

Reudigni deinde — Nurtones: hi populi a Langobardis septentrionem versus aspiciebantur. *Anglii* recensentur etiam a Ptole-

et Varini et Eudoses et Suardones et Nurtones fluminibus aut silvis muniuntur. Nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Ertham, id est Terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. Attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intellegit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca, quaecumque adventu hospitioque dignatur.

1. *Suarines* superscr. ab al. m. *dones* P. *Nurtones* litt. *r* superscr. *i* P: alii *huitones* vel *nuithones* vel *vuithones*. 3. *Ertham* editor: P *neithũ*, litterae *i* superscr. ab al. m. *r*, alii *Neithum*, *Nerthum*, *Nertum*, *ne hertum*, *herthum* cet. 5. *in ea* cum ceteris P: tacite correctum a Rhenano. 7. *intelligit* P. 8. *leti* P. 9. *quaecũque* P. *ospitioque* superscr. ab al. manu *h* P.

maeo II 11 15: *τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μέν ἐστι τό τε τῶν Σουήβων τῶν Ἀγγειλῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λαγγοβάρδων ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.* *Varinos* enumerat Plinius IV 28 in gentibus Vindilorum. Minus constat de nomine *Reudignorum*. Fortasse apud Tacitum fuit *Reudi* et terminatio *Reudigni* ex proximo *deinde* adhaesit.

Ertham, id est Terram matrem: quod legitur in P et inde variis formis in ceteros libros migravit (*nerthũ*), tam in principio quam fine leviter vitiatum est, dum ex proximo *commune* syllaba *ne* ad *Ertham* accedit, unde factum *Nertham*, ut c. 28 *nubii* pro *ne Ubii*. Praeterea pro *ã* in exitu positum est *ũ*, ortum ex *a* semiaperto, commutatione satis frequente, praecipue cum nota compendii accessit. Nam si *Erthus* vel *Nerthus* deae nomen Germanicum fuisset, Tacitus flexurus erat *Nerthudem* aut *Nerthutem* aut *Nerthurem*, ut *paludem*, *virtutem*, *Tellurem*. Verum neque *Erthus* neque *Nerthus* Germanica vox et vocabulum unquam fuit, sed fuit *airtha* apud Gothos pro *terra*, idemque nomen in antiquo sermone Theodisco *Erda* audit, in novo *Erde*, in antiquo Saxonum *Ertha*, in Anglico *earth*. Hinc igitur *Ertham* dedi, nomen deae et vere Germanicum. Novi editores, infelicem Iac. Grimmii coniecturam secuti, scripserunt *Nerthum*, freti nomine *Niördhr* ex Edda relato. Sed *Niördhr* est *deus*, non *dea;* idem non *terrae* numen est, sed maris tempestatum potens et moderator ignis. Lege Iac. Grimmii Mytholog. Theod. p. 197 sq. et 230—231 ed. secundae.

est in insula Oceani castum nemus: eam insulam fuisse Rugiam (*Rügen*) tum propter sedes septem populorum Terram venerantium credere licet, tum inde colligitur quod *lacus secretus* paulo post memoratur. Talis enim illic est, silva densa saeptus et quam maxime secretus, immensa profunditate, cui hodie nomen *Burgsee*.

vectamque bubus feminis: ipsum vehiculum in speciem Liburnicae formatum, et hanc Ertham non aliam fuisse deam, quam quae c. 9

Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae 41
porrigitur. Propior, ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis;

4. *nomen* P: ceteri *numen*. 7. *illud* P et alii: nonnulli *id*. 8. *Sueuorum* Rhenanus in editione a. 1519: *verborum* cum ceteris P. 10. *nunc* deest in P: de ceteris nihil relatum. *danubium* P.

interpretatione Romana *Isis* vocatur, ad c. 9 monitum est. Eiusmodi navigium etiam seculo duodecimo per pagos et civitates in confinio Hollandiae (Maestricht) et terrae Rhenanae (Inden, Aachen) multo celebrantium comitatu in plaustro vectum esse traditur, luculenta antiquae religionis vestigia sacerdotibus odiosa. Cf. Grimmii Mythol. Theod. p. 237 sqq.

numen ipsum; Tacitus praemisit *si credere velis*, ut *numen ipsum* esse corpus deae, non simulacrum significaret. Nam ut dea in vehiculo sub veste adesse a sacerdote ferebatur, sic finito festo ipsa in lacu abluitur.

Cap. 41. *propior:* propiorem dicit provinciis Romani imperii ad dextram Danubii ripam sitis: nam Hermunduri sinistram Danubii ripam adversus Vindeliciam et Raetiam colebant.

Hermundurorum civitas: de horum sedibus exposuit Ledebur in libro: *Nordthüringen oder das Land der Hermunduren*, a. 1842. Ipsum *Thuringorum* nomen ab *Hermunduris*, omissa priore veteris vocabuli parte, descendit. De antiquis sedibus populi Velleius II 106: *qui* (Albis) *Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit*, etiam Strabo VII 1 3. Propius ad Danubium et meridiem versus collocavit Lucius Domitius: Dio LV 11 (ed. Sturz. t. III p. 362). Saepius in Annalibus a Tacito nominantur; v. Ind. hist.

in splendidissima Raetiae provinciae colonia: Raetiae nomine etiam Vindelicos complexus est. Iunxit utriusque gentis nomina II 17 *Raetorum Vindelicorumque — cohortes.* Colonia est Vindelicorum (*Augsburg*) aliquantum a Danubio in interiora (*penitus*) remota: alia iuste cogitari nequit.

passim sine custode transeunt: transeunt flumen Danubium provinciam Romanam a sedibus Hermundurorum dirimens. De *custode* v. H. IV 64.

in Hermunduris Albis oritur: Albis fluvii fontes nimis retrocedunt in orientem et septentrionem, neque eo sedes Hermundurorum porrectae fuerunt. Albim igitur pro fluvio in hunc incidente, cuius fontes magis ad meridiem et occidentis tractum positi

eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colònia. Passim sinė custode transeunt; et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclutum et notum olim; nunc tantum auditur.

42 Iuxta Hermunduros Varisti, ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque etiam ipsa sedes pulsis olim Boiis virtute parta. Nec Varisti Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons

2. *rhetiae* P. *passim sine* cum plerisque P: alii *passim et sine*. 6. *inclytum* P. 7. *Naristi* P. *Marcomani* cum plerisque P: non *Marcomanni*. 9. *etiam ipsa* P et Hummelianus: ceteri *ipsa etiam*. fortasse fuit *atque ipsa sedes*. *parata* P et Vaticanus 1862. cf. ad 4 44. 10. *naristi* P.

sunt (talis est *Eger*), videtur nominasse.

flumen inclutum et notum olim: Velleius II 106: *quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere temptatum erat, ad quadringentesimum miliarium a Rheno usque ad flumen Albim — Romanus cum signis perductus exercitus* (Tiberio duce). *Et eadem mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victori cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Caesarique se iunxit.* Adde Taciti IV 44 cum annotatione, etiam II 41.

Cap. 42. *iuxta Hermunduros Varisti:* Varisti in latere orientali Hermundurorum partem regni Bavarici superioris et orientem versus siti tenebant. Cum in P duobus locis *naristi*, apud Ptolemaeum II 1 23 Οὐαριστοὶ vocentur, in antiquiore libro unde P descriptus aut *n* pro *u* positum iam videtur fuisse (*naristi* pro *uaristi*), aut a Pontano *n* pro *u* obscure expresso suppeditatum. Vulgata *Narisci* nullo certo fundamento nititur. Sedes eorum Ptolemaeus definit ὑπὸ τὰ Σούδητα ὄρη.

deinde Marcomani et Quadi: Taciti temporibus et iam inde ab Augusto Marcomani in Bohemia agebant, a Maroboduo eo translati: Strabo VII 1 3. Velleius II 108: *quae* (Marcomanorum gens) *Maroboduo duce excita sedibus suis atque in interiora refugiens incinctos Hercynia silva campos incolebat.* Tacitus II 44—46 et 62—63. Nomen gentis in P una littera *n* effertur, in Annalibus a Mediceo semel *Marcomani* (II 62), semel *Marcomanni* vocantur; cf. annot. ad II 46. *Quadi* amplius orientem versus sedes habebant in Moravia et Hungaria. Ptolemaeus II 11 26: ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι, ἐφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα καὶ ἡ Λοῦνα ὕλη.

etiam ipsa sedes — virtute parta: antequam Boios expulerunt, propius ad Rhenum habitabant; hinc *Marcomani* in exercitu Ariovisti: Caesar B. G. I 51. Velle-

est, quatenus Danuvio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. Raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

Retro Marsigni, Gotini, Osi, Buri terga Marcomanorum 43
Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suevos referunt: Gotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam

1. *danubio* P et alii. 3. *et*] *et*˘ in P ante *externos* vidit Massm. 4. *autoritate* (per comp. *aūte*) P. 7 et 9 et 12. *Gotini* sine *h* P. 7 et 8. *buri* P cum plerisque: *Burii* Marcianus. 14. *montium iugumque* P et ceteri praeter Arundelianum qui *iugaque*.

ius II 108: *Maroboduus — certum imperium vimque regiam complexus animo statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima.*

quatenus Danuvio peragitur: peragitur nove dixit pro efficitur. Nimirum ut homines aevum (A. 44) vel vitae curriculum, sic flumina cursum peragunt. Lipsius coniecit *praetexitur*, Tagemannus (p. 41) *praecingitur.*

nec minus valent: pecunia ab Romanis accepta reges Marcomanorum non minus valent, quam cum armis iuvantur: scilicet in gente bellorum avida exercitum et auxilia, ubi opes non desunt, parare pronum est. Olim non vere haec verba spuria esse credidi.

Cap. 43. *retro — claudunt:* in extremo oriente Germaniae Danubio terminatae postquam advenit, cursum in septentrionem dirigit. *Marsigni et Gotini, Osi et Buri* ibi degebant, ubi nunc Bohemiae orientalis pars septentrionem versus et Moravia septentrionalis. *Buros* recenset Ptolemaeus II 11 20: *Λοὺγ(ι)οι οἱ Βοῦροι* μέχρι τῆς κεφαλῆς τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ.

Osos — patiuntur: Osos non esse Germanos ex lingua eorum Pannonica et ignavis moribus narrator colligit. Sed id ei incertum fuit utrum stirps illa Pannonica in solo Germanico antiquitus fuerit an ex Pannonia immigraverit; v. cap. 28 cum annotatione.

Gotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt: ferrum effodiunt et pro tributo tradunt. Hoc enim verba *quo magis pudeat* suggerunt: quippe ferrum non effodiunt ut armis hostem propulsent,

continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt. Ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Harios, Helveconas, Manimos, Elisios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquae religionis lucus ostenditur. Praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. Ea vis numini: nomen Alcis. Nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium. Ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Harii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra scuta, tincta corpora. Atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt,

2. *legiorum* litterae *e* superscr. *i* et *e* subnotato P: alii *legiorum*, Florentinus *ligiorum*. 3. *harios* cum omnibus fere libris P: pauci *Arios*. *Helvetonas* pr Δ et Monacensis. 4. *elisios* P: plerique *helisios* vel *helysios*. *naharualos* utrobique P: alii *nahanarualos*. 7. *noiat memorat* P (v. *noiat* lineola transfixum et ab al. manu subnotatum punctis. Orellius falso ex P *norat* attulit): ceteri *memorant*. *aleis* P, plerique *alcis*, nonnulli *Altis*. 9. *Harii*] *alii* cum plerisque P. 10. *trucis* cum ceteris P deleto *s* ab al. manu. 12. *p̃lia* P.

sed ut pacem a melioribus redimant. *Gotini* sine *h* constanter scribuntur in P et libris melioribus. Dioni apud Xiphilinum LXXI 12 *Κοτινοὶ* audiunt.

saltus et vertices montium insederunt: montes dicit quibus iam nomen *Erzgebirge*, *Riesengebirge*, *Sudeten*. Vertices montium *iuga* sunt, nihil aliud. Nam tractus montium modo *iugo* iumentorum collis imposito, modo ipsis *verticibus* comparatur. Tolerari igitur *iugumque* post *vertices montium* non potest. Glossa est, in *ἀρχετύπῳ* ascripta ad v. *et vertices montium*, sumpta ex proximis *montium iugum*.

ultra quod: in campestribus Silesiae locis. *Lygiorum nomen:* hoc ad similitudinem *nominis Latini* vel *Etrusci*. Perinde c. 39 extr. *corpus* positum. Apud Ptolemaeum recensentur *Λοῦγ(ι)οι οἱ Βοῦροι* (II 11 20), *οἱ Λοῦνοι* (§. 18), *οἱ Ὀμανοί* (ibid.); a Tacito commemorantur Lygii XII 29, ubi dictum de scriptura nominis.

ea vis numini: nomen Alcis: cum ut fratres, ut iuvenes colerentur di Naharvalorum, nomine hoc indicandum erat, h. e. vocabulo nominandi erant cui multitudinis nota impressa esset. Tale fuit *Alcis*. Non vere Grimmius in Mytholog. Theod. p. 57 genitivum esse *Alcis* opinatur, factum a nominativo *Alx*. Quippe *alhs* esse vocem Gothorum et inde hoc *Alx* formatum esse. Sed *alhs* Gothorum est *templum* vel *delubrum*, non vocabulum numinis.

formidine atque umbra feralis exercitus: formido est terricula-

nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.

Trans Lygios Gothones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros 44
armaque classibus valent. Forma navium eo differt quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit. Nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos,

3. *ligios* P et plerique. *gothones* P cum plerisque. *regnāt* P, et sic vel *regnant* plerique: nonnulli *regnaī*, h. e. *regnantur*. 5. *Lemonii* superscr. ab al. m. *v* P. 8. *ipsae* P et alii: plures *ipso*. 10. *utrīq3* P.

mentum vel res formidabilis; *umbra* solito significatu fungitur, neque idem valet atque *adumbratione*, ut dicit Doederlinius. *Umbrae* omnium rerum tempore nocturno maiores videntur. Feralis exercitus (*leichenartiges Heer*) is est, cuius non homines, sed mortuorum animae, lemures et larvae videntur esse.

primi in omnibus proeliis oculi vincuntur: satis est ut vincantur milites, si metus, sive verus sive falsus, iniicitur, isque oculis suscipitur.

Gothones regnantur: *Gotones* nominantur in codice Mediceo Annalium II 62. Strabonis VII 1 3 *Βούτονες* (l. *Γούτωνες*) non alii videntur fuisse. Sarmatis annumerat Ptolemaeus, *Γύθωνας* exhibens III 5 §. 20: *παρὰ μὲν τὸν Οὐιστούλαν ποταμὸν ὑπὸ τοὺς Οὐενέδας Γύθωνες.* *paulo iam adductius*: cf. annot. ad XII 7.

Suionum hinc civitates, ipso in Oceano: dicit civitates iam in regna Scandinavica Norvagorum et Suedorum coniunctas, quae terrarum spatia a veteribus pro insulis habita sunt. Plin. IV 27: *qui* (sinus) *Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia est, incompertae magnitudinis.* Ptolemaeus II 11 33: *ἀπ᾽ ἀνατολῶν δὲ τῆς χερσονήσου* (*Κιμβρικῆς*) *τέσσαρες* (*νῆσοι*) *αἱ καλούμεναι Σκανδίαι, τρεῖς μὲν μικραί, — μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη κατὰ τὰς ἐκβολὰς Οὐιστούλα ποταμοῦ.*

utrimque prora — agit: conf. II 6. II. III 47. *in ordinem*: h. e. ut ordo fiat; cf. ad c. 26.

eoque unus imperitat: imperitat qui prae ceteris valet opibus et suo aere satellites parare et alere potest. *nullis iam exceptionibus*: unus tam plebi quam nobilibus imperitat: eundem li-

eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. Enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

45 Trans Suiones aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adicit. Illuc usque, et fama vera, tantum natura.

4. *ociosa* P: *otiosae* comparet in Coleri annotatione et in ed. Ernestiana. 8. *Suiones* P: ex ceteris plerique *Suionas*. *īmotū* P. 10. *ortum* P et *Δ*: alii *ortu* aut *ortus*. 11. *emergentis* P cum plerisque: abest a quinque codicibus (R^c KSVW). *formasque* P et plerique: nonnulli *formas*. 12. *adiicit* P.

bero arbitrio dominari sequentia narrant, *non precario iure parendi*, h. e. ut sibi velint parere, precibus non impetrandum habet. Frustra offendit Doederlinius et coniecit *non precario iure*, *nullis iam exceptionibus parendi*.

regia utilitas est: cf. annot. ad VI 1.

Cap. 45. *trans Suiones aliud mare:* dicit Oceanum septentrionalem trans Norvagiae flexum quo sinistrorsum excurrit in mare ad insulas Shetlandicas. *in ortum edurat:* rei causam explicare conatur in Agricola c. 12, libro aliquamdiu ante Germaniam edito.

sonum insuper emergentis audiri: pro *emergentis* Lipsius commendavit *se mergentis* assentiente Doederlinio, Ernestius verbum ab aliena manu additum putabat, quo auctore deletum est in editionibus novis, a Massmanno uncis circumdatum. Ac Lipsii quidem coniectura prorsus spernenda est. Nam haec descriptio non spectat extremum Occidentem solisque occasum, de quo iam satis relatum est, sed tractus septentrionalis regionem adversus Orientem longius promotam. Lege modo quae proxime scripta sunt: *Occidentis insulis terrisque inesse* (fecundiora nemora) *crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora* (in litora ex adverso ad orientem sita) *exundant*. Hinc perspicitur optime se habere *emergentis*. Nam ab emergente sole non ita procul abesse extremum Oceanum Tacitus vel eius narratores cogitant.

illuc usque, et fama vera, tantum natura: verba *et fama vera* respiciunt incertam persuasionem modo traditam; id in narrationibus hominum verum esse monetur, naturae finem illic esse. Naturae finis ubi nihil nascitur ad homines

Ergo iam dextro Suevici maris litore Aestiorum gentes adluuntur; quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omnique tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec

1. *seuici* superscr. *Suevici;* in mg. ab al. m. *suionici* P. *Aestiorum* Δ et alii: P *estiorum* superscr. ab al. m. *eflu.* 2. *abluuntur* P et Vaticanus 1862: ceteri *adluuntur* vel *alluuntur.* 4. *oīumq;* P: *omnique* Turicensis. 5. *ostis* superscripto *h* P: ceteri *hostes.*

et animantia sustentanda. A. 33: *nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*

ergo iam dextro — Aestiorum gentes adluuntur: dicit extremas regni Borussici regiones, ut ex succino ibi nato cognoscitur: succinum enim nonnisi ad utramque Vistulae in mare Balticum se effundentis oram colligitur.

ritus habitusque Suevorum: ritus accipe religiosos, nominatim *Erthae* vel *Isidis* venerationem (cf. c. 40 et 9): *habitus* praecipue ad capillum refertur.

matrem deum venerantur: non aliam esse deam quam quae c. 9 Isis, c. 40 Ertha vel Terra mater nominata est, hinc colligas quod *ritus Suevorum* Aestiis modo disertim ascripta sunt. *formas aprorum:* sunt parvae imagines aprorum ad modum bullarum gestari solitae.

pro armis omnique tutela: omniumque scriptura ex *oīq;* compendio prave soluto (*oīūq;*) aut ex assimilatione ad proximum *securum* emersit. Sellingius ac Waltherus genitivum vindicantes *omnium tutelam* explicant *tutelam contra omnia*, et genitivum hac significatione praeditum *obiectivum* appellant. Sed *tutela omnium*, si genitivus est obiectivus, non est tutela *contra omnia*, sed tutela *quae omnibus praestatur*, quemadmodum eadem verba, si genitivus pro subiectivo accipitur, tutelam *quam praestant omnes* designant. Cf. O. 5: *cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum praesidio et tutela intellegitur.* Doederlinius comparavit c. 46 *ferarum suffugium*, II 22 *veniam omnium*, ut *tutelam omnium* significare posse *tutelam adversus omnia* probaret, sed nomina diversi generis commiscuit: nam *venia* et *suffugium* a verbis intransitivis, *tutela* a transitivo conformatum est.

frumenta ceterosque fructus — laborant: nominum accusativos iunxit cum verbo *laborare*, usum poetarum secutus, ut Horatii Epod. 5 60. Cf. Forcellinii lexicon s. v. *laboro* extr. *Elaborant* ponere noluit, quod inest notio perfectionis vel artis.

succinum, quod ipsi glesum vocant: Plinius XXXVII 11 §. 2: *certum est gigni in insulis septentrionalis Oceani et a Germanis appellari glessum; itaque et a nostris unam insularum ob id Gles-*

quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve. Diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudant, ita Occidentis insulis

1. *que nā q̄ ue* P. *gignat* P cum nonnullis: plerique *gignit*. 4. *ꝑfertur* P, *profertur* Stuttgardiensis. *preciumque* P. 5. *intelligas* P. 9. *sudant* P et Florentinus: ceteri *sudantur*.

sariam appellatam, Germanico Caesare ibi classibus rem gerente, Austrariam a barbaris dictam. Nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resina pinis. Erumpit humoris abundantia, densatur rigore vel tepore autumnali. Cum intumescens aestus rapuit ex insulis, certe in litora expellitur, ita volubile ut pendere videatur atque considere in vado. Quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineae autem arboris esse indicio est pineus in attritu odor, et quod accensum taedae modo ac nidore flagret. Adde Theophrasti hist. plant. IX 18 (19) §. 2; Diodori V 23; etiam Cassiodori epistolam (Var. V 2) fini huius libri adiectam. Ceterum de natura et origine succini diligenter expositum a viris peritis in libro: *Der Bernstein und die in ihm befindlichen Pflanzenreste der Vorzeit, bearbeitet von H. R. Goeppert und G. C. Berendt.* Berolini 1845.

succum tamen arborum esse: arbor illa iam emortua (*antediluviana, protogaea*) a naturae peritis modo laudatis appellatur *pinites succinifer.*

terrena quaedam — cluduntur: Plinius l. c.: *liquidum primo destillare argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicae aut culices lacertaeque, quas adhaesisse musteo non est dubium et inclusas indurescenti.* Cf. Martialis lusus ingeniosi IV 32 et 59, VI 15.

ubi tura balsamaque sudant: sudant est sudore effluunt vel defluunt, et haec vetus scriptura praeferenda alteri *sudantur.* Passivi usus, exceptis formis *sudatur* et *sudatum est* et *sudatus*, certa exempla desiderantur. De re v. H. V 6. Respicit his verbis auctor maius opus cum minore simul evulgatum.

ita Occidentis insulis — in adversa litora exundant: Occidentis insulas cogitat in ipso Occidente (h. e. sub solis occasu sive in extremo Occidente) sitas et sole vicino (h. e. occidente) torridas. *Litora adversa* sunt quae longo intervallo ad orientem posita sunt. Idem hoc opinatus est Nicias Graecus, nisi quod solis radiis eum succum effici credidit; de eo Plinius XXXVII 11 §. 1: *Nicias solis radiorum succum intelligi voluit. Hos circa occasum credit*

terrisque inesse crediderim; quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igni temptes, in modum taedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviae finis.

1. *radius* P cum nonnullis. 4. *igni tentes* P. *tedae* P. 6. *sithonum* P : ceteri *Sitonum*. *gens* superscr. ab al. m. *tes* P. *continuatur* pr P. 7. *dnãtur* P (pro *dñatur*). 8. *degn'atur* superscr. ab al. m. *nerant* et litt. *tur* punctis subnot. P: plerique *degenerant*. 9. *fines* P cum plerisque: *finis* Hummelianus et ed. Puteolani.

vehementiores in terram actos pinguem sudorem in ea parte Oceani relinquere, deinde aestatibus (l. *tempestatibus*) *in Germanorum litora eiici.* Hanc sententiam Tacitus ita suam fecit, ut cetera adoptaret, sed pro succo radiorum solis arboris succum substitueret.

Verba *quae expressa atque liquentia* grammatica ratione referuntur ad *nemora lucosque*, logica ad ea quae sudando defluunt; quod ut fieri facilius possit, addito *fecundiora* provisum est: nam *fecundiora nemora* sunt quorum silva partus quosdam sudat et procreat.

Hic adiungere non alienum videtur quae Berendt l. c. pag. 8 de succini primordiis et natura exploravisse sibi visus est:

> 'In der Gegend des heutigen Samlandes tauchte eine Insel, oder eine Inselgruppe, ein Inselland oder ein Continent auf, — man bezeichne es wie man will, ich nenne es I n s e l l a n d! — wuchs an Umfang und überzog sich, begünstigt von mildem Seeklima, mit Vegetation und Wald. Dieser Wald war die Geburtsstätte des Bernsteins, in ihm schwitzten gewisse Bäume ihr Harz in so unbeschreiblicher Menge aus, dass die versunkene Vorrathskammer, der ehemalige Waldboden, davon noch jetzt so erfüllt zu sein scheint, als wäre sie durch die später eingebrochenen Meeresfluthen und durch die unzähligen den Ocean Jahrtausende lang durchwühlenden Stürme erst eines geringen, kaum in Anschlag zu bringenden Theiles ihres Inhaltes beraubt. Der nordwestliche Rand dieses ehemaligen Insellandes erstreckte sich höher als die heutige Nordwest-Spitze Samlands. Neben und über ihr lag, meines Erachtens, jenes urweltlichen Waldes geographischer Mittelpunkt, der sich noch heute im Vorkommen des Bernsteins als solcher zu erkennen giebt. Ich stelle diesen Centralpunkt in den südöstlichen Theil des heutigen Ostsee-Beckens unter etwa 55° Lat. und 37—38° Long.'

Sitonum gentes continuantur: Sitones Suionibus ad dextram ha-

46 Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor procerum. Connubiis mixti nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt: nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia

1. *Peucinorum* primis duabus syll. superscr. *curo* P. *uenetorumque* — *ueneti* P cum plerisque. in aliis *th* pro *t*, in nullo *d*. 4. in P punctum est post *torpor;* nomen *procerum* cum *connubiis* iungitur, neque vere aliter rettulit de P Massmannus. 5. *mixti* ex suspicione Coleri: *mistos* superscr. litt. *o* ab al. m. *i* P, unde plerique *mistos* aut *mixtos*, alii *mixtis*. *hītū* P. *fedantur* P. 6. *qcq̱d* P.

bitavere, ut videtur, ubi nunc est Suedia (Schweden).

Cap. 46. Hoc capite quasi appendicis loco complexus est gentes, quas utrum Germanis an Sarmatis ascriberet incertus erat. Sarmatae (*Slaven*) Europaei inter Vistulam et Tanaim: Ptol. III 5 §. 1 et 2 et 10. In *Fennis* mox memoratis pronum est agnoscere *Finnos* (*Finnen*), qui *Φίννοι* sunt Ptolemaeo in Sarmatia Europaea III 5 §. 20, in *Venetis* gentes *Vendorum* (*Wenden*), quos Plinius IV 27 (13) rectius vocavit *Venedos* sive *Venedas* (apud ipsum est *a Sarmatis*, *Venedis*), *Οὐενέδας* Ptolemaeus III 5 §. 19, Iornandes *Vindarum* nationem c. 5.

quos quidam Bastarnas vocant: Plinius IV 28: *quinta pars* (Germanorum) *Peucini*, *Bastarni*, *supradictis contermini Dacis.* Strabo VII 3 §. 5: *πρὸς δὲ ταῖς ἐκβολαῖς* (τοῦ Ἴστρου) *μεγάλη νῆσός ἐστιν ἡ Πεύκη· κατασχόντες δ' αὐτὴν Βαστάρναι Πευκινοὶ προσηγορεύθησαν.* Ptolemaeus III 5 19: *ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκῖνοί τε καὶ Βαστέρναι.*

sermone cultu, sede ac domiciliis: cf. ad XI 6. Sedem et domicilia dicit fixa, opposita mobilibus Sarmatarum.

sordes omnium ac torpor procerum: vere Bipontini nomen *torpor* cum vocabulo *procerum* iunxerunt. Sordent omnes, proceres nihil agunt, sed domus curam ceteris delegant. Cf. c. 15: *fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens —. Ipsi hebent* cet.

connubiis mixti nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur: post *mixti* ex proxime sequentibus facile sumitur *Sarmatis* vel *cum Sarmatis.* Idem est ac si scripsisset *connubiis mixti Sarmatis nonnihil in eorum habitum foedantur.* Causa cur in Sarmatarum habitum Peucini foedentur, verbis *connubiis mixti* continetur. Forma *mixtis* prava assimilatione nata est, per eamque certa subiecti nota subtrahitur. Iam structura adest Tacito adamata. XI 24: *iam moribus artibus adfinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius, quam separati habeant*; XIII 34: *Armenii — similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti.* H. II 80: *quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus*

et domos figunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus. Sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit: passim enim comitantur, partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficilem adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit.

1. *figunt* P et Turicensis et Kappianus: ceteri *fingunt*. *peditum* (prius erat *pecudum*, ut in Vaticano 1862) corr P et ceteri. 5. *solae* cum plerisque P: *sola* Stuttgardiensis, Turicensis, Vaticanus 2964. 9. *ɔtegāt˜* P. 11. *īlaborare* P. 13. *difficilem* P et Vaticanus 1862: ceteri *difficillimam*. *assecuti* P. *sunt* excidit in exemplari Trossiano, *sit* Rhenanus: P *eet* superscr. *ss*, ceteri *esset*.

et propinquitatibus mixti. A. 25: *cum — pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta — attollerent.*

domos figunt: domos fixas humi ponunt, non in plaustris secum ferunt more Sarmatarum. Haec vetus scriptura et proba: altera *fingunt*, quam interpretantur *e luto fingunt*, obscure loquentem Tacitum facit.

peditum usu ac pernicitate gaudent: h. e. pedites habent, atque ex omni iuventute delectos cum equitatu miscent, *congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum* (c. 6). De verbo *gaudere* dictum ad c. 5.

Fennis mira feritas sqq.: haec de Fennorum paupertate et continentia paulo copiosius persecutus est et exornavit, ut dignam libro clausulam conciliaret. *ingemere agris:* comparant Lucretii V 209: *ni vis humana resistat, vitaï causa valido consueta bidenti ingemere et terram pressis proscindere aratris.* Taurum *ingemere aratro* dixit Virgilius Georg. I 46.

inlaborare domibus: h. e. extruendarum domuum tolerare operam.

securi adversus deos: 'non *quo nullos credant, sed quo nihil habentibus adimere dii nihil possunt*'. Ernestius.

rem difficilem adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit: *rem difficilem* nos Germani dicimus *eine schwere Aufgabe*, atque haec scriptura libri P ad Taciti gravem simplicitatem melius videtur quadrare quam *rem difficillimam*, ut in plerisque codicibus mutatum est ad rei miraculum exaggerandum. Paulo post *sit* pro vulgato vitio *esset* postulat usus Latinus: auctor enim non narrat his verbis, sed

Cetera iam fabulosa; Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere; quod ego ut incompertum in medium relinquam.

1. *oxionas* superscr. 'vel *etionas*' P.

suum iudicium interponit, id quod oblitus est Ernestius, cum emendationem Rhenani impugnavit. Forma *esset* ex compendio prave soluto videtur emersisse.

corpora atque artus ferarum: Plinius IV 27: *feruntur insulae, — in quibus equinis pedibus homines nascantur, Hippopodes appellati.* Conf. II 24: *ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, — monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas.*

in medium: vitavit tritum *in medio*; illud est *ut medium sit*, h. e. neque falsi revictum neque compertum. Cf. annot. ad verba *in vicos* c. 26.

ADDITAMENTVM AD CAP. 9 ET 40 DE NAVIGIO ISIDIS VEL ERTHAE VEHICVLO [1]).

Est genus mercenariorum, quorum officium est ex lino et lana texere telas; hoc procax et superbum super alios mercenarios vulgo reputatur, ad quorum procacitatem et superbiam humiliandam et propriam iniuriam de eis ulciscendam pauper quidam rusticus ex villa nomine Inda *(Inden)* hanc diabolicam excogitavit technam. Accepta a iudicibus fiducia et a levibus hominibus auxilio, qui gaudent iocis et novitatibus, in proxima silva navem composuit et eam rotis suppositis affigens vehibilem super terram effecit; obtinuit quoque a potestatibus, ut iniectis funibus textorum humeris ex Inda Aquisgranum traheretur, Aquis suscepta cum utriusque sexus grandi hominum processione: nihilominus a textoribus Traiectum *(Mastricht)* est provecta, ibi emendata, malo veloque insignita Tungris est inducta, de Tungris Los *(Looz)*. Audiens abbas (*sancti Trudonis*) Rodulfus navim illam infausto omine compactam malaque solutam alite cum huiusmodi gentilitatis studio nostro oppido adventare, praesago spiritu hominibus praedicabat, ut eius susceptione abstinerent, quia maligni spiritus sub hac ludificatione in ea traherentur, in proximoque seditio per eam moveretur, unde caedes, incendia rapinaeque fierent, et humanus sanguis multus funderetur. Quem ista declamantem omnibus diebus, quibus maligno-

1) Narratio haec de navi suppositis rotis mobili tam manifesta continet antiqui illius et Suevici ritus vestigia, ut digna visa sit quam cum lectoribus Taciti communicarem, sumptam ex Rodulfi *Chronico abbatiae S. Trudonis* lib. XI. Vid. Dachery *Spicileg.* t. VII edit. Paris. 1666 p. 501—505 vel t. II ed. Par. 1723 p. 704—706. Iac. Grimmii Mythol. Theod. t. I p. 237—240. Rodulfus vixit seculo duodecimo.

rum spirituum illud simulacrum Loci morabatur, oppidani nostri audire noluerunt, sed eo studio et gaudio excipientes, quo perituri Troiani fatalem equum in medio fori sui dedicaverunt, statimque proscriptionis sententiam accipiunt villae textores, qui ad profanas huius simulacri excubias venirent tardiores. Pape, quis vidit unquam tantam (ut ita liceat latinisare) in rationalibus animalibus brutitatem? Quis tantam in renatis in Christo gentilitatem? Cogebant sententia proscriptionis textores nocte et die navim stipare omni armaturae genere, sollicitasque ei excubias nocte et die continuare. Mirumque fuit, quod non cogebant eos ante navim Neptuno hostias immolare, de cuius naves esse solent regione, sed Neptunus eas Marti reservabat, quod postea multipliciter factum est.

Textores interim occulto sed praecordiali gemitu deum iustum iudicem super eos vindicem invocabant, qui ad hanc ignominiam eos detrudebant, cum iuxta rectam vitam antiquorum Christianorum et apostolicorum virorum manuum suarum laboribus viverent, nocte et die operantes, unde alerentur et vestirentur, liberisque suis id ipsum providerent. Quaerebant et conquerebantur ad invicem lacrymabiliter unde illis magis quam aliis mercenariis haec ignominia et vis contumeliosa, cum inter Christianos alia plura essent officia suo multum aspernabiliora, cum tamen nullum dicerent aspernabile, de quo Christianus posset se sine peccato conducere, illudque solum esset vitabile et ignobile quod immunditiam peccati contraheret animae, meliorque sit rusticus textor et pauper, quam exactor orphanorum et spoliator viduarum urbanus et nobilis iudex. Cumque haec et eorum similia secum, ut dixi, lacrymabiliter conquererentur, concrepabant ante illud nescio cuius potius dicam Bacchi an Veneris, Neptuni sive Martis, sed ut verius dicam ante omnium malignorum spirituum execrabile domicilium genera diversorum musicorum, turpia cantica et religioni Christianae indigna concinentium. Sancitum quoque erat a iudicibus, ut praeter textores, qui-

cumque ad tactum navi appropinquarent, pignus de collo eorum ereptum textoribus relinquerent, nisi se ad libitum redimerent. Sed quid faciám? Loquarne an sileam? Utinam spiritus mendacii stillaret de labiis meis: sub fugitiva adhuc luce diei imminente luna matronarum catervae abiecto femineo pudore audientes strepitum huius vanitatis, sparsis capillis de stratis suis exiliebant, aliae seminudae, aliae simplice tantum clamide circumdutae, chorosque ducentibus circa navim impudenter irrumpendo se admiscebant. Videres ibi aliquando mille hominum animas sexus utriusque prodigiosum et infaustum celeusma usque ad noctis medium celebrare. Quando vero execrabilis illa chorea rumpebatur, emisso ingenti clamore vocum inconditarum sexus uterque hac illacque bacchando ferebatur; quae tunc videres agere, nostrum est tacere et deflere, quibus modo contingit graviter luere. Istis tam nefandis factis plus quam duodecim diebus supradicto ritu celebratis, conferebant simul oppidani quid agerent amodo de deducenda scilicet navi.

Qui sanioris erant consilii, et qui eam susceptam fuisse dolebant, timentes deum pro his quae facta viderant et audierant, et sibi pro his futura coniiciebant, hortabantur ut comburatur aut isto vel illo modo de medio tolleretur; sed stulta quorundam coecitas huic salubri consilio contumeliose renitebatur. Nam maligni spiritus qui in illa ferebantur, disseminaverant in populo, quod locus ille et inhabitantes probroso nomine amplius notarentur, apud quos remansisse inveniretur. Deducendam igitur eam ad villam, quae iuxta nos est, Leugues decreverunt. Interea Lovaniensis dominus audiens de daemonioso navis illius ridiculo, instructusque a religiosis viris terrae suae de illo vitando et terrae suae arcendo monstro, gratiam suam et amicitiam mandat oppidanis nostris, commonefaciens eos humiliter, ut pacem illam, quae inter illos et se erat reformata et sacramentis confirmata, non infringerent, et inde praecipue illud diaboli ludibrium viciniae suae inferrent; quod si ludum esse dicerent, quaererent alium cum quo inde luderent. Quod si ultra

hoc mandatum committerent, pacem praedictam in eum infringerent et ipse vindictam in eos ferro et igne exsequeretur. Id ipsum mandaverat Durachiensibus dominis, qui et homines eius fuerant manuatim, et interpositis sacramentis, et obsidibus datis sibi confoederati. Hoc cum iam tertio fecisset, spretus est tam ab oppidanis nostris quam Durachiensibus dominis. Nam propter peccata inhabitantium volebat dominus mittere super locum nostrum ignem et arma Lovaniensium. Ad hanc igitur plebeiam fatuitatem adiunxit se dominus Gislebertus *(advocatus abbatiae S. Trudonis)* contra generis sui nobilitatem, trahendamque decrevit navem illam terream usque Leugues ultra Durachiensem villam, quod et fecit malo nostro omine cum omni oppidanorum nostrorum multitudine et ingenti debacchantium vociferatione. Leuguenses oppidanis nostris prudentiores et Lovaniensis domini mandatis obsequentes portas suas clauserunt et infausti ominis monstrum intrare non permiserunt.

ADDITAMENTVM AD CAP. 45.

THEODORICI REGIS AD HAESTOS EPISTOLA.

(Cassiodori Variar. V 2.)

HAESTIS THEODORICUS REX.

Illo et illo legatis vestris venientibus, grande vos studium notitiae nostrae habuisse cognovimus, ut in Oceani litoribus constituti cum nostra mente iungamini. Suavis nobis admodum et grata petitio, ut ad vos perveniret fama nostra, ad quos nulla potuimus destinare mandata. Amate iam cognitum, quem requisistis ambienter ignotum. Nam inter tot gentes viam praesumere non est aliquid facile concupisse. Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes indicamus, succina quae a vobis per harum portitores directa

sunt, grato animo fuisse suscepta. Quae ad vos Oceani unda descendens, hanc levissimam substantiam, sicut et vestrorum relatio continebat, exportat: sed unde veniat incognitum vos habere dixerunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis. Hoc quodam Cornelio scribente legitur, in interioribus insulis Oceani ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paulatim solis ardore calescere. Fit enim sudatile metallum teneritudo (lege *teneritudine*) perspicua, modo croceo colore rubens, modo flammea claritate pinguescens, ut cum in maris fuerit delapsa confinio, aestu alternante purgata, vestris litoribus tradatur exposita. Quod ideo iudicavimus indicandum, ne omnino putetis notitiam nostram fugere, quod occultum creditis vos habere. Proinde requirite nos saepius per vias quas amor vester aperuit, quia semper prodest divitum regum acquisita concordia, qui dum parvo munere leniuntur, maiore semper compensatione prospiciunt. Aliqua vobis etiam per legatos vestros verbo mandavimus; per quos quae grata esse debeant, nos destinasse declaramus.

CORNELII TACITI
VITA
IVLII AGRICOLAE.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—3: Prooemium. Ad prodendam virtutis memoriam prioris aevi ingenia, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebantur, ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt. Tacito defuncti hominis vitam scripturo venia opus fuisset, ipsi periculosa eoque non petita (1). *Scilicet infesta tunc virtutibus tempora et princeps abominabili saevitia loquendi audiendique commercium sustulerant* (2). *Sed Nerva Caesar et Traianus novi ac laetissimi seculi primordia ostendunt, auctoremque libri iam non pigebit vel incondita voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse; interim edita Agricolae soceri sui vita pietatis officio satisfacere intendit* (3).

Cap. 4—17: Agricolae vita ante Britanniae administrationem. Ei patria Foroiuliensium colonia, avus eques Romanus, pater senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus. Ipse post praematuram patris mortem in sinu et indulgentia matris per omnem honestarum artium cultum educatus est, statim parvulus sedem ac magistram studiorum nactus Massiliensium coloniam. Prima in iuventa studium philosophiae acrius hausurum coërcuit prudentia matris, mox mitigavit ratio et aetas, sed retinuit ex sapientia modum (4). *Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino diligenti ac moderato duci approbavit, in dubiis rebus intentus cautusque. Ibi animum intravit militaris gloriae cupido* (5). *In urbem regressus Domitiam splendidis natalibus ortam sibi iunxit. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit. Tribunatum plebis et praeturam quiete et otio transegit, gnarus sub Nerone temporum. Mox a Galba delectus ad recognoscenda*

templorum dona diligentissima conquisitione bono publico consuluit (6). Sequens annus matrem abstulit. Agricola ad sollemnia pietatis profectus in Liguriam nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus et statim in partes transgressus est. A Muciano vicesimae legioni Britannicae praepositus sub Vettio Bolano consulari legato vim suam ardoremque compescuit, dein sub Ceriale strenuus et clarus bello egit (7—8). In urbem reversus inter patricios assumitur, tum Aquitaniae provinciae praeficitur, quam pari iustitia et lenitate rexit. Ad spem consulatus revocatus et post consulatum Britanniae praepositus est (9).

Britanniae situs et populi (10—11). In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Caelum insulae et fruges (12). Ipsi Britanni tributa et delectus impigre obeunt, iniurias aegre tolerant. Divus Iulius primus Romanorum cum exercitu Britanniam ingressus ostendit posteris, non tradidit. Auctor operis divus Claudius (13). Legatorum consularium primus impositus est Aulus Plautius, subinde Ostorius Scapula; redacta in provinciae formam proxima pars Britanniae. Ostorium Gallus excepit, hunc Veranius; post quem Suetonius Paulinus per biennium prosperas res habuit, sed Monam insulam aggressus occasioni terga patefecit. Paulinus propere subveniens primo de salute, mox de victoria certavit. Paulino successor Petronius Turpilianus; is compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Sub eo militari seditione laboratum, nec Vettius Bolanus agitavit Britanniam disciplina (15—16). Successor Petilius Cerialis, strenuus bello, Brigantum civitatem, Iulius Frontinus Silurum gentem armis subegit (17).

Cap. 18—38: Agricolae legatio Britannica. Frontino successit Agricola. Qui media iam aestate transgressus quamquam tarda et contraria bellum inchoaturo omnia offendit, contractis modicis viribus Ordovices hostes aggreditur, caesaque prope universa gente in Monam sine classe copias transmisit insulamque in potestatem redegit. Quibus factis clarus et magnus habetur; ipse famae dissimulatione famam auxit (18). Iustitia et aequitate causas bellorum excidere statuit (19). Ubi aestas advenit, contracto exercitu praesidia promovit; multae civitates datis obsidibus iram posuere (20). Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Britanni Romana consuetudine et delenimentis vitiorum illecti (21). Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit. Agricolae prudentia in tuendis iis quae subiecerat (22). Quarta aestate ad Clotam usque et Bodotriam duxit exercitus (23). Quinto expeditionum anno Clotam navibus transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris ac prosperis proeliis domuit, de Hibernia intranda et subigenda cogitavit (24). Aestate qua sextum officii annum inchoabat, amplexus est civitates trans Bodotriam sitas, comitante classe in partem virium assumpta. Conciti ad arma Caledoniam incolentes populi; pluribus agminibus cum

irrupturi essent, diviso in tres partes exercitu Agricola incessit (25). *Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem noctu aggressi sunt. Sed Agricola propere subveniens legionem discrimini exemit, hostes in fugam coniecit. Mox irritatis utrimque animis discessum* (26—27). *Eadem aestate cohors Usipiorum magnum et memorabile facinus ausa est* (28). *Sequentis aestatis initio Agricola praemissa classe cum expedito exercitu ad montem Grampium pervenit, quem Caledonii duce Calgaco magno exercitu insederant* (29). *Utriusque ducis ad suos adhortatio* (30—34). *Proelium atrox et Britannis perniciosum* (35—37). *Dux Romanus praefecto classis Britanniam circumvehi praecipit; ipse obsidibus acceptis peditem atque equitem in hiberna reduxit* (38).

Cap. 39—46: Agricolae postrema. Domitianus ob Agricolae gloriam variis curis exercitus, quas hic noster sollerter recludit (39). *Nihilo minus triumphalia ornamenta multo verborum honore cumulata decerni in senatu iubet, addique opinionem Syriam provinciam Agricolae destinari. Regressus Agricola; in urbe de ea re rumores. Otium penitus auxit, claritudinem celavit* (40). *Ob virtutes et gloriam suspectus Domitiano* (41). *Memorabile eius suspicionis et metus argumentum. Agricola prudentia et moderatione saevitiam principis lenivit* (42). *Finis vitae suis luctuosus, amicis tristis, etiam ignotis non sine cura. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum esse. Rei non certae quaedam signa* (43). *De moribus viri defuncti postrema* (44). *Opportunitas mortis, insequentium temporum saevitia* (45). *Verus honos erga mortuum, coniunctissimi cuiusque pietas imitatio et laudes* (46).

1 Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in

Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae ΓΔ. Δ addit *Cn.* ante *v. Cornelii.* Puteolanus *Iulii Agricolae uita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita.* 6. *digna memoratu ΓΔ*: *memoratu digna* Puteolanus.

Cap. 1. *apud priores: priores* scripsit evitans pervulgatum *maiores.* Conf. H. I 1. XI 24.

digna memoratu: hic est ordo verborum codicum *ΓΔ*, a Puteolano immutatus *memoratu digna.* Cf. IV 32: *levia memoratu.* H. II 24: *digna memoratu proelia;* 73: *vix credibile memoratu est.* Idem a me coniectura restitutum H. II 68.

pronum magisque in aperto: in

aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes isdem temporibus optime aestimantur,

aperto apud Sallustium Iug. 5 est ἐν τῷ φανερῷ in illis: *pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia inlustria magis magisque in aperto sint*; idem nunc dixisse Tacitum Walchius putat. Verum *agere memoratu digna* apud priores magis expositum fuisse hominum oculis, non est quod Tacitus nunc admonere legentem intendit, sed facilius id fuisse et magis sine impedimentis et difficultatibus. Nam ut *pronus* nomen contrarium est eius quod *arduum*, sic *in aperto* opponitur *arto et impedito*, quo intellectu id a Tacito nunc positum esse probant exempla Agr. 33: *vota virtusque in aperto*; H. III 56: *cum transgredi Apenninum in aperto foret.*

sine gratia aut ambitione: qui *gratia* ducitur, commoda accepta respicit et remuneratur, qui *ambitione*, futura et impetranda sectatur.

suam ipsi vitam narrare: male sonabat *suam ipsorum vitam narrare*, durum erat *suam ipsos vitam narrare*, quamquam alterutrum vulgaris usus postulabat; quapropter attractionis licentia pronomen *ipsi* cum verbo enuntiati primario (*plerique — arbitrati sunt*) iunxit. Cf. XI 9: *pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere.* Pronomine *plerique* πολλοί, non οἱ πολλοί, h. l. denotantur, ut saepe apud Tacitum.

Rutilio et Scauro: Rutilii, qui consul fuit 649, quique ob innocentiam et severitatem in exilium missus est 661, vitam ab ipso scriptam unus Tacitus commemoravit. Historiam Romanam Graece compositam ab eodem nominat Athenaeus IV p. 168 E, VI 274 C, XII 543 B, Plutarchus Mar. c. 28. Auctorem laudant Livius XXXIX 52, Gellius VII 14 §. 10, Appianus Iber. cap. 88. Fortasse a Tacito non liber peculiaris, sed ea historiae Romanae pars significatur, per quam Rutilius de rebus suis et obtrectatoribus, de equitum adversus ipsum studiis et simultate intentiore studio rettulit. Marci Aemilii Scauri, qui consul a. 639, vitam praeter Tacitum etiam alii laudarunt, Cicero Brut. 29: *huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit.* Valerius Maximus IV 4 11: *Marcus autem Scaurus, quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum quos de vita sua scripsit, refert.* Plinius XXXIII 6: *Lucium Fufidium illum ad quem Scaurus de vita sua scripsit.*

at nunc narraturo mihi — venia opus fuit: respicit aevum Domitiani principis: nam particula *nunc* h. l. Taciti tempora indefinite notat opposita antiquis (*in unsern Tagen*). Ad Domitiani principatum ut referri possit particula *nunc*, facit additum *defuncti hominis* (nam is est Agricola qui quattuor annis ante caedem Domitiani defunctus erat) et proxima de temporibus Domitiani expositio; eadem

quibus facillime gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit; quam non petissem, incur-
2 saturus tam saeva et infesta virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingenio-

1. *nunc narraturo mihi ΓΔ*: *mihi nunc narraturo* Puteolanus. 2. *petissem, incursaturus* editor: *petissem incusaturus ΓΔ*, *petissem: ni cursaturus* Puteolanus. 3. *saevia et infelicia Δ*, non *Γ*. 4. *Petus Trasea Γ*.

particula paulo post (c. 3 *nunc demum redit animus*) tempus quod cum maxime agebant Tacitus et aequales, indicat. Bene monuit Bezzenberger. Idem vidit *venia opus fuit* valere *venia opus fuisset;* v. annot. ad I 42. Hoc dicit narrator, si post mortem Agricolae vitam eius scribere voluissem, id sine periculo facere non potuissem nisi venia Domitiani ante impetrata. Ordinem *at nunc narraturo mihi*, ut est in *ΓΔ*, imprudenter Puteolanus mutavit *at mihi nunc narraturo.*

quam non petissem, incursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora: quod inest duobus Vaticanis *incusaturus*, hoc neglecta compendii nota ex *incũsaturus* (i. e. *incursaturus*) detortum est. Puteolanus qui scribit *ni cursaturus* maiorem verbi partem (*cursaturus*) in codice suo aut repperit incorruptam aut proprio iudicio vere restituit; sed idem initium eius *in* pervulgato errore reddidit *ni*, ut proveniret *ni cursaturus*, labante vel potius subversa verborum structura et sana sententia in pravum corrupta. Amplius a vero aberrarunt qui ex fonte iam turbato deduxerunt *ni incusaturus*, idque pro *ni incusaturus essem* acceperunt. Bezzenberger et post eum Hoegg in programmate Arnsbergensi a. 1846 cum Vaticanis tenent *quam non petissem incusaturus — tempora*, sed Tacitus neque tunc incusaturus erat saeva virtutibus tempora, sed soceri vitam narraturus erat, neque nunc tale inceptum persequitur, sed nonnisi oblata occasione et in transcursu pauca de saevitia temporis anteacti addit, quae si statim post mortem Agricolae scripsisset hunc librum, omisisset, quia tunc nondum evenerant. Item Wexius verba, ut leguntur in Vaticanis, sana esse putat et interpretatur: 'laudanti hodie venia opus, nulla opus esset incusaturo, adeo infesta virtutibus sunt tempora, contra *pronis auribus accipiuntur obtrectatio ac livor.* Hist. 1 1'. Sed obscure haec dicta sunt et inique de novo et felicissimo seculo; neque proxima conveniunt. Ut ego emendavi, dicit Tacitus: non fuit animus talem veniam petere, quo ipso saevum Domitiani animum in me irritassem et hominem virtutibus infestum graviter offendissem. Hoc est illud *incursaturus* (= quippe qui incursassem sive offendissem) *tam saeva et infesta virtutibus tempora.* Quae proximo capite sequuntur, iis huius sententiae veritatem probatum ivit.

Cap. 2. *legimus — capitale fuisse:* cum Arulenus Rusticus et Herennius Senecio Romae accusati sunt et damnati, Tacitus ibi non

rum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per in-

1. *vocem* om *Δ*. 5. *grande* om *Δ*. 6. *et ΓΔ*: Puteolanus *ut*.

aderat, sed legationem a Caesare demandatam obibat. Rem novam et atrocem amicorum litteris aut populi diurnis nuntiatam in provincia sibi commissa *legit*, et consilium vitam soceri conscribendi agitatum animo tunc omisit, donec laetius seculum oriretur. Conf. Prooemii c. 7 pag. XV et annot. ad Agr. c. 45. Qui Tacitum cum haec facta sunt in urbe fuisse statuunt, quod vulgo faciunt propter verba cap. 45 *nos Maurici Rusticique visus*, *nos innocenti sanguine Senecio perfudit*, non recte percepta, verbum *legimus* iuste explicare nequeunt. Quomodo verba de quibus nunc loquimur, ab interpretibus varie explicata, a criticis tentata sint, iam referre neque necesse est neque utile. De *Aruleno Rustico* v. Ind. hist. et de fine eius Sueton. Domit. 10: *Iunium Rusticum* (occidit), *quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci* (hunc per errorem ex Tacito corrigendum addit Suetonius) *laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros*. De utroque, Aruleno Rustico et Herennio Senecione v. Dio ap. Xiphil. LXVII 13, Plinius Epist. I 5 et 14, III 11, VII 19. De Helvidio cf. Ind. hist.

in comitio ac foro: comitium pars erat fori Romani, sed utrumque nominatum est, quod in publico supplicio, quod tunc de libris sumptum est, omnes fori partes a spectantibus occupatae erant. *Triumviri* sunt triumviri capitales, in suppliciis providentes et parantes quibus opus est.

expulsis insuper sapientiae professoribus: expulsi sunt anno ante caesum Domitianum, Domitiano Caesare et Flavio Clemente consulibus (848 = 95), si Dio apud Xiphilinum LXVII 13 tempora vere indicavit. Cf. Suetonius Domit. 10. Plinius Paneg. 47, Epist. III 11. Sulpicia in satira sua. Gellius XV 11. Philostratus in vita Apollonii VII 4, in vitis Sophist. I 7. Hi testes omnes de philosophis semel, non bis, exilio a Domitiano multatis loquuntur. Sed turbas dedit Eusebius in Chronico. Qui cum apud Dionem l. c. scriptum invenit *ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης τῆς κατὰ τὴν φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ διώλοντο, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἐξηλάθησαν αὖθις ἐκ τῆς Ῥώμης*, adverbium *αὖθις* de altero philosophorum exilio per principem Domitianum iusso perperam accepit, quamquam de priore nihil a Dione relatum legerat, neque vidit *αὖθις* referri a Dione ad exilium philosophorum imperatum a *Vespasiano*, paulo ante (LXVI 13) narratum: *καὶ πάντας αὐτίκα τοὺς φιλοσόφους ὁ Οὐεσπασιανὸς πλὴν τοῦ Μου-*

quisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra
3 potestate esset oblivisci quam tacere. Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica sed

1. *ēt* Γ: Puteolanus *et*.. 5. *dissolubiles* Δ, non Γ. 6. *felicitatem* ΓΔ: *falicitatem* vitium est editionis Venetae a. 1497, unde Beroaldus fecit *facilitatem*. *tporu* Γ, *temporum* Δ: *imperii* Puteolanus.

σωνίου ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξέβαλε. Ex Eusebio Syncellus duobus locis rettulit *Δομετιανὸς τοὺς μαθηματικοὺς — ἀπήλασε καὶ φιλοσόφους τῆς Ῥώμης.* mox *Δομετιανὸς τοὺς μαθηματικοὺς δεύτερον ἀπήλασε καὶ φιλοσόφους τῆς Ῥώμης*, quae Latine versa in Eusebii Chronicon Hieronymianum editores receperunt (Vallarsius in operibus Hieronymi t. VIII pag. 688 sq.) sub annis Domitiani Caesaris 8 et 15. Haec nostris temporibus interpretibus Taciti imposuerunt, ut philosophos bis a Domitiano in exilium actos crederent, in quibus Walchius et Rupertius.

etiam loquendi audiendique commercio: in Γ esse *ēt*, h. e. *etiam*, Wexius testatur. Si *et* a Tacito esset, idem quod *etiam* valeret, neque particula *que* in *audiendique* esset distributiva sed adiunctiva: nam distributionem per *que* et subsequentem *et* vel *ac* Tacitus instituit, non per *et* — *que*. Cf. I 61: *visuque ac memoria*. 71: *sibique et proelio*. IV 4: *dum — seque et domum et pacem sustentavit*. XII 37: *ipsique et coniugi*. 51: *seque et coniugem*. XIII 40: *seque et equestres*. XIV 30: *regnumque et domum*. XVI 10: *seque et libertum*. H. I 51: *legiones seque et Galliam expertae*. H. III 63: *seque ac liberos*. H. IV 2: *seque et cohortes*. Agr. 18: *sequē et arma*. *Que* post *et* illata adiungit, non distribuit.

Cap. 3. *nunc demum:* h. e. nunc post occisum Domitianum, de quo adhuc dictum, et principatum a Nerva et Traiano susceptum.

felicitatem imperii: temporum, ut est in ΓΔ, ex nota libri *ἀρχετύπου* *īperii* ita natum videtur, ut pro hoc *tporū* legeretur: nam *t* et *ī*, rursus *ū* et *ii* facile et saepe commutantur. Sed ut *imperii*, quod est apud Puteolanum, scripturae Vaticanorum praeferam, primum movet me loci similis (H. I 1) comparatio: *principatum divi Nervae et imperium Traiani — senectuti seposui*. Quippe Nerva alienus ab armis rei publicae consuluit tamquam *princeps*, h. e. sapientibus et aequis legibus in urbe cum patribus sancitis: contra Traianus tamquam *imperator* victoriis de hostibus relatis et praesidiis adversus exteros munitis *felicitatem imperii* (*das Gedeihen der Oberherrschaft*) auxit. Plinius in Panegyrico de Traiano adoptato et ad urbem ex Germania tendente refert c. 20: *diceres magnum aliquem ducem ac te potissimum ad exercitus ire; adeo nihil aut certe parum intererat inter imperatorem*

ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? Pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exem-

3. *nostra lente augescunt* Δ et Puteolanus: *nostra augescunt* Γ. 6. *XV.* Δ, *quindecim* Γ. 7. *multis* ΓΔ: correxit Lipsius. 8. *ut ita* Rhenanus: *et uti* ΓΔ.

factum et brevi futurum. Felicitatem temporum augeri a Traiano, qui tunc, cum haec scripta sunt, ne in urbem quidem pervenerat, sine nota adulationis, abs qua Tacitus alienissimus est, dici non potuit. Nam vitae scriptor post absolutum opusculum hanc praefationem addidit extremis anni 97 vel primis anni 98 diebus, cum Nerva, qui extinctus est die vicesimo septimo Ianuarii anno 98, etiam tum in vivis erat, sed Traianum imperii successorem extremis mensibus anni 97 destinaverat: Plinius Panegyr. c. 8. Dio LXVIII 3. De Traiani, cum adoptatus est, absentia (absens erat in Germania) cf. Dio ap. Xiphil. LXVIII 3—5. Plinius Paneg. c. 20. Iam qui princeps urbem nondum attigerat atque unice militibus adhuc praefuerat, qui nihil in senatu, nihil in castris urbanis et coram populo ordinaverat, is augere felicitatem temporum iuste dici non potuit. Aliis in locis etiam *felicitas temporum* quin recte dicatur, e peritis nemo dubitabit.

ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit: nomen *voti* denotat quod optando expetitum est idque passiva eius formae significatione exprimitur; *fiduciam ac robur* idem valet ac *robustam* (= firmam) *fiduciam.*

multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis: quemadmodum *fortuitis casibus* (h. e. morbis aliisque malis forte oblatis) et *saevitia principis* opponuntur, sic etiam *multi* et *promptissimus quisque*. Eo minus dubitandum quin Lipsius errorem *multis*, assimilandi prava inclinatione scribentium natum, recte emendaverit. *Promptissimus quisque* is est qui aut manu aut animo aut utrisque inclinat ad agendum et audendum (*jeder unternehmendste* vel *jeder thatkräftigste*).

ut ita dixerim: antiquum vitium *uti* pro *ut ita* ex neglecto compendio scripturae provenit. Particula *et*, a Rhenano vere deleta, a novis editoribus non apte revocata, ita tantum tolerari posset, si *sumus* post *superstites* abesset. Id qui non advertit scriptor librarius et *superstites* alterum esse subiectum praeter *pauci* opinatus est, non praedicatum, ut grammatici dicunt, *et* perperam adiecit. Cf. XIV 53: *studia, ut sic dixerim, in umbra educata.* G. 2: *utque sic dixerim adversus Oceanus.* O. 34: *utque sic dixerim pugnare in proelio disceret.* VI 22: *ne nunc incepto longius abierim.* Admonitionem adiecit propter verba novo sensu posita *nostri superstites su-*

ptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

4 Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesaris

4. *servitutis*] *senectutis* *ΓΔ*: correxit Lipsius. Ursinus: 'v. c. habet *prioris seruitutis*'. 8. *Cn.* *Δ*, *Gneus* *Γ*. 9. *Caesaris* *Δ*: *Caesarum* Puteolanus et *Γ*.

mus, i. e. pauci post adamatam inertiam extinctum diutino temporis intervallo animi vigorem in priorem mentis vitam excitare potuerunt.

memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse: annuntiat Historias mox edendas; hae compositae iam erant, sed ad edendas nonnulla accedere, alia immutari debebant. Conf. Prooemii cap. 8 et 9. Historiae memoriam prioris servitutis in iis potissimum libris (IX—XII) prodebant, quibus res Domitiani Caesaris expositae erant (cf. Prooemii cap. 14 sub finem); in quibus legendis dum beatissimi seculi iam obtinentis felicitas sponte ante animum versatur iis qui tum vivebant, idem opus praesentium bonorum continebat testimonium. Sed haec verba cum a multis aequalium ita accepta essent, tamquam Tacitus post res Domitiani principatum Nervae et imperium Traiani continuare vellet, is ut pravis opinionibus occurreret, in praefatione *Historiarum* (I 1) post descriptos operis sui terminos adiunxit: *quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui.*

hic interim liber — aut excusatus: inconditam vocem et rudem in hoc libro ut aeque excuset quam in Historiis mox evulgandis non opus esse dicit: sufficere enim professionem pietatis, ut huic aut laus concilietur aut excusatio. Voce *interim* significat Historias propediem secuturas esse.

Cap. 4. *Gnaeus Iulius Agricola:* de tribus nominibus nunc praeter consuetudinem sed non sine ratione admissis cf. annot. ad XIII 30. Taciti de colonia Foroiuliensium loci in Ind. hist. quaerendi. Plinius III 5: *Forum Iulii Octavanorum colonia, quae Pacensis appellatur et Classica.* Strabo IV 1 §. 9 et 10.

procuratorem Caesaris: Caesaris nomen universe dictum est et indefinite, ut *procurator Caesaris* idem sit qui *procurator Caesareus.* Sic in simili loco *principis*, non *principum*, scribit XVI 17: *adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis.* Quapropter ascivi formam ab altero Vaticanorum oblatam pro vulgata *Caesarum*, quae assimilandi inclinationi originem videtur debere.

quae equestris nobilitas est: cum mali principes et incuriosi, ut Claudius, procuratoris munus etiam libertis delegassent, Tacitus consulto admonuit, utrumque avum Agricolae equitem Romanum fuisse.

habuit, quae equestris nobilitas est. Pater Iulius Graecinus, senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gai Caesaris meritus: namque Marcum Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. In huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab inlecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsi-

1. *pater Iulii Iulius* ΓΔ: *pater Iulius* tacite Lipsius. *Grecinus* Γ et Puteolanus. 2. *iisque ipsis virt.* ΓΔ: *iisque virt.* Puteolanus. 4. *Sillanum* Γ et Puteolanus. 6. *honestatis* Δ. 7. *eum*] *tamen* Δ. 10. *hūit* Γ, *habuit* Δ: Puteolanus *habuerit.*

pater Iulius Graecinus: ab *avo* pergit ad *patrem* mox deveniens ad *matrem.* In Vaticanos et antiqua exemplaria illatum est *pater Iulii Iulius Graecinus*, idque scriptorem verbis parcentem adeo dedecet et ita alienum est a more Latino, ut vix novicio alicui narratori et aulico condonandum videatur, qui exprimere haec Theodisce scripta voluerit: *der Vater von Herrn Iulius* vel *der Vater unseres Iulius.* Mendum Vaticanorum aut per dittographiam emersit aut ex scriptura iam corrupta *pater Iulii Graecinus* in peius mutatum est.

M. Silanum — interfectus est: Seneca de Benef. II 21, Epist. 29. Dio Cassius LIX 8. Suetonius Calig. 23.

quod statim — habuit: diversa scriptura *habuerit*, quae inest Puteolani exemplaribus, nata est ex *hūit* perperam in *habuerit* mutato pro *habuit.* Qui statuunt causam ab ipso Agricola prolatam exhiberi, Tacitum obscure et perturbate loquentem faciunt. Nunc enim Tacitus narrat, mox Agricolae verba referuntur. De Massiliae studiis et disciplina cf. IV 44. Cicero p. Flacco 26.

Romano ac senatori: h. e. cui negotia exercere et rei publicae praeesse, non in scholis delitescere, origine et exemplo maiorum destinatum esset. De sapientiae studio potentibus suspecto cogitavit Walchius.

pulchritudinem ac speciem: h. e. *pulchram speciem* (*das schöne Ideal, das schöne Glanzbild*). Nam gloriae *species* cum non oculis aspici, sed sola mente intelligi possit, non est *species* quae vulgo dicitur, sed *ἰδέα* est sive forma ad mentem Platonis. Sic *speciem pulchritudinis* posuit Cicero in Oratore c. 2: *nec vero ille artifex, cum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.*

vehementius quam caute appetebat: vulgaris usus *cautius* postulabat, ut H. II 24: *reciperare gloriam avidius quam consultius properabat*, H. IV 40: *quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset.* Verum hanc quotidia-

monia mixtum ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas; retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

5 Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, adprobavit, electus quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter, more iuvenum qui

2. *prima in iuventa Γ*: *prima iuventa Δ*, *in prima iuuenta* Puteolanus. 5. *erectum*] *rectum* vitium Puteolani. 6. *magnae excelsaeque ΓΔ*: *excelsae magnaeque* Puteolanus. 7. *retinuit Δ*.

nae consuetudinis concinnitatem et hoc loco et alibi variis modis Tacitus vitavit, de quo cf. annot. ad I 57, H. I 83.

retinuitque — ex sapientia modum: scribere poterat *moderationem* (*σωφροσύνην*), sed rem ipsam ex animi moderatione consequentem (*modum*, *τὸ μέτριον*) ponere maluit fugiens abstractae notionis nomen. Id ipsum tamen adhibuit c. 42: *moderatione tamen prudentiaque Agricolae mitigabatur*, etiam c. 7. *Modum ex sapientia retinuisse* difficillimum esse ait, qua continere affectus et perturbationes animi coërcere et, ut brevi praecidam, se ipsum vincere modo adhibito, difficillimum est.

Cap. 5. *prima castrorum rudimenta in Britannia — adprobavit:* expeditiones et bellorum casus nunc pro operis consilio significatos potius quam expositos narravit infra c. 14—16 et copiosius tradidit in Annalibus XIV 29—39. Haec accidere a. 61 a Christo n., 814 a. u. Agricola igitur anno aetatis vicesimo primo (quippe natus a. 40 = 793) in Britannia duce Suetonio Paulino militiae munia obiit. Conf. Sueton. Aug. 38: *liberis senatorum, quo celerius rei publicae assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisit; militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum sed et praefecturas alarum dedit, ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuit singulis alis.*

diligenti ac moderato duci: cf. H. II 25: *cunctator natura, et cui cauta consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* Vid. Ind. hist. Quam animi virtutem (moderationem) prudens mater Agricolae prae ceteris commendaverat, eam novus dux et praeceptor confirmavit.

electus quem contubernio aestimaret: Suetonius Agricolam in contubernium recepit, ut spem de eo conceptam quotidiani commercii usu *probaret et expenderet* (*um ihn durch Zeltgenossenschaft zu erproben*). *Contubernio* est casus instrumenti. Alii *aestimaret* interpretantur *dignum aestimaret*, sed huius usus exempla desiderantur. De re cf. Suetonii Caesar c. 2: *stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris contubernio.*

nec Agricola — inscitiam ret-

militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni; intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

1. *nec segniter Δ*. 2. *inscitiam Γ*: *iustitiam Δ*. 5. *simulque et anxius ΓΔ*: *simulque anxius* Puteolanus. 7. *intercepti* Puteolanus: *intersepti ΓΔ*.

tulit: dicit, quamvis sine magna difficultate ad voluptates et commeatus veniam a duce impetrasset, si tribunatus militaris honorem et inscitiam suam obtendere voluisset, Agricolam tamen illis commodis abuti noluisse. Ut *licenter* ad *voluptates*, sic *segniter* ad *commeatus* refertur. Proximum *in iactationem* est *iactandi causa*, et consilium denotat, non, ut alibi idem accusativus cum praepositione *in*, rem effectam.

simulque et anxius et intentus agere: anxius et providus fuit *futurorum*, intentus *praesentibus*. Itaque praeferri decet codicum scripturam Puteolani vitio *simulque anxius*, quo diversa non distinentur.

trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus: rerum decursum describit in Annalibus XIV 32 sqq. Incensa tum est una *Camulodunensium* colonia, item municipium *Verulamium* et *Londinium*, quae oppida licenter nomine *coloniarum* complexus est. *Interceptos exercitus* intelligit pedites nonae legionis cum Petilio Ceriale auxilio festinantis, cuius soli equites evasere. Bene igitur *intercepti*, h. e. a ceteris discreti et occisi, apud Puteolanum legitur, sive haec coniectura est Puteolani sive scriptura ex codice ducta. *Intersepti*, ut in Vaticanis legitur, est obsidione cincti, sed Britanni tunc oppida impetu et subitis belli ceperunt, non obsidione cinxerunt. *tum de salute, mox de victoria*: conf. Ann. XIV 34 et 37.

ingrata temporibus: tertius casus est *temporibus*, non sextus, et tempora dicta pro eorum temporum hominibus.

Cap. 6. *hinc ad capessendos magistratus — digressus*: aetas capessendis magistratibus apta Caesarum temporibus anni viginti quattuor fuere (conf. Prooemi p. VIII annot. 2), quam Agricola a. 64 a Chr. implevit. Qui cum praeturam gesserit a. 67, tribunatum plebis a. 66, annum autem 65 sine ma-

6 Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit. Idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et in vicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit. Quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium: nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum

1. *degressus* (*e* puncto subnotatum et *i* superscriptum) *Γ*. 5. *se appetendo Δ*, non *Γ*. 9. *quantilibet Δ*. 11. *simul et solatium ΓΔ*: *et solatium simul* Puteolanus. 12. *inter praeturam quaesturam* punctis subnotato nomine *praeturam Γ*. tenuit vitium Puteolanus. 13. *ipsum etiam ΓΔ*: *etiam ipsum* Puteolanus.

gistratu inter quaesturam et tribunatum degerit, anno 64 a Chr. quaesturam in Asia administravit. Itaque Britanniam cum Suetonio reliquit anno 62: nam Domitia uxor quam post reditum sibi iunxit, in urbe filium brevi amissum peperit (a. 63), in quaesturae anno (64) filiam, ut mox relatum legimus.

nisi quod in bona uxore — plus culpae est: h. e. nisi bona uxor ob miram concordiam et amorem mariti tanto magis laudatur, quanto mala ob contraria vitia magis culpatur. Est sententia neque satis dilucide expressa neque dextre cum prioribus iuncta, sed *quandoque bonus dormitat Homerus*. Olim glossam esse credidi, sed talem interpolatoris operam iuste statui non posse iam satis persuasum habeo.

sors quaesturae — dedit: Agricola non fuit unus ex quattuor candidatis sive quaestoribus Caesaris, sed proconsulem in provinciam ex sortis destinatione comitabatur. Conf. annot. ad XVI 34 et I 74.

parata peccantibus: ex provinciae incolis alii lucri cupidine praepositorum peccata iuvabant, alii ob socordiam et metum dissimulabant. De Salvio Titiano fratre Marci Othonis qui adeptus est imperium cf. Ind. hist. et Suetonius Othone 1: (Lucius Otho) *ex Albia Terentia — duos tulit filios, Lucium Titianum et minorem Marcum cognominem sibi*.

in subsidium simul et solatium: *in subsidium* cum scripsit, cogitavit locum amisso filio vacuum et nova infante expletum; *solatii* nomine indicavit maeroris tempus nondum elapsum esse, cum nata filia parentium luctum solata est.

quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium: nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris moderationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis senserit.

Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius 7
adflixit. Nam classis Othoniana licenter vaga dum Intemelium

1. *quietis* Δ, non Γ. *transit* ΓΔ: *transiit* Rhenanus. *templorum* Puteolanus. 2. *tenor*] *certior* ΓΔ: tacite correxit Rhenanus. 4. *moderationis*] *medio rationis* Γ, *medio luxuriae* Δ (praecepto voc. e versu seq.), *modo rationis* Puteolanus, *moderationis suae* Lipsius. 7. *senserit* editor: vulgo *sensisset*. 9. *Intemelium*] *in templo* ΓΔ et Puteolanus, . . *templum* mg. Γ, *Intemelios* Lipsius et vulgo. Ursinus: 'v. c. habet *dum in Temelium, Liguriae urbs est, hostiliter populatur*, cet'.

quiete et otio transiit: transit, ut est in Vaticanis et apud Puteolanum, ex libri prisci scriptura TRANSİT, h. e. *transiit*, male intellecta me iudice nata est. Praesens certe in huius narrationis sedatae tenore et inter proxima *dedit*, *auctus est*, *amisit*, *obvenerat*, *duxit* male videtur convenire.

idem praeturae tenor: nomen corruptum *certior* ex scriptura *tēor* emersisse credo, dum scriba librarius hoc *tior* legit et perperam explevit *certior*. Qui fuerit tenor praeturae explicatur proximis *et silentium*.

nec enim iurisdictio obvenerat: iurisdictio h. l. est τὸ δικάζειν, h. e. ius dicere in causis privatis, non simpliciter δικάζειν. Suetonius Domit. 1: *honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus: nam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit.* Agricola praetor neque urbanam iurisdictionem sortitus erat neque munus praetoris qui iudicaret inter cives et peregrinos acceperat, sed quaestionibus in causis publicis et capitalibus habendis destinatus est. Verum publicae causae tunc plerumque a patribus iudicabantur, ut Tacitus monet IV 6: *publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur.* Conf. Ernestii clavis Ciceron. s. v. *iurisdictio.*

moderationis atque abundantiae duxit: sententia est: in edendis ludis et modum qui a moderatione proficiscitur tenendum, et abundantiae rationem habendam esse censuit. Structura verborum similis est III 20: *praeerat castello Decrius — illam obsidionem flagitii ratus.* G. 6: *cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.* Liv. XXI 41: *tutelae deinde nostrae duximus* (victos), *cum Africo bello urgerentur.* Suetonius Tib. 11: *officii duxit, quantum in se esset, exorare filiae patrem.* Moderatio fecit, ne nimium profunderet Agricola, abundantia, ut famae populi propior esset. Conf. c. 44: *opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant.* Verbis *uti longe a luxuria, ita famae propior* praegressa explicantur. De ludis a praetoribus edendis conf. annot. ad XIV 20. Scriptura Vaticani codicis *Γ medio*

(Liguriae urbs est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis profectus. Agricola, nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agrico-

1. *urbs* cod. Ursini: ceteri *pars*. 5. *deprehensus est ac Δ*. 7. *iuvene admodum ΓΔ*: *admodum iuvene* Puteolanus.

rationis, Puteolani *modo rationis* Latinitati adversa est: nam *ducere* absolute positum non valet *aestimare*.

tum electus a Galba: electus est a. 821 = 68 ad finem vergente, ut liquet ex principio capitis proxime subsequentis; hinc tempora administratae praeturae, tribunatus plebis, quaesturae definiuntur. *alterius sacrilegium — quam Neronis:* de templis et numinibus a Nerone spoliatis conf. XV 45 et annotatio.

ne — senserit: quod vulgo legitur *ne — sensisset* pugnat adversus usum Latini sermonis neque aoristi ludibrio defendi potest. Aut *sentiret* aut *senserit* requiritur, quorum altero res cum iudicio scribentis effertur, atque hoc propius ad formam corruptam accedit quam *sentiret*. Theodisce: *dass dem Gemeinwesen keines zweiten Tempelraub fühlbar geworden ist*. Conf. annot. ad I 3.

Cap. 7. *classis Othoniana licenter vaga;* classis Othoniana socios magis quam hostes populatus est ineunte a 69 = 822: H. I 87, II 12 et 13. Nomen oppidi *Intemelii*, quod in *ἀρχετύπῳ* ĩtẽcliõ (h. e. *intemeliom* sive *intemelium*) expressum fuisse suspicor, varie a scribis corruptione detortum est. Scriptura *pars* ex forma *urps* obscure scripta nata videtur. *Liguriae urbs est:* Liguriae duo oppida, alterum a Liguribus Ingaunis habitatum (Albingaunum), alterum a Liguribus Intemeliis (*Intemelium*). Cf. Strabo IV 6 1 p. 202 et annot. ad H. II 13. Glossae suspicio a Bachio mota in haec verba non cadit.

nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus; deprehendi de nuntiis dictum eos significat quibus praeter expectationem occupamur, aut eos qui cito feruntur. Nunc utrumque eo verbo significari videtur. *ac statim in partes transgressus est:* Agricola Antonii Primi castra et exercitum secutus est: H. II 85—86, III 1—10 sqq. Nam hoc ut statuamus, tam situs locorum quam particula *ac statim* suadet. Narrator promptum Agricolae animum his verbis pingit.

initia — Mucianus regebat: hoc evenit anno 69 a Chr. exeunte; H. IV 11.

iuvene admodum Domitiano: Domitianus duodevicesimum annum tunc agebat; qui cum a. 96 a Chr. occisus est, aetatis quinto et quadragesimo fuit. Verborum eadem collocatio O. 1: *iuvenis admodum audivi*. H. II 78: *iuveni admodum Vespasiano;* H. IV 5: *Helvidius Priscus — iuvenis admodum:* rursus *admodum adulescentem* I 3, IV 44,

lam, integreque ac strenue versatum, vicesimae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse. Praeerat tunc Britan- 8
niae Vettius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum.

2. *proposuit* Δ: Γ *praeposuit*. 6. *ulctor* Γ. 7. *donos* Δ. 8. *Vectius* Γ: Δ *Vettius*. *Volanus* Γ. *prouinciae* vitium Puteolani. 11. *Peretilium Cerealem* Puteolanus.

admodum infantem IV 13. *ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante:* cf. H. IV 2 et 39. Suetonius Domit. 1. Dio apud Xiphil. LXVI 2.

vicesimae legioni — praeposuit: in Britannia tunc quattuor legiones, *secunda* (H. III 44), *nona* (Agr. 26. XIV 32 et 38), *quartadecima* (H. II 66 et 67 et 86), *vicesima* (H. I 60). Ex his sola secunda Vespasianum principem prompte accepit: H. III 44.

ubi decessor — narrabatur: fuit Roscius Caelius, de quo H. I 60. Idem mox audit *legatus praetorius*. *legatis quoque consularibus:* dicit Trebellium Maximum et Vettium Bolanum, de quibus v. c. 16 et H. I 60, II 65.

Cap. 8 *praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus:* missus est a Vitellio a 69 = 822. Agricola a Muciano missus a. 70 demum in Britanniam pervenit. *quam feroci provincia dignum est;* graece convertendum ἢ ἀγρίας ἐπαρχίας ἄξιόν ἐστι, non τῆς ἀγρίας ἐπ. Facile igitur carebimus Acidalii coniectura *esset*, Ernestiana *erat:* sententia enim ad provinciam ferocem quamcumque accommodata est.

ardoremque compescuit ne incresceret: comma ante *ne* poni solitum delevi, ut verbum *incresceret* iungeretur cum *ardore*; Theodisce: *damit sie* (die Glut) *nicht emporschlüge*. Alii, ut Waltherus et Dronkius, verbum ad Agricolam referre malunt, sed sic obscuritatis notam Tacitus non effugiet; neque exempla a Walthero ex Plinio et Suetonio prolata ostendunt *increscere* valere *super aliquem assurgere*.

brevi — Petilium Cerialem accepit: cf. Ind. hist. et Dio apud Xiphil. LXV 18. *habuerunt virtutes spatium exemplorum:* verbum in principio positum rem memoratu dignam profert. Nos dicimus *da hatten* cet. *Exempla* dicit facinora quae aliis exemplo esse poterant.

labores modo et discrimina:

Sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exultavit: ad auctorem ac ducem, ut minister, fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

9 Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios ascivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae inprimis dignitati administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus in-

1. *labores modo ΓΔ*: *modo labores* Puteolanus. 4. *ac ducem ΓΔ*: *et ducem* Puteolanus. 5. *fortunam* om Γ (non Δ), sed in margine est ab ipsius Pomponii Laeti manu. 10. *dignitati* editor: codices *dignitatis*.

praestat collocatio verborum a Vaticanis oblata: nam vis sententiae in nomine *labores*, non in particula *modo*, quae praecedere posset, si *non* additum esset, ut I 60: *conciti per haec non modo Cherusci sed conterminae gentes*; 77: *non modo e plebe sed militibus et centurione*; III 19: *non modo apud illos homines —, etiam secutis temporibus*. II. I 4: *ut non modo casus eventusque rerum, — sed ratio etiam causaeque noscantur*; ibid.: *non modo in urbe apud patres — sed omnes legiones.* Contra I 71: *armis modo et equis ad bellum sumptis.* Sic etiam adiuncta negatione positum II 14: *non campos modo militi Romano ad proelium bonos.* Paulo post *communicabat* absolute positum pro *communicabat cum Agricola.*

Cap. 9. *revertentem — divus Vespasianus inter patricios ascivit:* Aurelius Victor de Caes. 9: *simul censu more veterum exercito senatu motus probrosior quisque, ac lectis undique optimis viris mille gentes compositae, cum ducentas aegerrime repperisset.* De censura Vespasiani etiam Suetonius in eius vita c. 9. De patriciis ab Augusto allectis et Claudio Tacitus tradit XI 25.

Aquitaniae praeposuit, splendidae inprimis dignitati administratione et spe consulatus: dignitatis splendor duabus rebus efficiebatur, administratione magnae provinciae et spe consulatus. Vulgata *dignitatis* aut assimilandi aberratione (*inprimis dignitatis*), aut propter proximum nomen (*dignitatis administratione*) tamquam inde penderet genitivus, orta est. Ipsa provincia et terra quamvis magna *splendidae dignitatis* dici nequit: *munus* autem iuste suppleri non potest. In emendata scriptura subiectum verborum *cui destinarat* adest aptum et conveniens (*dignitas*). Dum ponit *destinarat*, non quod expectamus *destinabat*, morem adhuc observatum narrator respexit: quippe rectores Aquitaniae post legationem fere consules facti erant. Interpretes destinantem intelligunt alii provinciam Aquitaniam, alii Caesarem. Halmius coniecit *dignitate administrationis*, nescius se proferre suspicionem occupatam iam a Riglero

geniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa. Ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis intentus, severus et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. Tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. [Integritatem

1. *adesse Δ*: *Γ deesse.* 4. *temporis et curarum Δ*, non *Γ*. 7. *nullam — personam ΓΔ*: correxit Rhenanus, sed in eius Castigationes *personā* irrepsit pro *persona.* 8. *facultas Δ*, non *Γ*. 9. *diminuit* Puteolanus. glossam seclusit editor.

(Annotat. ad Taciti vitam Agricolae. Cliviae 1835 p. 10): sed hoc remedium violentius est et subiectum non aptum praebet (*provincia*).

deesse: codicis Vaticani *Δ adesse* ex antiqua scriptura *dēsse* male correcta me iudice emersit.

ac plura manu agens: plura converte *τὰ πλείω*, non simpliciter *πλείω.*

quamvis inter togatos: intelligit conventus iuridicos, in quibus consilia iudicum ex civium Romanorum numero sorte ducta coram provinciae rectore de causis capitalibus iudicabant. Qui iudices togam gestabant. *conventus ac iudicia:* vitavit quod solitum erat *conventus iuridici.* Eos rectores provinciarum quotannis obibant et variis provinciae locis habebant. *gravis intentus:* cf. annot. ad XI 6.

nulla ultra potestatis persona: vitium antiquae scripturae *nullam — personam* hinc natum, quod scriba libri antiqui *ultra* praepositionem esse, non adverbium temporis, opinabatur, ut c. 11 *posita contra Hispaniam* pro *contra Hispania.*

tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat: dicit Agricolam vitia quibus ceteri provinciarum praesides plerumque implicati tenebantur, a se procul habuisse neque unquam admisisse; sed hoc ipsum sic eloeutus est, ut sententia subsit, variis hominum generibus certa vitia adhaerescere, quae virtutis studiosi ex animo delere et extirpare soleant. Perinde VI 25: *Agrippina — virilibus curis feminarum vitia exuerat.*

integritatem atque abstinentiam — fuerit: deprehende, lector, hominem delicatum qui offendit in verbis proxime superioribus *avaritiam exuerat:* avaritiae enim contraria est *integritas atque abstinentia.* Annotatio reprehendentis olim in margine *ἀρχετύπου* posita a proximis scribis in verborum contextum per imprudentiam recepta est. Tacitus, simplex et verus, ab eiusmodi fastidio longe abest, praecipue hoc loco, ubi si ista scripsisset, reprehenderet quod modo admiserat. Magnum emblematis alieni signum peritis etiam verba *in tanto viro* ostendent; ipse haud dubie scripturus fuit: *integritatem atque abstinen-*

atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit.] Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentando virtutem aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores, et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama; aliquando et elegit. Consul egregiae iam spei filiam iuveni mihi despondit, ac

1. *firtutum* deleto *f* et superscr. *v* *Γ*. 2. *saepe etiam boni Γ*: *etiam saepe boni Δ* et Puteolanus (huic *etiam boni saepe* falso ascribit Orellius). *ostentando virtutem*] *ostentandam virtutem Γ*, *ostentandam virtute Δ*, *ostentanda virtute* Rhenanus. 9. *aut semper erat Δ*. *elegit ΓΔ*, *eligit* Rhenanus. 10. *egregiae*] *gręcię Γ*, *gratae* mg. *Γ* et *Δ*: correxit Puteolanus. *iam* editor: codices *tum*.

tiam referre, quamquam hoc quid sibi velit, multi lectores non percipient. Postremo integritatis et abstinentiae commemoratione nulla prorsus *virtutum iniuria* peragitur. Si cui facta est iniuria, Agricolae facta est, non *virtutibus*.

ostentando virtutem: Γ ostentandam virtutem, *Δ ostentandam virtute* (hoc ex *virtutē* natum), Puteolanus in omnium operum editione *ostentandā virtute* (pro *virtutē*) dum praebent, veri luculenta vestigia servarunt, dico *ostentando virtutem*: nam consona quae principio fuit in nomine, inde ad verbum assimilationis errore translata est et hinc cetera peccata sunt. Forma *virtutem* ex optimo libro tenenda et deinceps alterum vitium emendandum est ita, ut postulat consuetudo Corneliana, de qua satis collocavi ad VI 50. Sic iam Bosius.

adversus collegas: collegas dicit aliarum provinciarum praesides, praecipue Galliae praepositos. H. I 10: *Mucianus — apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis inlecebris potens.* Aemulationem legatorum Germaniae et Belgicae refert Tacitus XIII 53.

procul a contentione adversus procuratores: eiusmodi contentionem idem narravit XIV 38 et 39.

vincere inglorium et atteri sordidum: vincere collegas, *atteri* a procuratoribus. *Atteri* nove dicitur de contentione cum inferioris dignitatis hominibus, qua superior detrimentum dignitatis faciat.

consul egregiae iam spei filiam iuveni mihi despondit: si ordinarius fuisset, collegam Tacitus addidisset: in suffectis consulibus ea diligentia minus necessaria. Consulatus tempus anni 830 = 77 kalendas Iulias probabiliter definivit Muratorius (*Annali d'Italia* t. I p. 196), ut collega Agricolae Flavius Domitianus, tunc consul suffectus, fuerit, et sic est in fastorum consularium collectionibus. Restat vero quod est gravius. Nam quod vulgo legunt *egregiae tum spei filiam*, offensioni obnoxium est, quasi posthac Taciti coniux

post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque multis scriptoribus memo- **10**
ratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. Ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae

5. *ita quae* *Δ*: *Γ* *itaque* punctis subnot. litt. *que* et superscr. *que* cum *e* caudato, quod item est *ita quae*, Puteolanus *itaque quae*.

eam spem frustrata sit, quod ut procul removeamus postulant quae c. 45 et 46 scripta legimus. Eam difficultatem interpretes adhuc ita eludere conati sunt, ut particulae *tum* significationem *iam tum* precario concederent, quod fieri nullo modo potest. Codicum scriptura (*greciẹ tum*) duobus argumentis probat ἀρχέτυπον Agricolae librum litteris antiquis scriptum fuisse, in quibus C et G (hinc GRAECIAE pro GREGIAE et hoc celeri pronuntiatione truncatum ex EGREGIAE), tum T et I, A et V facile commutantur, ut *graeciae* pro *egregiae*, TVM pro IAM invectum sit. Tacitus *egregiae iam spei filiam* (*seine bereits hoffnungsvolle Tochter*) dixit, respiciens quae c. 6 de eadem in Asia nata rettulit. Idem nunc *iuvenem* se nominat, qui duobus annis ante (a. 75) *iuvenis admodum* fuit; cf. Prooemii c. 2. Hoc matrimonium Tacito ad maiora nitenti decus et robur fuit, isque proximo anno (a. 78) quaesturam accepit, ut ratiocinando probare conatus sum in Prooemii cap. 2.

adiecto pontificatus sacerdotio: cf. H. I 77. I 3.

Cap. 10. *ita quae: ita* refertur ad proxima *quia tum primum perdomita est.* Conf. c. 7: *ita successor simul et ultor electus* cet. 12: *ita singuli pugnant, universi vincuntur.* 30: *ita proelium atque arma — tutissima sunt.* In antiquo codice levi vitio admisso fuisse credo *ita que* (pro *ita quę*, ut est in *Δ*), quod Pomponius vitiosum esse deprehendit et emendavit, Puteolanus perperam supplevit *itaque quae.*

Livius veterum, Fabius Rusticus recentium: in Epitoma libri 105 Livii: *Caesar — Oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, traiecit, iterum felicius; magnaque multitudine hostium caesa aliquam partem insulae in potestatem redegit.* Eo in libro Livius de Britannia tradidit quae Tacitus memoravit. De Fabio Rustico conf. Ind. hist. et Prooem. p. XVI.

dispecta est et Thule: nam hactenus iussum, et hiems appetebat: Puteolanus pro *iussum*, ut est in Vaticanis, coniecturam suam *nix* intulit eoque loci sententiam mul-

scutulae vel bipenni adsimulavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa. Sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule; nam hactenus iussum, et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent; ne ventis quidem perinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. Unum addi-

2. *in universum* Δ: *universum* Γ, *universis* mg. Γ praeposito AΓ, *transgressis* Γ, *transgressus* Δ: *transgressa* in contextu Rhenani, qui in Castigationibus suadet *e transgressis*. 3. *innorme* Γ et Puteolanus: *enorme* tacite Rhenanus. 8. *Tyle* Δ, *thyle* Puteolanus. *nam* editor: codices *quam*. *iussum*] *nix* ex prava coniectura Puteolanus. *appetebat* Δ et Puteolanus: Γ *abdebat*. 9. *remigrantibus* vitium Puteolani. 10. *proinde* Δ et Puteolanus.

tum impedivit, cum alii interpretarentur *quam* (Thulem) *hactenus nix et hiems appetebat* (expectaveris *appetebant*) impetu suo, alii *cui hactenus nix et hiems appropinquabat*, alii *quam* in hominum sermone *hactenus nix et hiems abdebat*, probantes alteram scribendi rationem *abdebat*. Obscuritas sententiae et coniecturae audacia hanc viam dissuadent. Ego pro *quam* reposui *nam*: compendiorum *q̃* et *ñ* permutationi origo corruptelae deberi videtur; certe litterula correcta et sententiae lumen redit et facilitas constructionis. Praeceptum est classi ut rediret neque ultra ad Thulem progrederetur: ea causa erat cur insula tantum dispiceretur. Verbis *et hiems appetebat* dictum est cur illud iuberetur. De Thule Plinius IV 30: *ultima omnium* (insularum in Oceano) *quae memorantur Thule, in qua solstitio nullas esse noctes indicavimus, cancri signum sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. — A Thule unius diei navigatione mare concretum; a nonnullis Cronium appellatur;* II 77: *quod fieri in insula Thule* (ut continui dies sint aestate, noctes continuae per hiemem) *Pytheas Massiliensis scripsit, sex dierum navigatione in septentrionem a Britannia distante.* Adde Pomponii Melae III 6 sub finem.

sed mare — perinde attolli: cf. G. 45.

terrae montesque, causa ac materia tempestatum: ali ventos montibus arduis et profundis fluminibus Tacitus credidit; v. II 23.

atque aestus: dicit fluctus accrescentes et decrescentes (*Ebbe und Fluth*). *ac multi rettulere:* videtur respicere Plinium N. H. II 99 sq. et Senecam Nat. Quaest. III 28, fortasse etiam Fabium Rusticum et Livium. Conf. Strabo I

derim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo. Ceterum Britanniam qui mortales initio 11
coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines, et posita contra Hispania, Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu

1. *dãnari* Γ et in margine *dnari* cum nota 2 infra litt. *n*. 3. *iugis etiam ac* ΓΔ: *etiam iugis atque* Puteolanus. 4. *in britanniam* Puteolanus. 7. *Calydoniam* (*y* subnotatum et superscriptum *e*) Γ, *Caledoniam* Δ. *arcus* Δ. 9. *torti* ΓΔ: *et torti* Puteolanus. *Hispaniam* ΓΔ: correxit Muretus. *Hiberos* (litterae *o* superscr. *a*) Γ: *iberos* Puteolanus. 10. *hitasse* punctis suppositis Γ: *occupasse* mg. Γ et Δ. 11. *usu* ΓΔ: *ui* tacite Rhenanus.

3 7 p. 53, III 5 11 p. 173. Pompon. Mela III 1.

Cap. 11. *rutilae — adseverant:* cf. G. 4: *rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida.* De iis quae Iornandes ex hoc capite et proximo videtur hausisse, dictum in Prooemio c. 25.

Silurum colorati vultus: colorari cum homines et inductis coloribus et solis radiis possint, hoc loco tamen nonnisi de effectu ardoris vox *colorati* (*gebräunt*) accipienda est. Nam hoc vult intelligi, habitum vultus sole Hispanico impressum incolas inde advectos tenuisse, quemadmodum Caledonii rutilas comas et magnos artus Germanorum ex antiquis sedibus secum transtulerunt. Itaque huc nihil pertinet quod tradit Caesar B. G. V 14: *omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiore sunt in pugna adspectu;* cf. Martialis XI 54. De sedibus Silurum cf. ad c. 17.

posita contra Hispania: de corruptionis causa dictum ad cap. 9 *nulla ultra potestatis persona*, de structurae genere ad III 13.

sedes occupasse: Pomponius Laetus aut voce paulo ante scripta *habitantium* aut significationis similitudine inductus pro *occupasse* expressit *habitasse* (per comp.), sed vitio animadverso hoc subnotavit et in margine veram lectionem *occupasse* supplevit. Orellius *habitasse* recepit.

proximi Gallis et similes sunt: Caesar B. G. V 14: *ex his omnibus longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

seu procurrentibus in diversa terris: terra Gallorum in septentrionem procurrit, Britannia meridiem versus. Scilicet neque universam Galliam neque Britanniam complecti voluit, sed Britanniae partem meridionalem, Galliae septentrionalem. Vocem *terris* Graece interpretare χώραις, non ταῖς χώραις (*oder weil in Ländern, die*

procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia, et ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fue-
12 runt. In pedite robur; quaedam nationes et curru proelian-

2. *extimati* Puteolanus. *uicinam insulam* $\Gamma\Delta$: *uicinam solum* Puteolanus, *vicinum solum* Beroaldus. 7. *longas pax emolierit* Puteolanus. 10. *evenit victis* in Γ esse significavit Wexius p. 9, nescio num vere. 11. *impedite* $\Gamma\Delta$, sed in Γ litt. *m* puncto subnotata et superscr. *n*: *in pedite* Puteolanus.

nach entgegengesetzter Richtung vorlaufen, die Stellung des Himmels den Körpern ihre Haltung gegeben hat).

in universum tamen aestimanti — credibile est: de structura verborum cf. ad XI 3. Puteolanus dedit *solum* pro *insulam*, aut deceptus scriptura *īsulam* aut omisso *in* (= m) post proximam litteram *m*. Eius vitium *vicinam solum* Beroaldus prave correxit *vicinum solum*.

eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione: Caesar B. G. VI 13: *disciplina* (Druidarum) *in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur; et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur*. Conf. Tacit. XIV 30.

superstitionum persuasione: *superstitiones* sunt dogmata (*Glaubenssatzungen*) et genitivus fere idem valet quod *superstitiosa* (*aus ihrer gläubigen Hingebung*). Ob significatum conf. H. V 13: *gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa*. H. IV 83: *quaenam illa superstitio* (*was das für ein Glaube*), *quod numen, interrogat*. Ablativus *persuasione* est causalis et iungi debet cum verbo *deprehendas*. Sed fortasse *persuasionē* fuit, ut *ἀσύνδετον* Tacitus dederit: *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasionem*. De religione Gallorum cf. Caesar B. G. VI 16—18. Strabo IV 4 §. 4—5.

in deposcendis — formido: Strabo IV 4 5 de Gallis: *τῷ δ' ἁπλῷ καὶ θυμικῷ πολὺ τὸ ἀνόητον καὶ ἀλαζονικὸν πρόσεστι. — ὑπὸ τοιαύτης δὲ κουφότητος ἀφόρητοι μὲν νικῶντες, ἐκπλαγεῖς δ' ἡττηθέντες ὁρῶνται.*

nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: conf. Germ. 28 cum annot. *Britannorum olim victi* qui Claudio principe et mox sub Nerone a Romanis subacti sunt.

Cap. 12. *in pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur*: curru *quaedam* tantum nationes proeliantur; his deesse equitatum eiusque vice fungi aurigas et ipsa rei natura ostendit (nam currus

tur. Honestior auriga: clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur.

Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque

4. *tribusve* Pichena, ante quem erat *tribusque*. 6. *ita* ΓΔ: *ita dum* Puteolanus. 8. *abest* Γ: Δ *est*. 9. *et nox* Puteolanus. *extrema parte Britanniae* Δ, non Γ.

ob id ipsum adhibent, quod eos solis equis aptiores esse putant) et proxima Taciti verba de aurigis et clientibus commonstrant. Hinc consequitur inter Caledonios ad montem Grampium pugnantes, et *covinis*, h. e. levibus curribus, usos, equites qui vulgo dicuntur non fuisse; conf. ad c. 35 et 36. Quae autem nationes curru non proeliantur, his non defuisse *equites*, id ex ipsis Taciti verbis *in pedite robur* perspicitur. Consentit Pomponius Mela III 6: *dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati; covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Dio LXII 12. Apud Caesarem B. G. IV 24 (*barbari — praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt*) et 32 (*reliquos — simul equitatu atque essedis circumdederant*) et V 15 (*equites hostium essedariique*) verba *equitatus et essedarii*, *item equites essedariique* sunt pro *equitatu essedariorum*, ut liquet comparanti proxima et IV 33.

honestior auriga, clientes propugnant: tam clientes quam auriga curru ad hostem vehuntur, sed ibi clientes pedibus pugnant, auriga in curru retrocedit, ut describit Caesar IV 33: *cum se inter equitum turmas* (hostiles) *insinuaverint, ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur. Aurigae interim paulatim ex proelio excedunt atque ita currus collocant, ut si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant.*

olim regibus parebant: conf. Caesar V 22. Pomponius Mela III 6. Diodorus V 21. Dio LX 19 et 20.

nunc per principes factionibus et studiis trahuntur: ablativi sunt instrumentales; prior rem oculis expositam, alter animi affectum denotat (*durch Parteiungen und Sympathien*). Doederlinius interpretatur *ad factiones et studia*, sed obstat usus Taciti et Latinus, neque apta sunt exempla ab illo allata, II 58: *neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret;* H. I 69, ubi est *effusis lacrimis*, non, ut Doederlinium fefellit opinio, *effusus lacrimis*. Ut verbum *parebant* iustum et voluntarium obsequium significat, ita *trahi* dicuntur qui animi affectu (*studiis*) aut vi ab aliis adhibita (*factionibus*) destinantur.

duabus tribusve civitatibus — conventus: leni medicina vitium *tribusque* removit Pichena: nam

initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quodsi nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere sed transire adfirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, *arborum* patiens, frugum fecundum. Tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae.

2. *occidere ΓΔ: concidere* Puteolanus. 5. *ac sydera* (*ac* subnotatum puncto et superscriptum *et*) *Γ*. - 6. *arborum patiens, frugum fec.* editor: *Γ patiens: frugum foecundum*, vulgo *patiens frugum*, *fec.* 8. *terrarumque coelique Δ*, non *Γ*.

tresque rem adauget (*selbst drei*), *tresve* detrahit et imminuit (*oder drei = höchstens drei*). Tacitus nunc alterum voluit. Conf. Bentleius ad Horat. Epod. V 32 et Rigler Annot. ad Taciti Agr. p. 13.

asperitas frigorum abest: Caesar V 12 extr.: *loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.*

dierum spatia — mensuram: Caesar V 13: *certis ex aqua mensuris breviores esse quam in continente noctes videbamus.* Plinius N. H. II 77: *in Italia quindecim* (horarum longissimus dies), *in Britannia septendecim.* Priores, veluti Pytheas Massiliensis, multa fabulosa de noctium et dierum spatiis insularum Britannicarum rettulerant, quibus obviam itum a Caesare V 13.

exiguo discrimine internoscas: cf. G. 45. De sententia Eumenii in Panegyr. Constantini c. 9, quae hinc sumpta esse videatur, v. Prooemii cap. 18 p. XXX.

nec occidere — nox cadit: quod in extremis Norvagiae terris verum est, falso ad Britanniam applicuit, eique falsam explicationem adhibuit. Noctem oriri putavit ex umbra terrae ad caelum alioqui splendidum et clarum elata sive erecta. Plana autem terrarum ex Taciti opinione humilem umbram efficiunt (*non erigunt tenebras = lassen die Finsterniss nicht emporsteigen*), eaque splendorem caeli obscurare non possunt. Plinius II 7: *neque aliud esse noctem quam terrae umbram* (manifestum est). Ibidem: *supra lunam pura omnia ac diuturnae lucis plena.*

arborum *patiens, frugum fecundum*: *arborum* nomen vere adiectum esse tam vulgatae scripturae pravitas et inconcinnitas quam verba in Germ. (5) probabunt: *satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.* Si in *ἀρχετύπῳ* *ãbo♃* (= *arborum*) exaratum erat, post *sueta* hauriri hoc facile potuit. Cogitatione *arborum* suppleri posse Doederlinius nemini persuaserit; vulgata *patiens frugum*, *fecundum* tolerari nequit: nam *patiens frugum* id solum dicitur in quo fruges nasci possunt, *fecundum* in quo laete et copiose provenire solent. Haec diversa *ἀσυνδέτως* iuste copulari in hunc modum non possunt. Deesse aliquid etiam distinctio codicis *Γ* significat.

aurum et argentum et alia metalla; plumbum et ferrum Caesar

Gignit et Oceanus margarita sed suffusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. Ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii 13
munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradi-

1. *suffusa* *Δ*, non *Γ*.

in Britannia cognovit, aurum et argentum Strabo IV 5 2. Famam a Caesaris exercitu in urbem latam secutus aurum et argentum Britannis denegavit Cicero ad Famil. VII 7: *in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti*; ad Att. IV 16 §. 13: *etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula neque ullam spem praedae nisi ex mancipiis.*

pretium victoriae: hinc colligere licet Britanniam fuisse stipendiariam provinciam, non frumentariam, h. e. provincialibus ex censu tributum iniunctum, non decumas impositas fuisse. Hinc c. 13: *ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt.* Adde c. 31 cum annotatione.

gignit et Oceanus margarita: forma *margarita* usus est ad evitandum ingratum sibilum, ex accusativo alioqui magis solito *margaritas* consecuturum. Cf. Mela III 6: *fert flumina, — quaedam gemmas margaritasque generantia.* Plinius IX 57 (35): *in Britannia parvos* (uniones) *atque decolores nasci certum est.* Ammianus Marc. XXIII 6 extr.: *quod genus gemmae etiam in Britannici secessibus maris gigni legique, licet dignitate dispari, non ignoramus.*

in rubro mari: intelligitur *maris rubri sinus Persicus*; cf. annot. ad II 61. Plinius IX 54: *Indicus maxime has* (margaritas) *mittit Oceanus —. Praecipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri.*

Cap. 13. *iniuncta imperii munera*: sunt collationes extra ordinem indictas ad sustinendum imperium. *Munera* de officiis et laboribus noli accipere: tum enim *munia* debuit esse. Cf. annot. ad III 2 et II. III 13.

igitur primus — divus Iulius: particula *igitur* significat narratorem iam expositurum hoc esse, quatenus Britanni domiti sint. De Iulio Caesare Britanniam ingresso ipse tradidit in *Bello Gallico* IV 24—38, V 8—23, breviter Velleius II 46 sq., Suetonius Caes. c. 25 et 47 et 58, Diodorus V 21, Strabo IV 5 §. 3, Dio XXXIX 53, XL 1—3.

consilium — praeceptum: conf. I 11: (Augustus in libello a se scripto) *addiderat consilium coërcendi intra terminos imperii, in-*

disse. Mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis paenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum Vespasiano; quod initium venturae mox fortunae fuit. Domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

14 Consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius; redactaque paulatim

2. *etiam*] *iam* Δ, non Γ. 3. *praecipue* Γ et Puteolanus: *praeceptum* mg. Γ et Δ et cod. Ursini. 5. *ingenii* Δ, non Γ. *mobilis poenitentiae* Δ: *mobili poenitentiae* Γ, *mobilis poenitentia* Puteolanus. 6. *auctoritate* ΓΔ: *auctor* Puteolanus. 8. *Domitae gentes* Puteolanus: ΓΔ *Domitiae gentis.* 10. *Plancius* Γ, *Plantius* Puteolanus.

certum metu an per invidiam. De Tiberii erga praecepta Augusti reverentia v. I 77, IV 37. Strabo II 4 8, IV 5 3. *agitasse Gaium Caesarem:* Cf. Dio LIX 25. Suetonius Calig. 44 et 46. Orosius VII 5. Tacit. H. IV 15. *mobilis paenitentiae:* genitivus causam et fontem exprimit; conf. H. I 53: *animi immodicus.*

divus Claudius auctor operis: opus est insula vel magna eius pars subacta et Romano imperio adiecta, atque id factum est provincia Romana in terris Britanniae parta. Iulius Caesar nihil nisi gloriam transgressus fortiter suscepti tulerat. In Vaticanis *auctoritate* ex compendio nominis *auctor* male soluto emersit, dum scriba *autō*, h. e. *auctor*, *aũte* legit, h. e. *auctoritate.* Doederlinius et Wexius suaserunt *auctor iterati operis*, Bezzenberger *auctor tanti op.* Additum *tanti* iactationem infert Ammiano dignam, a Taciti simplicitate longe abhorrentem; *iterati* si addamus, *opus* de transgressu in Britanniam accipietur. Sed *opus* opponitur tam ludibrio Gaianae expeditionis quam speciosis ac vanis Iulii Caesaris conaminibus. De incepto Claudii cf. Suetonius Claud. 17. Dio LX 19 sqq. Eutropius VII 13. Res coepit anno urbis 796=43.

adsumpto — Vespasiano: cf. Suetonius Vesp. 4. Tacitus H. III 44. Eutropius VII 19.

quod initium venturae mox fortunae fuit: fortunam dicit Vespasiani in imperium asciti, non res in Britannia prospere gestas.

monstratus fatis Vespasianus: rebus feliciter peractis oculos hominum Vespasianus vertit in se tamquam magnae fortunae reservatum; hoc est monstrari fatis sive per fata.

Cap. 14. *Aulus Plautius:* conf. XI 36, XIII 32. Dio LX 19—20. Suetonius Vespas. 4. *Ostorius Scapula:* eius res gestas narravit Tacitus XII 31—35 et 38—39.

in formam provinciae proxima pars Britanniae. Addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Quintus Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, adgressus

2. *Cogidumno Γ*: *Cogidunno Δ*, *Cogiduno* Puteolanus. 4. *ut uetere — consuetudine haberet ΓΔ* : *uetere — consuetudine*, *ut haberet* tacite Rhenanus. 5. *et reges* om *Δ*, *et regis Γ* et Puteolanus: correxit Rhenanus. 8. praenomen *Quintus* est ab editore. 11. *Nomam Δ*. *vires ΓΔ*; *uiros* Puteolanus.

veteranorum colonia: ei nomen *Camulodunum*; v. XII 32 cum annotatione.

vetere — consuetudine, *ut haberet — et reges:* particulam *ut*, in libris Vaticanis et antiquis editionibus ante *vetere* positam, in versum proxime inferiorem tacite revocavit Rhenanus, ut verbum *haberet* (populus Romanus) subiecto suo instructum compareat, quod alioqui incertum foret, cum duo legati ante nominati essent, Plautius et Ostorius. Nam quominus verbum *haberet* ad Ostorium altero loco nominatum referatur, prohibent interposita *uterque bello egregius*. In antiquo illo codice prior versus, puto, coepit a VETERE, alter ab VT, quae proximus scriba iunxit VT VETERE. De re conf. Livius XLIV 24 et epistola Mithridatis ad regem Arsacem in fragmentis libri IV Historiarum Sallustii. Recentia exempla Tacitus suggerit XIV 26, XV 1, H. II 81.

Didius Gallus: v. Tacit. XII 40.

Didium Quintus Veranius excepit: XIV 29. Ut ceteri omnes consulares legati Britanniae (*Aulus Plautius, Ostorius Scapula, Didius Gallus*, *Suetonius Paulinus*, c. 16 *Petronius Turpilianus*, *Trebellius Maximus*, *Vettius Bolanus*, c. 17 *Petilius Cerialis*), sic etiam Veranius ubi primum memoratus est, haud dubie duobus nominibus vocatus est, sed *Quinti* praenomen a me additum delituit in scriptis libris et editis, antiquitus per compendium expressum (*Q.*) eoque proclive ad intercidendum.

Suetonius hinc Paulinus: conf. XIV 29—39. De Mona insula v. annot. ad XIV 29 et Plinius II 77, IV 30.

firmatisque praesidiis: h. e. *firmis praesidiis positis*. Conf. I 51: *vicesima legio terga firmavit* (firma reddidit terga); XIII 41: *nec id nobis virium erat quod firmando praesidio* (firmo praesidio faciendo) *et capessendo bello divideretur*. Agr. 35: *ut peditum auxilia — mediam aciem firmarent* (firmam aciem efficerent). H. V 12: *mediam urbem Ioannes, templum Eleazarus firmaverat*.

15 terga occasioni patefecit. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. Aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. Alterius centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tam-

3. *sapientia Δ: Γ patientia.* 8. *alterius manum [s] centurionis, alterius seruos vim Γ, alterius manum centurionis, alterius seruos vim Δ, alterius manus centurionis: alterius uim* (omisso v. *servos*) Puteolanus. *seruos* non omittit cod. Ursini. 10. *imbecillibus Γ*, sed litt. *ci* punctis subnotatae: *imbellibus* Puteolanus.

Cap. 15. *ex facili:* conf. II. I 57 *ex adfluenti.*

legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret: in sanguinem legatus saevit praesidendo iudiciis capitalibus, dum obit conventus iuridicos, in bona procurator anquirendo et vindicando res quae in fiscum Caesaris vertuntur.

alterius centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere: iussa legati centuriones, procuratoris mandata servi exequuntur. XIV 31: *quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones* (legati Suetonii), *domus per servos* (procuratoris Catonis Deciani) *velut capta vastarentur.* Loci in libris corruptela (*alterius manum centurionis, alterius servos*) in hunc modum orta videtur. Propter vicinum *alterius* proximum nomen *centuriones* scribae imprudentia assimilatum est *centurionis.* Iam genitivi regimen cum deesset, corrector structurae quam sententiae sustinendae curiosior in libro antiquo addidit *manum:* quippe opinabatur *centurionem* contumeliose vocari legatum consularem. I. Fr. Gronovius coniecit *alterius manus, centuriones alterius*, omisso vocabulo *servos*, sed *manus* procuratoris (aliae iuste intelligi nequeunt) non apte componuntur cum *centurionibus* legati, neque procurator suis manibus sed servorum ministerio grassari solebat. Rothius propius ad Vaticanos accedens scripsit *alterius manus centuriones* (esse), *alterius servos — miscere,* sed illud *esse*, oppositum proximo verbo *miscere*, omitti non potest, neque apta enuntiati membra sic constituuntur. Od. Müllerus, et Dronkius ipsum secutus in altera editione, eadem verba sic accepit, ut *manus* tam ad *centuriones* quam ad *servos* referantur et haec nomina per appositionem accedant (*des einen Hände, die Centurionen, des andern, die Knechte*), quo facto et obscure et sinistra verborum copia Tacitus sententiam suam eloquitur. Ciceronis verba

quam mori tantum pro patria nescientibus. Quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum: et flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam, coniuges parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. Recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere. His atque talibus in vicem 16
instincti, Boudicca generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis

1. *quantulum* $\Gamma\Delta$: *quantum* Puteolanus. 3. *defendi sibi patriam. Coniuges* Δ. 5. *uirtutem* $\Gamma\Delta$: *uirtutes* Puteolanus. 13. *Voadicca* Γ, *Voaduca* Δ, *Voadica* Puteolanus.

(in Verrem lib. II 10) *comites illi tui delecti manus erant tuae*, post Gronovium certatim ab interpretibus allata, alius generis sunt et cum his minime comparanda.

quantulum enim transisse: cf. annot. ad H. IV 76.

sic Germanias excussisse iugum: dicit Germaniam transrhenanam Arminii virtute a iugo Romanorum liberatam. Eam alias numero singulari *Germaniam* vocare Tacitus solet, de quo dictum ad H. IV 17. Hinc suspicio in antiquo codice fuisse *Germaniā* et compendio prave soluto provenisse *Germanias*, ubi debuit *Germaniam*. *patriam, coniuges parentes:* sic distinguendum; v. ad XI 6. Statim *divus Iulius* non sine aliqua irrisione a barbaris vocatur.

Cap. 16. *Boudicca — duce:* de forma nominis cf. annotatio critica ad XIV 31.

ira et victoria: ira causam, *victoria* facultatem explendae saevitiae denotat.

ne, quamquam egregius cetera, adroganter in deditos — consuleret: pro *ne, quamquam* in Δ leve vitium est *nequaquam* (in eius exemplari fuit *ne quāquam* vel *ne q̃ q̃*), in Γ *neq̃uaq̃* addito in margine *neq̃*, h. e. *nequaquam* correctum in *nequamquam*, ut correctus Γ praebeat lectionem ab amico Walchii et a Walthero commendatam *ne, quamquam.* Idem vitii genus invasit librum Mediceum et ceteros H. IV 68. Quo minus barbari agnoscant bellicam virtutem Paulini, sed iunctam cum iniquitate in ipsos, nihil prohibet. Neque vera offensio est quam adversus hanc sententiae formam movit Handius in Tursell. t. II p. 43, se neminem cognosse inter bonos scriptores qui pronomini *cetera* adiunxerit *quamquam:* nam ea particula iuncta est cum nomine ad-

ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat, ne, quamquam egregius cetera, adroganter in deditos et, ut suae quoque iniuriae ultor, durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior; et delictis hostium novus eoque paenitentiae mitior, compositis prioribus, nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere, vitiis blandientibus; et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. Sed discordia laboratum, cum ad-

2. *omisit* *ΓΔ*: Puteolanus *amisit.* 5. *plerique* *Δ*, non *Γ*. 6. *nequaq̄* *Γ*, in mg. *neq̄* relatum ad primam syllabam ut sit *nequamquam.* *Δ* *nequaquam egregius. Cetera.* 7. *suae quoque* Puteolanus: *suae eiusque* *ΓΔ*. 8. *consuleret. missus igitur Petronius* *ΓΔ*: *consuleret, missus Petronius* Beroaldus. 9. *novis* *Δ*, non *Γ*. 10. *ausis* *Δ*, non *Γ*. 15. *saevitiae* *Δ*, non *Γ*.

iectivo (*egregius*), non cum pronomine. Puteolanus pro *ne, quamquam* habet *hic cum*, coniecturam ab ipso sinistre excogitatam, quam ut salva structura tenere posset Beroaldus, amplius expunxit *igitur*, sequentia cum his coniungendo. Wexius p. 15 proposuit *ni, quamquam egregius cetera, arroganter — consuleret,* ut haec ab enuntiato *veteri patientiae restituit* penderent; sed id quo minus iuste fieri possit, impediunt verba interposita. Accedit quod sic Tacitus de Suetonio, *moderato duce,* iniquius indicabit quam in Annalibus XIV 38—39. Neque recte quis opposuerit Annales componentem de his rebus melius edoctum Tacitum fuisse: immo ex ipsius soceri ore de Suetonii legatione fidissima quaeque acceperat ante quam haec tradidit.

ut suae quoque iniuriae ultor: qui iniuriam populo Romano illatam etiam ut suam persequeretur. In *Γ* *eiusque* natum ex compendio *q̄que*, adhaerescente scilicet *e* ex pronomine *suae*, ut *e̊q̄que* pro *eiqque* acciperetur. Wexius suasit *ut suae cuiusque iniuriae ultor*, h. e. ut suam quamque iniuriam ultus; sed hoc et plus est quam a viro moderato expectari potest, et verba *cuiusque iniuriae* nimis indefinita sunt. Una ac magna iniuria defectio fuit.

Petronius Turpilianus: XIV 39. De ceteris viri fatis v. Ind. hist.

et delictis hostium novus: et (= et sane) significat expectationem eorum qui miserunt Turpilianum, h. e. Neronis principis et amicorum eius, haud frustratam esse. Non bene novi editores (Dron-

suetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis precario mox praefuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, et seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis. Sed ubi cum cetero 17
orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, adgressus. Multa proelia,

2. *indecoris ΓΔ*: correxit Puteolanus. 3. *praefuit*] *fuit Δ*. *Al' facta exercitus licentia ducis salute* in margine *Γ*. 4. *salute Δ*. *et seditio ΓΔ*: *haec seditio* Puteolanus. *Vectius Volanus Γ* et Puteolanus. 5. *disciplina et eadem Δ*. 11. *Caerealis Γ*, *Cerealis Δ*, et sic uterque paulo post. *Bregantum* et mox *Bregantium Γ*, *Δ* utrobique *Bregantum*. 12. *perhiberet Δ*, non *Γ*.

kius et Orellius) distinctionem ante *et* deleverunt. *Trebellio Maximo:* v. H. I 60, II 65 et annotatio ad priorem locum.

ac velut pacti, — stetit: turbas dedit Puteolanus illato pronomine *haec* ante v. *seditio* pro *et*, quo admisso *ac velut pacti* accipiendum *ac velut pacti essent*, obnitente usu Corneliano et Latino: nam *essent* omitti tunc potest, cum sequitur aliud membrum orationis quo durities ellipsis mitigatur, de quo dictum ad O. 1. Nunc *pacti* est indicativus (*pacti sunt*), particula *et* in principio sententiae posita non solum iungendi sed etiam explicandi vim (*et ita*) habet. Tollenda sunt quae in fine annotationis ad VI 35 de his verbis dixi.

Vettius Bolanus: missus est a Vitellio; v. H. II 65 et 97. *eadem inertia — loco auctoritatis:* aliter poeta ad laudandum pronus tradidit de Bolano in carmine ad filium Crispinum composito, Statius in Silvis V 2. Ille celebrat vigorem et fortitudinem Bolani cum Corbulone adversus Parthos et Armenios pugnantis v. 31—47, de Britannica autem legatione Asiaeque proconsulatu haec profert v. 53:

aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens, quantusque potentis
Mille urbes Asiae sortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga.

Adde eiusdem carminis v. 143—149.

Cap. 17. *Petilius Cerialis:* de rebus viri insignis v. Ind. hist.

Brigantum civitatem: conf. XII 32. H. III 45. Ptolemaeus II 3 §. 16: ὑπὸ μὲν τοὺς Σελγοούας καὶ τοὺς Ὠταδηνοὺς διήκοντες ἐφ' ἑκάτερα τὰ πελάγη Βρίγαντες. Ad horum fines inter Trinobantes Camulodunum; v. XII 32, XIV 31.

*et Cerialis quidem — obruisset, * * * sustinuitque molem Iulius*

et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, * * * Sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

18 Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat;

2. *amplexus est ΓΔ*: *amplexus* Puteolanus. *et ΓΔ*: *et cum* Puteolanus. 3. hiatus signa sunt ab editore. *sustinuitque ΓΔ*, *sustinuit quoque* Puteolanus. 5. *ualidamque ΓΔ*: *ualidāsque* π1, *ualidansque* π2. 6. *locorum quoque ΓΔ*: Puteolanus *locorumq3* (ex *locorum*$\overline{qq}$) 10. *uerterentur Δ* et Puteolanus: *Γ uterentur.*

Frontinus: Puteolanus inserto *cum* ante nomen *Cerialis*, tum *sustinuit quoque* pro *sustinuitque* mutando verbis luxatis succurrere frustra tentavit. Nam post *cum* in protasi pro *quamvis* positum *tamen* subsequi aut cogitatione suppleri debet, *quoque* alienum est. *Sustinuitque* autem, perapte dictum in principio sententiae pro *itaque sustinuit* (cf. annot. ad IV 21), minime attentandum sed incolume tenendum est. Hinc clarum post *obruisset* totum versum excidisse iam vix restituendum, quo hoc monitum fuisse suspicor, illis temporibus virorum insignium suppetisse magnam copiam. Exempli gratia, non tamen suppleturus ipsum Tacitum, hoc tentabo: *et Cerialis quidem — obruisset, sed illi seculo pacis bellique decora non defuerunt. Sustinuitque* cet. Orellius coniecit *obruisset, sed sustinuit.*

vir magnus, quantum licebat: Vespasianus pecuniae parcus, ut praeter Siluras alias gentes armis peteret Frontinus, non videtur concessisse. Certe verba *quantum licebat* de impedimento Caesaris accipienda sunt. Frontinus ille est qui composuit Strategemata cet. Conf. annot. ad H. IV 39. Cum haec Tacitus scripsit, curator aquarum Frontinus fuit, amicus Plinii minoris (Epist. IX 19), utque suspicari licet etiam Taciti.

Silurum gentem: Silures occidentem versus in regno Valisiae (Wales). Plinius IV 30: *super eam haec sita est* (Hibernia) *brevissimo transitu a Silurum gente XXX M. passuum.* Ptolemaeus II 3 §. 24: *τούτων* (*Δημητῶν* et *Τρινοουάντων*) *δ' ἀνατολικώτεροι Σίλυρες.* Conf. Tacit. XII 32 et 38 et 40.

difficultates eluctatus: H. III 59: *nives eluctantibus patuit* cet.

Cap. 18. *ad occasionem verterentur:* occasionem dicit invadendi ex insidiis hostem et expugnandi castella. Codicis *Γ uterentur* ex antiquo *ūterentur*, h. e. *verterentur*, corruptum est. Cf. annot. ad XVI 27.

Ordovicum civitas: Ordovices supra Siluras e regione insulae Monae (*Anglesey*) habitabant, ut

eoque initio erecta provincia et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, ac recentis legati animum opperiri, cum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae ac prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul

1. *et quibus ΓΔ*: *ut quibus* Puteolanus. 2. *ac rec. ΓΔ*: *aut rec.* Puteolanus. *opperiri, cum ΓΔ*: *opperiri. Tum* Puteolanus. 3. *transvecta ΓΔ*: *transacta* Rhenanus. 8. *digredi Γ* et Puteolanus; correxit Acidalius et *degredi* primus edidit Pichena. 11. *terrorem ceteris fore universa*, repetito v. *universa* ex versu proxime priore, *ΓΔ*: *fore universa* Puteolanus. *Nomam Δ*. 14. *consiliis* (*naves deerant*) *ratio Δ*. 15. *transvexit*] *tranare extra Δ*, *tranvex̃ Γ*. 16. *prius ΓΔ*: *patrius* Puteolanus.

docent quae sequuntur et Ptolemaeus II 3 §. 18: ὑπὸ δὲ τούτους (Παρίσους) καὶ τοὺς Βρίγαντας οἰκοῦσι δυσμικώτατοι μὲν Ὀρδούϊκες.

et quibus bellum volentibus erat: v. annot. ad H. III 43.

probare exemplum, ac recentis legati animum opperiri: *ac* particula diversa nunc iungit, ut I 36: *placitum ut epistulae nomine principis scriberentur, — exauctorari qui sena dena* (stipendia) *fecissent, ac retineri sub vexillo.* Rhenani coniectura *aut — opperiri* neque necessaria est neque conveniens Taciti consuetudini. Nam infinitivos historicos non solet ita admittere ut alter alteri ex adverso ponatur.

sparsi per provinciam numeri: numeri sunt cohortes legionum, ut H. I 6 et 87. *legionum vexillis*: v. annot. ad I 38.

terrorem ceteris fore: in exemplari, unde descriptus est liber qui fons codicum *Γ* et *Δ* fuit, is versuum ordo, puto, obtinuit ut in priore versu *universa* (*gente*), in altero *fore* eodem loco essent, unde proximus scriba *fore universa* dedit. Similis sententia H. II 20: *gnarus, ut prima provenissent, famam in cetera fore.* XII 31: *ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni.*

seque et arma et equos regunt, ita repente immisit ut obstupefacti hostes, qui classem, qui navis, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. Sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus
19 quanta futuri spe tam magna tacuisset. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. A se suisque orsus primum domum suam coërcuit; quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei,

2. *navis Γ*: *naves* Puteolanus. 4. *polita Δ*. 6. *aut Γ* et Puteolanus: *et Δ* (non etiam Puteolanus, ut refert Wexius p. 9 annot. * *). 9. *ne*] *nec Δ*. 12. *exempla experimenta Γ*, sed v. *exempla* punctis subnotatum. 13. *incuriae ΓΔ*: correxit Puteolanus. 14. *primă* Puteolanus. 15. *coërcuit*] *coerāt* vitium Puteolani. 16. *libertos* Puteolanus: *Γ liberos*.

cuius possessione revocatum Paulinum — memoravi: praepositionis *a* vis inest in verbo *revocatum*, ideoque ipsa potuit abesse ante *cuius possessione*. Cf. I 3, II 69. H. II 79: *Syria remeans* (Titus). Nomen *possessio* (*Besitznahme*) h. l. factum a *possīdĕre*, i. e. *occupare* non a *possĭdēre*, quod est *occupatum tenere*. Cf. ad II 5: *promptam ipsis possessionem*; annot. ad H. III 8.

qui classem — expectabant: insulae cultores pro classe terrestrem exercitum, pro navibus equites, pro mari terram videbant: nam tamquam terra iis apparuere vada quibus auxiliarium lectissimi accedebant.

ne laureatis quidem gesta prosecutus est: laureatas intellige litteras ad principem (huius enim legatus erat rector Britanniae) missas. H. III 77: *ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit*. Liv. V 28: *litterae a Postumio laureatae sequuntur*.

Cap. 19. *primum domum suam coërcuit:* Puteolani vitium (*primă* pro *primŭ*) assimilationi debet originem, dum adverbium tamquam adiectivum cum nomine *domum* prave iungitur. Ex codicibus nondum quidquam enotatum est. *Primum* comparere in editione Francofurt. a. 1542 Waltherus notavit. Ne quis abutatur c. 24 *nare prima*, ibi prospectum est.

nihil per libertos servosque publicae rei: notio verbi *agere* suppressa, ut IV 38. H. I 84. G. 19.

non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem, militem ascire, sed optimum quemque fidissimum putare. Omnia scire, non omnia exequi. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper, sed saepius paenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare cum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate

1. *privatis* posteriori litt. *i* superscr. *u* Γ, *privatius* Δ. *centurionem* ΓΔ: *centurionum* Puteolanus. 2. *militem ascire* editor: *milites nescire* ΓΔ, *milites ascire* Puteolanus. *fidissimum* ΓΔ: *fidelissimum* Puteolanus. 6. *praeponere* ΓΔ: omittit Puteolanus. Ursini codex *praeponere potius non peccaturos*, sed de loco verbi falsa per errorem videtur Ursinus rettulisse. 7. *exactionem* Δ (litteris *ex* duo puncta superposita) et mg. Γ ascripto *Al'*: *auctionem* Γ et mg. Δ (is habet . . *auctionem*) et Puteolanus. *in aequalitatem* Γ.

centurionem, militem ascire: *centurionem* pessime Puteolanus mutavit *centurionum*. Quod sequitur in codicibus *milites nescire*, id litteris distractis (*milite mascire*) depravatum et male correctum est, dum pro monstro *mascire* verbum Latinum *nescire* substituitur, ac pro *milite* aut corrigitur *milites* aut quadam assimilandi inclinatione ob proximum *nes-cire* ita scribitur. Hoc si verum est, ut iuste dubitari nequit, ex eo quod fontem mali esse indicavi, lenissima correctione fit *militem ascire*. Cum *studiis privatis* idem sit quod *studiis privatorum*, in proximis *ex commendatione aut precibus* dici commendationem et preces privatorum liquet. In verbis *centurionem, militem* inest gradatio a maiore ad minus; *militem* cogita legionarium ex sociali asciscendum et Romana civitate donandum: legionarii enim civitate gaudebant. Eiusmodi autem miles ut a legente intelligatur, proximum centurionis nomen facit. Conf. annot. ad H. I 43.

fidissimum putare: h. e. quo fidere maxime posset. Cf. c. 14: *is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit.* H. II 46: *ne fidissimum exercitum — desereret.* Quod Puteolanus interpolavit *fidelissimum*, ab eo Tacitus abstinuit, excepta forma comparativi gradus *fidelius* O. 34, *fidelior* XV 67.

frumenti et tributorum exactionem — mollire: Γ in contextu habet *auctionem*, ut est apud Puteolanum, quod interpretes vindicare student collatis Suetonii verbis Vesp. 16: *non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse*; his similia etiam Dio LXVI 8. Adde Tacit. H. II 84. Sed hoc si Tacitus voluisset, addere nonnulla de auctione illa debuit, verbi causa *tunc impositam* vel *iussam*. De auctione tributorum nude loqui sine vitio obscuritatis non potuit. Contra *exactio* frumenti in proximis describitur. *Frumentum* nunc memoratum accipe neque *decumanum*, cum decumas Britanni non penderent (conf. ad c. 12), neque *emtum* ad alendos cives Romanos, quoniam frumento naves onustae tunc ex Britanniae regionibus non commeabant, sed *frumentum in cellam*, ad praesidem provinciae eiusque militem copiis instruendum deferri solitum, pro

munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium adsidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac colludere pretio cogebantur. Devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates proximae hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lu-

1. *numerum* Puteolanus. *circumcisisque in Δ*, non *Γ*. *circumcisis in quaestum reperta: quae* Puteolanus. 2. *tollerabantur* vitium Puteolani. 3. *hordeis* puncto subnotata litt. *d* et superscr. *r Γ*. *colludere* editor: *ludere ΓΔ*, *uendere* Puteolanus. 4. *diuortia Γ* et Puteolanus. 5. *proximae* editor: *proximis ΓΔ*, *a proximis* Puteolanus.

quo cum inita aestimatione pecunia a provincialibus solvebatur, *aestimatum* vocabatur; v. Ciceronis in Verrem lib. III 81—91. De hoc uno frumenti genere loqui Tacitum, id proxima *hibernorum* et *horreorum* mentione commonstratur. Walchius longae annotationis ambagibus haec verba magis obscuravit quam explicuit: quippe vir bonus in ultima Britannia Siciliae administrationem et legem Hieronicam valere opinatus est.

emere ultro frumenta: qui ex suis horreis frumenta in hiberna Romanorum deferre poterant, ipsi emere coguntur; et rursus deferre ad Romanos, quia devortia itinerum et vecturae difficultas non permittunt, ut sua frumenta afferant.

ac colludere pretio cogebantur: scriptura librorum *ac ludere* orta ex *ac c̄ludere* (= ac colludere), dum c post *ac* oblitteratur. Colludere pretio coguntur eo quod nonnulli dolo malo pro frumento magnam summam licentur, ad id inducti, ut ceteri idem pretium numerare cogantur. Idem verbis *ludere pretio* significari nequit: *colludere* de tali iuris calumnia recte dicitur, ut lexica docent. Infeliciter autem Puteolanus suum *uendere* intulit, unde inepta sententia oritur, *vendere pecunia* coactos esse: nam hoc est *vendere pretio*, non autem *vendere pretio posito* vel *statuto*, cuius significatus et mirae ellipsis in tota Latinitate nullum exemplum est.

ut civitates proximae hibernis: proximis, ut est in codicibus, assimilandi aberratione ex *proximae* natum esse cetera sententia docet. Nam *proximis hibernis* non potest valere *a proximis hibernis*, sed dativus foret suspensus ex verbo *deferrent*, eversa prorsus sententia. Puteolanus *a proximis* suo arbitrio suppeditavit, sed illae civitates ex vicis suis et agris, non a proximis hibernis, in remota et avia hiberna frumentum deferri iubebantur. Halmius commendavit *pro proximis*, κακοφωνίας nomine suspectum. Vocem *hibernis* Graece interpretare χειμαδίοις, non τοῖς χειμαδίοις, perinde *remota et avia*. Ad rem illustrandam faciunt Ciceronis verba in Verr. lib. III 82: *secuti sunt avariores magistratus —. Instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent.*

donec — lucrosum fieret: eiusmodi vexationibus provinciales a praeside vel eius ministris cogebantur, ut iniqua aestimatione pecuniam pro frumento solverent iusto maiorem.

crosum fieret. Haec primo statim anno comprimendo egre- 20
giam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel tolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coërcere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetemptare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus inritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque *habitae*, ut nulla ante Britanniae nova pars.

2. *vel incuria vel intolerantia* $\Gamma\Delta$, *uel in curia intolerantia* Puteolanus, *uel incuria uel tolerantia* Rhenanus, *tolerantia* etiam apud Rivium. 4. *multus* cod. Ursini, *multus* superscr. *m* Γ: *multũ* Δ, *militum* Rhenanus. 6. *praetemptare* Γ, *praetēptare* Puteolanus. 11. *et tanta* $\Gamma\Delta$ (in Γ adesse *et* testatur Wexius p. 9 annot. *, cui plus fidei quam Maggioranio deesse narranti), *tanta* Rhenanus (non Puteolanus, ut credidit Wexius). *habitae* adiecit editor. 12. *pars illacessita transierit. Sequens* $\Gamma\Delta$ et Puteolanus: correxit Susius, nisi quod *transit* scribi voluit; v. Diurna litt. Ienens. a. 1817 n. 166. In idem incidit Wexius.

Cap. 20. *vel incuria vel tolerantia priorum:* h. e. priores alia negligentia non-animadvertebant, alia non ignari fieri permittebant, aut lucrum facientes aut mutuam dissimulationem mali spectantes. Scriptura *intolerantia* post proximum nomen *incuria* nata est assimilandi errore.

multus in agmine (esse), *laudare modestiam*: *multus* est in agmine qui modo in hac modo in illa agminis parte apparet. Sic c. 37 *frequens ubique Agricola.* Contrarium est *rarus per urbem* XIV 56. Similis est, non eadem, Sallustii locutio Iug. 84: *antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare.* Cf. eiusdem Iug. 45.

ex aequo egerant: ex aequo refertur ad Romanos, horum imperio non subiecti. H. IV 64: *aut ex aequo agetis aut aliis imperabitis.*

et tanta ratione curaque: possunt haec quomodocumque pendere ex proximis *praesidiis castellisque circumdatae*, ut *et* explicandi vim habeat (*und zwar*), sed *curae* nomen potius spectare videtur administrationem novae partis et recens subiectos tractandi modum. Quapropter *habitae* excidisse credo, cuius prior pars a *curaque*, altera ab *ut* hausta est, quod facilius fieri potuit, si in antiquo libro compendio *hitę* expressum erat. Statim Susii medela in loco gravius affecto veram sanitatem peperit; cetera tentamenta prae illa non digna sunt quae memorentur.

Cap. 21. *in bellum faciles:* ex duabus coniecturis a Rhenano communicatis *bello faciles* atque *in*

21 Inlacessita transiit sequens hiems, saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes, eoque in bellum faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa fora, domos extruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga. Paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

1. *saluberrimus* Δ, non Γ. 2. *in bellum* Rhenanus: *in bello* ΓΔ. 3. *hortare* vitium Puteolani. 4. *domos* ΓΔ: Puteolanus *domus*; idem c. 15 recte cum codicibus *domos*. 10. *delinimenta* Puteolanus: *delenimenta* et *delenire* libri Medicei in Annalibus et Historiis.

bellum faciles ego alteram tamquam propius accedentem ad traditam scripturam adoptavi. Nam *in bello* est *in bellū* sive *bellō*, hoc *in bellom* sive *in bellum*. I. A. Bosius praetulit *in bella*.

ut templa fora, domos extruerent: sic distinguendum: nam cum templis et foris operibus publicis ex altera parte componuntur privatorum sumptuosa aedificia (*domus* = Palais; cf. annot. ad I 73). Ceterum ΓΔ recte praebent *domos*, Puteolanus perperam *domus*. Scilicet aedificia, sive magnifica nobilium sive vulgaria ubi denotantur, Tacitus constanter accusativum *domos* dedit. Conf. I 73, IV 14, XIII 54, XV 58. H. I 81 et 85, II 92, III 13 et 33 et 84 et 86, IV 42. G. 46. A. 15 et 38. O. 8. Idem *domus* accusativum posuit ubi de familiis locutus est, ut H. III 41: *sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus — polluere hospitum domus crederetur.*

ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre: h. e. Britannos natura et ingenio plus valere professus est quam Gallos studio et diligentia: *studia* enim et *ingenia* h. l. contraria componuntur. *Anteferre* scripsit devitans solitum *praeferre*, atque illud idem quod *anteferenda existimabat*, ut proximum *erudire* est pro *erudiendos curabat*. Mire Orellius: '*anteferre*] promovere; peritos praeceptores arcessens ac praemia melioribus discipulis constituens incitare, ut in studiis plus praestarent quam Galli'. Huic imposuerat Dübneri annotatio: 'anteferre hic agendi verbum, non iudicandi'.

porticus et balnea: perite etiam balnea inter ea quae Romanis obiectantur Boudiccam referentem inducit Dio Cassius LXII 6: *εἴ γε καὶ ἄνδρας χρὴ καλεῖν ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους.*

cum pars servitutis esset: eiusmodi delenimentis circumventi et illecti servitutem non facile exuere poterant. Hinc Tencteri ad Agrippinenses H. IV 64: *instituta cul-*

Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis 22
usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. Qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse; nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, inritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu

2. *Tanaum* Δ, *Tanaum* ascripto *Taum* in margine interiore Γ, qui in exteriore *Taus sive Tanaus.* 5. *castellis*] *telis* codex Ursini et mg. Γ. 7. *vĩ* Puteolanus. 8. *aut fuga* Δ. *moras eruptionis obsidionis*, v. *eruptionis* punctis subnotato, Γ. 11. *soluti*, litt. *u* puncto subnotata et superscr. *i*, Γ. 13. *avidius* Δ.

tumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.

Cap. 22. *novas gentes aperuit*: nomina earum recensuit in ea parte Historiarum, qua Titi principatum et res tunc gestas amplexus est: nunc ubi vitam Agricolae narrat, ex ipsa rerum copia nonnisi maxime necessaria delegit.

vastatis usque ad Taum — nationibus: *Taus* est *frith of Tay* in Caledonia. Apud Ptolemaeum II 3 5: *Ταούα εἴσχυσις.* Cf. Mannerti Geograph. Graecorum et Romanorum II 2 p. 60. Nimirum Agricola hac aestate longe processit in septentrionem, ita ut ad dextram sive orientalem partem insulae exercitum duceret. Simulatque ad Bodotriam (*frith of Forth*) pervenisset, aut classe militem transvexit (cf. annot. ad c. 25), aut ad sinistram inflexit et sinum illum circumiit, tum ad Taum pervasit. De fluvio *Tweed* in confiniis Scotiae et Angliae alii non bene cogitarunt: is enim non apte potuit appellari *aestuarium.* Verbum *vastatis* a terra ad *nationes* translatum perinde XIV 38, XV 1. H. II 87.

conflictatum: H. III 59: *foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus.* VI 51: *multis aemulis conflictatus est.* Hoc loco *conflictatum* idem significare quod *conflictantem* non recte dixit Walchius.

adnotabant periti: cf. H. II 37 et annot. ad XII 25.

crebrae eruptiones: nam adversus — firmabantur: loqui se de castellis ab hoste hibernum eventum sperante circumsessis, hoc prioribus *nullum fuga — desertum* Tacitus significavit. Ex castellis eruptiones magno animo et saepe Romani milites suscipere poterant, quod fames et inopia ipsis non timenda erat. Transpositionibus fa-

praefecti sociorum

praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Ceterum ex iracundia nihil supererat; secretum et silentium eius non timeres. Honestius putabat offendere quam odisse.

23 Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta; ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota et Bodotria diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur. Quod tum praesidiis firmabatur; atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

24 Quinto expeditionum anno nave prima transgressus igno-

2. *conuiuiis* $\Gamma\Delta$, sed in Γ alterum *u* puncto subnotatum et superscr. *c*. *ut erat comis bonis* $\Gamma\Delta$: *ut erat bonis comis* Puteolanus. 4. *ut silentium* $\Gamma\Delta$: *et sil.* Puteolanus. 6. *percurrerat* $\Gamma\Delta$: *praecurr.* Puteolanus. 7. *gloria* om Δ. 8. *namque* Δ. 11. *sinus sinus tenebatur* (altero *sinus* punctis subnot.) Γ.

cile carebimus. *annuis copiis:* cf. ad c. 25 *mixti copiis et laetitia.*

nec Agricola sqq.: quemadmodum c. 19 provinciam ab Agricola prudenter administratam exposuit, sic iam de cura exercituum et ducis officiis tradidit. *seu centurio*, *seu praefectus:* centuriones intellige legionum, praefectos cohortium socialium; conf. annot. ad XII 35.

secretum et silentium eius — odisse: haec scripsit diversum respiciens ingenium Domitiani, qui eodem anno quo Agricola quartam expeditionem suscepit, imperium adeptus est: nam huius secretum (*Verschlossenheit*) et silentium, h. e. illud quod ex iracundia supererat, praecipue metuendum erat. De voce *secreti* cf. ad c. 39 *secreto suo satiatus.* Rothius et Dronkius *secretum* non vere *secreta colloquia* interpretantur.

Cap. 23. *nam Clota et Bodotria:* Clota nunc *frith of Clyde*, Bodotria *frith of Forth;* illa Hibernico mari miscetur, haec orientem versus ad Edinburgum Oceano illabitur. Cf. Ptolemaeus II 3 §. 1: *Κλῶτα εἴσχυσις*, §. 5: *Βοδερία εἴσχυσις*. Bodotriam iam priore expeditione Agricola offendere debuit, ut monitum est ad c. 22, ad Clotam nunc demum occidentem versus pervenit.

angusto terrarum spatio dirimuntur: id spatium nunc intercisum est opere egregio, lato et profundo canali, quo vel longae naves ad utrumque mare commeare ac vitare incerta septentrionalis Oceani possunt.

omnis propior sinus: dicit terrae sinum cis Clotam et Bodotriam, ut liquet ex proximis *summotis velut in aliam insulam* (trans Clotam et Bodotriam septentrionem versus) *hostibus.* Cf. annot. ad G. 1.

Cap. 24. *nave prima transgres-*

tas ad id tempus gentes crebris simul ad prosperis proeliis domuit; eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis in vicem usibus miscuerit.

Spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt: melius

3. *in formidinem* Δ. 9. *differunt. melius aditus* Rhenanus in contextu (in Castigat. *eius* pro *melius*): Δ *differt In melius aditus*, Puteolanus *differt. in melius aditus*, et aut sic aut ut Δ haud dubie etiam Γ, *differunt in melius. aditus* Muretus.

sus: h. e. in navium agmine Clotam traiicientium primus ipse legatus fuit. Clotam tum transmissam esse, non Bodotriam, monstrant subsequentia *eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit*, tum quae c. 25 narrantur. Nonnulli neque temporum illorum rationes neque locorum spatia recogitantes hariolati sunt, Agricolam hiberno tempore in urbe degisse, veris autem initio *nave prima* in provinciam transgressum esse.

medio inter Britanniam atque Hispaniam sita: de falsa hac opinione cf. ad c. 10. *Valentissima imperii pars* est Britannia et Gallia, tum duae Germaniae atque Hispania, quod ex his terris fortissimi milites in cohortes et legiones asciscebantur et maximi exercitus ibi degebant. Conf. H. II 6: *validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta*; H. III 53: *suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas.* Agr. 12 de Britannis: *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt.*

haud multum a Britannia differunt: melius aditus — cogniti: haec verba varie vexata atque etiam a me olim tentata, cum post *differunt* excidisse nonnulla statui, explicatione iam tuebor. Scilicet solum Hiberniae caelumque et ingenia cultusque *parum cognita* esse narrator verbis significavit *haud multum a Britannia differunt*, quae indefinita sunt et generatim posita, ut in re non satis explorata. Apte igitur pergit *melius aditus — cogniti* sunt. Scripturam vero loci *differunt* pro *differt.in* Rhenanus haud dubie feliciter restituit: *in* enim ex *differunt* sive *differūt* resedit, ac verbi numerus multitudinis necessario requiritur, quod addito genitivo *hominum* tam *ingenia* quam *cultus* artius cum verbo *differunt* iuncta sunt. Rursus lectiones et *differunt in melius* et *differt. Melius — cogniti* admitti nequeunt: quippe solum caelumque, ingenia cultusque hominum in Hibernia paulo melius illa aetate se habuisse quam in Britannia Tacitus certe non erat narraturus. Aditus autem Hiberniae tunc melius cognitos fuisse quam Britannicos, id vero omnem fidem excedit. Enuntiati formam *differunt: melius* in ipso libro Γ esse Dronkius opinatur,

aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse; idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

25 Ceterum aestate qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus univer-

1. *per*] *et Δ*. 8. *cohabat Δ*: *Γ incohabat.* 9. *amplas* vitium Puteolani.

propterea quod Maggioranius ad haec verba typis expressa in exemplari suo nihil annotaverit: sed silentium et plerumque infidum testimonium est et nunc iure addubitatur propter varietates libri Δ et Puteolani.

Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis — retinebat: eadem occasione usus Britanniam aggressus erat Claudius imperator, qui Bericum seditione domestica pulsum exceperat: Dio LX 19.

saepe ex eo audivi: pronomen *eo* nonnisi ad Agricolam iuste referri potest, de quo proxime (*exceperat — retinebat*) tradidit narrator. Quod *una legione et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse* Agricola dixit, id fecit instructus nuntiis a regulo illo aliisque acceptis. Mire Orellius: 'nec vero Agricola, qui nunquam Hiberniam intrarat, hoc ita temere effutire poterat'. Quippe sequitur cum Dronkio et Doederlinio Passovium, qui suo arbitrio statuit Tacitum in Britanniam transgressum esse, ut ibi regulum Hiberniae haec proferentem audierit. Sed silentium auctoris tali in re certissima fides est eum nunquam in Britannia fuisse. Sed hoc etiamsi in medio relinquamus, tamen sermonis ratio impedit, quo minus *ex eo* de regulo dictum esse concedamus. Tacitus haec Romae audivit ex ore soceri, postquam is a. 85 = 838 ex Britannia revocatus est. Conf. 4: *memoria teneo solitum ipsum narrare.* Tacitus cum Agricola in urbe versatus est usque ad annum 90 = 843. Cf. Prooemii nostri c. 6.

Cap. 25. *amplexus civitates trans Bodotriam sitas:* nonnullas earum civitatum Agricola tertio expeditionum anno *percurrerat* et usque ad Taum progressus erat (c. 22). In quarta expeditione ad utrumque latus insulae non amplius processit quam ad Bodotriam et Clotam, et angustum terrae spatium his interiectum praesidiis immunivit (23), summotis hostibus velut in aliam insulam. Proxima aestate qua quintum officii annum inchoavit, Clotam transgressus in parte insulae quae Hiberniam aspicit novas gentes domuit (24). Idem hac sexta expeditione suscepta in locis trans Bodotriam sitis in diversa parte insulae (orientem versus) facturus est. *Amplexus* non est *animo amplexus*, sed exercitu et castellis; c. 17: *magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello.*

sarum ultra gentium et infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit; quae ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur, egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, [oppugnasse ultro] castella adorti metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius quam pelle-

1. *hostili exercitu* tacite Rhenanus: *hostilis exercitus ΓΔ* et cod. Ursini. *timebant Δ*, *timebāt˜ π* 2. 4. *impellitur ΓΔ*: correxit Rhenanus (non Puteolanus, ut refert Wexius p. 11). 7. *ac montium ΓΔ*: *et montium* Puteolanus. 8. *victus ΓΔ*: Puteolanus *auctus*. 12. *Calidoniam Γ* et Puteolanus: *Caledoniam* codex Ursini. 13. *oppugnare* cod. Ursini. glossam *oppugnasse ultro* seclusit editor. *castella* superscr. *um Γ*, *castellum* cod. Ursini. 14. *adorsi* cod. Ursini.

infesta hostili exercitu itinera: vulgare codicum vitium *hostilis exercitus* hinc natum, quod scriptor librarius ea verba cum proximo nomine (*itinera*) imperite iunxit. *Infesta hostilis exercitus itinera*, h. e. hostem infesto animo et exercitu obviam euntem, neque Agricola neque milites Romani timebant, sed timebant itinera insidiis obsessa.

primum adsumpta in partem virium: *in partem virium* idem quod *ut pars virium esset*, praepositione cum accusativo consilium vel finem denotante. Nimirum Agricola naves non solum remigibus (ἐρέταις) instruxit, sed simul *propugnatores* (ἐπιβάτας) ex legionibus aut sociis imposuit. Cf. c. 38: *praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. Datae ad id vires.*

mixti copiis et laetitia: ad accipienda cibaria (*copias*) saepe in isdem castris varia militum genera iungebantur, aliquando ob laetitiam sese visebant. *Copiae* eodem significatu c. 22, item I 68, III 54, XV 16. H. II 32, III 15 et 20 et 60, IV 22.

maiore fama, uti mos est de ignotis, [oppugnasse ultro] : verba *oppugnasse ultro*, neque suo loco posita neque ad sententiam necessaria, ex glossa ad marginem ascripta adversum *maiore fama* nata mihi videntur. Scilicet in antiquo illo codice in fine versus collocata erant *uti mos est de ignotis;* continuo glossa coeperat marginalis, ideoque cum ceteris mixta loco non apto nunc comparet. Ad sententiam haec prorsus supervacanea sunt: nimirum quidquid continent, idem melius et plenius

rentur, ignavi specie prudentium admonebant, cum interim cognoscit hostes pluribus agminibus inrupturos. Ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et
26 ipse in tres partes exercitu incessit. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem ut maxime invalidam nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus inrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adici clamorem. Et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis redit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere; et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse

1. *ignavi specie prudentium* ΓΔ: Puteolanus *specie ignaui prudentium.* 2. *irruptoros* (prius *o* subnotatum et superscr. *v*) Γ. *irrupturos ac* Δ sine interpunct. 7. *caesas* vitium Puteolani. *irrumpere* Γ. *pugnabatur* Γ: *pugnabant* Δ et Puteolanus. 13. *erupere* ΓΔ: Puteolanus *irrupere.* 15. *ut tulisse* Puteolanus: ΓΔ *intulisse.*

inest illis *castella adorti metum ut provocantes addiderant.* Id ipsum certissimum glossae argumentum est. Quae Rhenanus correcturus erat, *oppugnare ultro castella adorti*, Taciti stilo male conveniunt. Doederlinius illaturus erat nescio quam exclamationem paventium, adhibita verborum transpositione in hunc modum: *maiore fama, uti mos est de ignotis, castella adorti metum ut provocantes addiderant; oppugnasse ultro! regrediendumque — admonebant.*

Cap. 26. *nonam legionem, ut maxime invalidam:* conf. XIV 32: *Petilio Ceriali legato legionis nonae in subsidium adventanti obvius* (hostis Britannus) *fudit legionem, et quod peditum, interfecit: Cerialis cum equitibus evasit in castra;* c. 38: *auxitque copias Caesar* (Nero) *missis ex Germania duobus legionariorum milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus. Quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt.* Suppleti erant, sed nondum ad iustum numerum legionis aucti, ut ex hoc Agricolae loco patet.

securi pro salute de gloria certabant: conf. IV 58: *pro me securior.* Aliter XVI 2: *securi de facilitate credentis.*

ultro quin etiam erupere: erupere ut fugientes persequerentur. Huic contrarium *et fuit — proelium*, ubi *et* valet *etiam.* In portarum angustiis milites ab Agricola adducti hostem exceperunt.

his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur: pro *ut* Vaticani habent *in* proximo verbo iunctum, quippe utrumque tribus ductibus similibus tam in antiqua quam in recentiore scriptura exaratur. Ro-

auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Cuius conscientia ac fama 27 ferox exercitus nihil virtuti suae invium et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant. Atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum condilio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis superati, nihil ex adrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent, coniuges ac libe-

1. *rexissent Δ.* 2. *consciia Γ, conscientia Δ: constantia* Puteolanus. 3. *et penetr. ΓΔ: penetr.* Puteolani vitium. 5. *proelium* Puteolanus. 8. *uni*] *cum* vitium Puteolani. 9. *superati*] codices *rati,* Gruterus *strati* vel *superati. non ut virtute — superati* Lipsius.

thius et Doederlinius *intulisse* tenuerunt atque vim particulae *ut* ex sequente *ne* supplendam praecipiunt. Sed tantum abest ut haec ex sequenti *ne* sumi possit, ut ob id ipsum in affirmante enuntiato *ut* requiratur. Neque adhuc inventus est qui *inferre opem* scripserit.

Cap. 27. *iniquissima haec — imputantur:* Sallustius Iug. 53: *in victoria vel ignavis gloriari licet: adversae res etiam bonos detrectant.*

non virtute, sed occasione et arte ducis superati: haec verba ex ore narrantis posita, non ad mentem Britannorum dicta, declarant cur Britanni animum non desponderent, sed de integro hostilia coeptarent. In libris scriptis *rati* corruptum est, dum *superati* per compendium effertur *s̄rati* et *s* post verbum *fusos* absorbetur. Ablativus *virtute* (*an Tapferkeit*) non est simpliciter instrumentalis, ut sequentis *occasione et arte ducis,* sed comparationis notionem continet, quod ut indicarem comma posui post *virtute.* Lipsii ratio a Gruteriana ita differt, ut haec ad mentem Britannorum proferantur. Hinc Lipsius particulam *ut* ante *virtute* inserendam censuit. Alii haec tentarunt: Ernestius *arte vicisse* (Romanos) *rati;* Walchius *non virtute se, sed — ducis elusos rati;* Halmius *arte succubuisse rati;* ego olim *fusos rati.*

irritatis utrimque animis discessum: Agricola militem in hiberna reduxit trans praesidia inter Clotam et Bodotriam immunita.

Cap. 28. *per Germanias conscripta:* Germaniam cogita superiorem et inferiorem. Cf. annot. ad H. IV 17. Itaque Usipii ex regione sua transrhenana in laevam ripam venerant, stipendia in cohorte sociali merituri.

uno remigante — praevehebantur: ut Puteolanus c. 10 pro *remigantibus* typis excripsit *remigrantibus*, ita nunc quoque *r* de suo imprudenter immiscuit, inductus Italorum ad *r* inclinantium pronuntiatione. Certe falsum esse *remigrante* inde liquet, quod nemo Latinus *remigrare* posuit pro *refugere* vel *elabi* vel *clam se subducere*, neque rursus cogitari iure potest remigrandi veniam tertio gubernatori ab Usipiis ultro obla-

ros in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrimque animis discessum.

28 Eadem aestate cohors Usipiorum per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur.

2. *ciuitatium Δ*. 5. *et in ΓΔ*: *in* Puteolanus. 7. *immixtis ΓΔ*: correxit Puteolanus. 9. *remigante ΓΔ*: *remigrante* Puteolanus. 10. *pracvehebantur Γ* ascripto in margine *prebe. Al.*, *provehebantur Δ* et Puteolanus. -

tam esse. Immo tertius ille promptus ad obediendum cum ceteris militibus ad *remos* incubuit, idque eum fecisse interfectis duobus Tacitus ideo rettulit, ut appareat cur *nondum vulgato rumore praevehi* Germani potuerint. Cur Tacitus gubernaculi mentionem omiserit, otiosis quaerere licet. Mihi hoc respondisse satis est, illum tradere voluisse quomodo Germani quam celerrime ex Romanorum oculis et potestate se subduxerint. Praevecti autem sunt ex parte occidentis circa Caledoniae cuneum ad orientem in Oceanum Germanicum, ut tradit Dio LXVI 20: *στρατιῶται γάρ τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον. καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε, καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα, πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσχόντες.* Castra *in diversa insulae* parte (*θάτερα τὰ στρατόπεδα*) ea fuere, in quibus exercitus Agricolae amplexi hac aestate civitates trans Bodotriam sitas ad litus orientale agebat. Hinc colligitur cohortem Usipiorum ex iis copiis aufugisse, quibus Agricola Britanniae partem quae Hiberniam aspicit anno ante instruxerat (c. 24). Diversam explicationem Doederlinius his verbis protulit: ʻ*τὰ πρὸς ἑσπέραν* intelligenda meridionalis Britanniae pars longius in occidentem procurrens, quae hodie *Cornwall.* Ergo fuerunt hi Usipii, ut monuit Broterius, ex illis *copiis quibus Agricola eam partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit instruxerat.* Hinc fugientes ac patriam petentes primum meridiem versus, deinde superata Cornuvia circumvecti in orientem flexerunt, donec per fretum Gallicum in Germaniam pervenerunt. Sed suam, ut videtur, casu vel inscitia, praetervecti patriam ad Suevorum trans Albim colentium litus appulerunt vel amissis navibus adnaverunt'. Est manifesta et gravis aberratio, neque Dionis verba et Taciti cum ea explicatione conciliari possunt, immo aperte adversantur. Nimirum Dio tradit Britanniam a Germanis circumvectam et hinc pro insula haberi coeptam esse: verum meridionalia Britanniae iam diu circumnavigata et aditus Hiberniae inventi erant. Accedit quod Usipii hac maris via acti aut ad Galli-

Mox ob aquam atque utensilia separati, cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere quos per commercia venundatos, et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casus inlustravit.

Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus, anno 29
ante natum filium amisit. Quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata

1. *ob aquam atque utensilia separati, cum* editor: *ad aquam atque ut illa raptis secum ΓΔ*, *hac atque illa rapti, et cum plerisque* tacite Rhenanus. 2. '*ut sua* puto' Pomponius Laetus in mg. *Γ*. 4. *atque circumuecti Γ*: *atque ita circunuecti* Puteolanus. 6. *primo dum a Δ*. 11. *nec — nec Δ*. 14. *praedatam Γ*.

cam ripam aut ad Belgarum litora delati essent, ad Suevos et Albim nullo modo pervenire potuissent.

mox ob aquam atque utensilia separati: ex codicum vestigiis *raptis se-cum*, quae me iudice in pravum elapsa sunt, rectius ordinatis fit *separati*, *cum* cet. Hoc verum esse ex verbis subsequentibus perspicitur alioqui plane obscuris, dico *primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt*. Scilicet pars separatae cohortis in ostia Albis fluvii, pars in Amisiam acta est. Illi a Suevis, hi a Frisiis intercepti sunt. Pro *ad* scripsi *ob*; illud substitutum esse credo, postquam *raptis* pro *separati* in verborum contextum invasit. Aquam accipe qua sistitur sitis, ex Britanniae rivis petendam. Praeterea ex *ut illa* elicio *utĕil!a*, hinc *utensilia*, h. e. *cibaria* ad sedandam famem, de quo vocabulo v. ad I 70 et III 52. Bezzenberger tentavit *ad aquam atque utilia dilapsi et cum*, Heinischius *ad aquam atque utilia raptum ire*, *et cum*, Doederlinius *mox ad aquam egressi atque vi alia raptantes cum plerisque* cet.

sorte ductos vescerentur: antique accusativum iunxit cum verbo vesci, non sextum casum, ne duo ablativi *sorte ductis* ingrate et moleste concurrerent.

Cap. 29. *ut plerique fortium virorum*: fortes viri h. l. sunt militares et fortitudinis memores. Eorum bona pars (*plerique*) casus humanos ita ferre solent, ut patientiae et constantiae honorem quaerant.

expedito exercitu: copiae et impedimenta classe vehebantur, unde exercitus tamquam ad proelium proficisci potuit. Cf. G. 30. H. II 40.

magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem iam hostis insederat. Nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello ac sua quisque decora gestantes, cum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur.

30 'Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. Nam et uni-

3. *Graupium Δ*, *Graupiam* (*a* subnot. et superscr. *u*) *Γ*: *Grampium* Puteolanus. *hostis insederat ΓΔ*: *hostes insederat π* 1, *hostes insederàt π* 2. 5. *commune periculum Δ* et Puteolanus: *periculum commune Γ*. 7. *ciuitatium Δ*. 9. *virēs* mg. *Γ*. *ac sua ΓΔ*: Puteolanus *et sua*. 11. *contracta* Puteolanus. 13. *quoties ΓΔ*: *quotiens* Puteolanus. *intuero Δ*. 14. *consensusque vostrum Δ*. 15. *toti Britanniae Δ*.

ad montem Grampium: est iugum montium quo Caledonia fere media dirimitur, nunc *Grampian*, olim *Grantzbain* appellatum.

cruda ac viridis senectus: ut cruda senectus maturae, sic viridis flavescenti opponitur. Virgilius Aen. VI 404: *iam senior* (Charon), *sed cruda deo viridisque senecta.* Graece est *ὠμογέρων, ὁ μήπω πέπων*, Homer. Il. ψ 791.

sua quisque decora gestantes: hostium oculis compti et magnum diem egregia specie celebraturi advenerant. Barbarorum *decora* aut arma prae ceteris ornata aut de hoste rapta videntur esse: nam aut avita ob generis nobilitatem aut tributa ob virtutem in Caledoniis ut statuamus, iusta causa non adest.

locutus fertur: apposite scripsit *locutus fertur*, non *locutus est*, admonendo legentes orationem esse a sese compositam et rerum conditioni accommodatam. Prima est oratio, quam historico operi intextam cum aequalibus Tacitus communicavit. Alias in iudiciis habuerat, alias Historiarum libris inseruerat, sed hac nondum evulgatae erant.

Cap. 30. *causas belli et necessitatem nostram:* belli causae sunt depellendae servitutis a finibus Caledoniae studium, *necessitas* pugnantium ex infestiore Romanorum progressu, eorum avaritia et gloriae cupidine. De utrisque statim exponere coepit. *Magnus animus* antiqua simplicitate pro *magna animi spes.*

versi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniae patet. [Atque omne ignotum pro magnifico est.] Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris.

6. *navibus Δ*: *Γ manibus.* 8. *contractu* vitium Puteolani in omnium Taciti operum editione. 11. glossam *atque — est* seclusit editor. 12. *infestiores ΓΔ*: Puteolanus *inferiores.* 13. *ac mod. ΓΔ*: Puteolanus *et mod.*

et nullae ultra terrae: 'scilicet securae sunt. Quare comma post *terrae* sustuli'. Dorderlinius. Cave imiteris. Componuntur terrae et mare: terrae ultra Caledoniam nullae sunt, mare est, sed haud securum. Cf. 10: *septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur.*

priores pugnae — spem ac subsidium in nostris manibus habebant: ad *pugnas* ut transferri posset quod de pugnantibus proprie dicitur, effecit interpositum illud *quibus — certatum est:* nam haec idem quod *quibus adversus Romanos varia fortuna Britanni certaverunt.*

eoque in ipsis penetralibus siti: hoc scripsit Tacitus recordatus Caesaris verba B. G. V 12: *Britanniae pars interior ab iis incolitur quos natos in insula ipsa memoriae proditum dicunt, maritima pars ab iis qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgis transierant.*

nec servientium litora aspicientes: conf. 10: *Gallis in meridiem etiam inspicitur.* Cantii habitatores eo quod Gallorum et Belgarum litora aspiciunt, oculos contactu dominationis infecerunt.

sinus famae: famam cogitavit tamquam deam sinu suo Caledonios tegentem (*Schoſs der Fama*) eoque in maius celebrantem hostesque absterrentem. Cf. H. I 52: *panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret.* Obscura loquentem Tacitum faciunt, qui *famae* pro dativo habent.

atque omne ignotum pro magnifico est: in libro antiquo unde nostri codices deducti una in linea haec verba iuncta fuisse cogita: *recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet*, ut *nunc terminus Britanniae patet* in extremo versu essent. Iam in margine glossa adiecta est *atque omne ignotum pro magnifico est* ad explicanda verba *recessus ipse ac sinus famae defendit*, a proximo

Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi; quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi
31 solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus alibi servituri auferuntur: coniuges sororesque etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum. Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur:

1. *defuere: terram et mare* ΓΔ: emendavit Rhenanus. 8. *ĕt si* ΓΔ: *etsi* Puteolanus. 10. *fortunaeque — annus* Seyffertus in programmate Crucinac. a. 1845: *fortunae quae* (mg. Γ *q;*, h. e. *que*) *in tributum aggerat annus* ΓΔ. *fortunasque — egerunt, in annonam* Rhenanus. 11. *emuniendis inter uerbera* ΓΔ: Puteolanus *uerbera emuniendis inter*.

scriba cum ceteris continuata. Nam glossam esse ex loco quam maxime inepto perspicitur. Nimirum verba *nunc terminus Britanniae patet*, et quae sequuntur, *sed nulla iam ultra gens*, artissime inter se cohaerent et immissis alienis male divelluntur. Accedit quod verba suspecta nihil addunt, quod non melius et exquisitius in ceteris insit, et particula *atque* sinistre adhibita scribentis infantiam arguit. Broterius Maurum lavare aggressus est, dum male sarta in hunc modum licenter disponere conatur: *nos — defendit: atque omne ignotum pro magnifico est: sed nunc terminus Britanniae patet: nulla iam ultra gens* cet. Assensus est unus Doederlinius pronus ad transponendum.

raptores orbis cet.: crimina similia et nimis iusta habet epistola Mithridatis ad Arsacem in fragmentis Historiarum Sallustii libro IV, eiusdem ad milites contio apud Iustinum XXXVIII 4—7.

Cap. 31. Pergit orator arrogantiam Romanorum et libidinem atque avaritiam depingere, cui iungit adhortationem ut tandem sumpto animo iugum odiosum exuere velint.

bona fortunaeque in tributum, ager et annus in frumentum: locum diu corrupte habitum et varie tentatum egregie sanavit Seyffertus, corruptae lectionis vestigia caute et prudenter legendo. Notio verbi *abit* ipsis praepositionibus et accusativo nominum in animo legentis excitatur. *Ager et annus* est *annuus proventus agri.* Sic G. 14: *nec arare terram et expectare annum tam facile persuaseris.* Frumentum cogita non *decumanum*, sed *in cellam* sive *aestimatum.* Britannos enim stipendium sive tributum solvisse,

Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Trinobantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et libertatem non in paenitentiam laturi, primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit. An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace 32
lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res

2. *etiam conseruis Γ*: *conseruis Δ*, *et conseruis* Puteolanus. 4. *arma* vitium Puteolani. 9. *Trinobantes* Camdenus: codices *Brigantes*. 10. *et expugnare Δ*. 11. *secord.* Puteol. 12. *et in libertatem Δ* et Puteol., non *Γ*. *in poenitentiam ΓΔ*: *in praesentiam* Puteolanus, *in praesentia* Acidalius. 13. *ostendamus ΓΔ*: *unde ostendamus* vitium Puteolani. 15. *dissensionibus ΓΔ* et cod. Ursini: Puteolanus *discessionibus*. 17. *contactum Δ*.

non decumas dedisse, etiam haec verba commonstrant. Conf. ad c. 19 et 12.

neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt: haec de Caledonia dicta sunt, non etiam de cetera Britannia.

Trinobantes — expugnare castra: vere Camdenus *Trinobantes* substituit pro *Brigantibus* in codicibus prave positis. Nam sermo est de seditione adversus Suetonium Paulinum exorta et ab hoc compressa sub Neronis principatu, de qua c. 15 et praecipue XIV 31 sqq. Nam Iceni et Trinobantes, non Brigantes, coloniam Camulodunum incendere, castra expugnare ausi et mox in antiquam patientiam restituti sunt cum ceteris belli sociis. Verum Brigantes non a Suetonio Paulino neque sub principatu Neronis subiecti sunt, sed demum a Petilio Ceriale imperante Vespasiano (lege cap. 17) domiti et ceterae provinciae additi sunt. Quapropter non recte faciunt qui suspicantur Brigantas significari verbis Taciti XIV 31 *commotis ad rebellationem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem — pepigerant*. Nimirum Brigantes tunc ex aequo agentes et liberi a dominatione Romanorum *resumere libertatem* non poterant, et Suetonius rebellionis socios omnes redegit in potestatem, sed idem Brigantas non subiecerat, sed hoc Ceriali reservatum est. Ne quid praeteream, etiam hoc monendum

tenent, ita adversae dissolvent. Nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et adfectu teneri putatis. Metus ac terror est, infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt. Nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria, aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos di nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis. Vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste im-

3. *commendent ΓΔ*: correxit Puteolanus. *tamen seruos (seruos punctis subnotatum) hostes quam seruos Γ, tamen hostes seruos* Puteolanus. 4. *ac terror ΓΔ*: *et t.* Puteolanus. 5. *vincla Γ*: *vincula* Puteolanus. *qua ubi* vitium Puteolani. 7. *accēdunt Γ*: Puteolanus *accedunt*. 8. *exprobaturi* vitium Puteolani. 9. *numero circum trepidos ΓΔ* (*circum* praeceptum ex *circumspectantes*): emendavit Heumannus. 10. *siluis Δ*. 11. *uinctos dii ΓΔ*: *uictos alii* Puteolanus. 12. *nec — nec Δ*. 14. *recordabunt̃ Γ*: Puteolanus *recordabunt*. 16. *relinquerunt* vitium editionis Venetae a. 1497, non ipsius Puteolani. *nequaquam Δ*. 17. *senium Δ*.

videtur, ne quis ex Taciti verbis XII 32 (*et Brigantes quidem, paucis qui arma coeptabant interfectis, in reliquos data venia, residere*) colligat hos sub Claudio principe ad Romanam provinciam accessisse: nam haec verba respiciunt populum liberum et a Romanis lacessendis modica ultione absterritum.

in paenitentiam: h. e. ut nos paeniteat, ut olim paenituit Icenos et Trinobantes acriori servitio redditos.

Cap. 32. Sub finem orationis demonstrare conatur Romanos non tam horrendos esse hostes, quam a multis existimentur. Subiectorum vitiis et viribus valere, sed horum fidem iam labare. Victoriae incitamenta pro Britannis esse, nulla in parte Romanorum.

metus ac terror: metus (*Angst*) subiectorum, terror (*Einschüchterung*) Romanorum, quem illi incutiunt populis subactis.

senum coloniae: numerus multitudinis generatim et indefinite rem denotat, ut c. 5: *trucidati veterani, incensae coloniae.* In Britannia enim una colonia Camulodunum deducta. Conf. annot. ad c. 14.

inter male parentes et iniuste

perantes aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate'.

Excepere orationem alacres, utque barbaris moris, cantu 33
fremituque et clamoribus dissonis. Iamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu: simul instruebatur acies, cum Agricola, quamquam laetum et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit. 'Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis pae-

1. *tetra mancipia Al'* mg. Γ. *erga* Puteolani vitium. 3. *perferre* ΓΔ: *proferre* Puteolanus. 6. *utque barbaris moris* editor: *ut barbaris moris* ΓΔ,. *et barbari moris* Puteolanus. *cantu fremituque* ΓΔ: *cantu fremitu* vitium Puteolani. 8. *instruebatur* ΓΔ (ex Γ Maggioranius perperam attulit *instruebantur*): *instruebantur* Puteolanus, *institue. Al'* mg. Γ. 9. *munimentis* Δ et cod. Ursini et mg. Γ ascripto *Al'*: *monitis* Γ in contextu et Puteolanus. 10. *militum* (*u* subnotatum et superscr. *e*) Γ. *militem accendendum adhuc ratus* ΓΔ et cod. Ursini: *militem adhuc ratus* Puteolanus, *militem adhuc adhortatus* Grotius, *militem adhortatus* Ernestius.

imperantes aegra municipia et discordantia: in Britannicae provinciae solo nonnullae civitates erant quibus sua res publica et magistratus concessa. Quae olim civitates *immunes ac liberae*, temporibus Caesarum *municipia* vocabantur, eodem iure quo coloniae praeditae, suo cum senatu sive curialibus et duumviris iuri dicundo. Eiusmodi civitates in Britannia *Londinium* fuit et *Verulamium:* XIV 33. Haec appellantur *aegra et discordantia*, quod partes insunt aegris animis imperia senatus et magistratuum accipientes, quippe qui iniuste imperent. Alio significatu Tacitus XI 23 dixit *aegram Italiam*, h. e. *invalidam*, sed magis huic loco cognatum quod scriptum legimus H. II 86: *movere et quatere quidquid usquam aegrum foret, adgrediuntur.*

Cap. 33. *utque barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis:* quod legitur in codicibus *ut barbaris moris*, id nonnisi ad proxime praegressum *excepere orationem alacres* referri potest, quo existit haec sententia, a barbaris ducis orationem solere alacriter excipi. Sed id ipsum falsum est: nam barbari pro vario rerum statu suasorem belli modo alacres, modo tristes audiunt. Sed iidem alacritatem suam cantu fremituque et clamoribus dissonis solent indicare atque hoc Tacitus nunc significare voluit. Itaque verba *ut bar-*

nituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: 'quando dabitur hostis, quando acies?' Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. Namque ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus

4. *saepe* om Puteolanus. 5. *uoces ΓΔ*: *uoce* Puteolanus. 6. *acies*] *animus* Puteolanus. 8. *namque ΓΔ*: *nam* Puteolanus et vulgo. *superesse* vitium Puteolani. 10. *ita ΓΔ*: Puteolanus *item*. 11. *decorum* (*de* subnotatum et superscr. *lo*) Γ.

baris moris ad sequentia pertinent, sed hoc fieri nequit, nisi legamus *utque*, quod me iudice in antiquissimo libro per compendium expressum (*utq;*) a proximo scriba *ut* redditum est. Ipsum *utque* est pro *atque*, *ut*, venia apud Tacitum usitata. Cf. annot. ad O. 34. Genitivus *moris* pro *in more* vel *mos*; v. annot. ad c. 39.

octavus annus est: numerare Agricolam a consulatu suo a. 830 kal. Iul. — kal. Sept. gesto, non ab adventu a. 831, Walchio auctore Orellius dicit. Mira computatio, quasi consul in urbe fide atque opera militum Britanniam vincere aggressus sit. Immo numerat ab anno adventus sui, sed cum advenit, *media* aestas transvecta erat: nunc cum loquitur, *exacta* aestas erat (c. 38 sub finem): vere igitur octavo legationis anno, septima tamen expeditionum aestate militem cohortatus est.

virtute et auspiciis imperii Romani: Agricola ipse si talem orationem habuit, dicere debuit *virtute et auspiciis imperatoris*, h. e. principis Domitiani, cuius auspiciis rem gerebat legatus Agricola. Conf. XIV 26: *orditurque magnifica de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis*, ubi v. annot., item ad II 18. Sed ille imperator cum immanis dominus et iam non in vivis esset, cum Tacitus haec scripsit, is decorum quaerens *imperium Romanum* posuit pro imperatore Romano.

vota virtusque in aperto: cf. annot. ad c. 1. *vota* dicit quod quisque vovit sive optavit (*Wünsche*). *omniaque prona victoribus*: H. III 64: *omnia prona victoribus*. *in frontem:* h. e. amplius progredientibus.

eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit in ipso terrarum
ac naturae fine cecidisse. Si novae gentes atque ignota 34
acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt quos proximo anno unam legionem furto noctis adgressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi, et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram

4. *hi* Δ: *ii* Γ et Puteolanus. 6. *hi* ΓΔ: *ii* Puteolanus. 8. *quoque* Γ, in margine Pomponius Laetus '*quodque* puto.' *contra ruere* ΓΔ: *ruere* omisso *contra* Puteolanus, *robore* tacite Rhenanus. 9. *pellebantur* Δ. 11. *quos quod tandem*] '*quod tamdiu non inuenistis restiterunt* sic legendum puto' mg. Γ. *restituerunt* Δ, non Γ. 12. *nouissimi, et* in contextu Rhenanus: *nouissime res et* Γ, *nouissimae res et* Δ, *nouissime id et* Puteolanus.

Cap. 34. In capite priore dux fortitudinem Romani militis et res egregie gestas laudavit, iam hostem non esse metuendum declarat.

quomodo — contra ruere: structuram explicavi in annotatione ad verba Germaniae c. 7 *unde feminarum ululatus.* Scilicet *contra ruere* neque infinitivus est historicus neque esse potest, ut praeter alios Orellius putavit; neque pronuntiare licet *ruêre,* ut Sellingius voluit, sed est pro *contra ruere solet* et notio verbi *solet* petenda ex proximo *pelluntur,* quod valet *pelli solent.* Infinitivus autem in protasi conceditur, quod paulo post ad legitimam structuram (*pelluntur*) reditur, de quo dictum ad II 31. Olim ego Rhenani coniecturam *robore* pro *contra ruere* tueri tentabam, sed ea ipsa ex vitio Puteolani ducit originem. Comparavit Doederlinius Homeri Il. φ 573: ἠΰτε πόρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον, οὐδέ τι θυμῷ ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὑλαγμὸν ἀκούσῃ.

deprehensi sunt novissimi, et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis: deprehensi sunt novissimi latebris suis extrusi, postquam longa ceterum series usque in extremum Caledoniae angulum iustis proeliis cecidit aut domita est: *novissimi* enim in agmine aut ordine extremi. Hoc ipsum (*nouissimi*) a Rhenano in contextu operis positum est, credo cum correxit plagulas ex prelo madentes, postquam in Castigationibus scripsit 'tu repone *novissime, id est extremo metu*'. Vocabulum *res,* a codicibus insertum ante *et extremo,* ex proxime superiore *res-titerunt* repetitum est. Hinc Puteolanus fecit *id,* Pichena *ideo,* ob id laudatus a Walchio. Iam narrator variationi studens mittit sub-

et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem; adprobate rei publicae nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi'.

35 Et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus adfunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat, ita ut primum agmen in aequo, ceteri per acclive iugum

3. *imputare ΓΔ*: correxit Puteolanus. 5. *milium ΓΔ*: *milia* Puteolanus. 11. *bellandi Γ* et Puteolanus: *bellanti* Rhenanus, etiam *Δ* Dronkio referente. 12. *constiterant* vitium Puteolani. 13. *agmine quo ΓΔ, agmen aequo* tacite Rhenanus: *agmine in aequo* I. Bekker.

iectum et novum infert *extremo metu corpora*, h. e. *corpora extremo metu correpta* (*Leiber in äufserster Angst*), quo significavit stuporem Britannorum iusto consilio et animi ratione carentium et caeco instinctu agentium. Aliter *corpora* posuit H. II 11: *speculatorum lecta corpora.* Nomen *aciem* in contextu omisit Rhenanus, sed operarum vitio, ut colligo ex verbis eius in Castigationibus: 'sequitur *defixere aciem*, non dixit *constituere sive direxere*, sed *defixere*, quod stupidis prae metu conuenit'. Orellius Dronkium et Rothium secutus dedit *deprehensi sunt; novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem*, Doederlinius *deprehensi sunt; novissime, id est extremo metu, corpora defixere aciem.*

transigite cum expeditionibus: cf. G. 19: *cum spe votoque uxoris semel transigitur.* *quinquaginta annis:* bellum coeptum a. 796 = 43. Cf. Dio LX 19 et annotatio ad Tacit. XII 36. Inde usque ad a. 837 quadraginta duo anni colliguntur (non quinquaginta duo, ut dicit Doederlinius), sed orator numero rotundo usus est.

Cap. 35. *quae octo milia erant:* codicum forma *octo milium* aut ex nota *M.* perperam soluta aut ad nomen *equitum* vitiose assimilata est.

mediam aciem firmarent: h. e. firmam facerent mediam aciem (ein festes Mitteltreffen bilden); v. annot. ad c. 14. Walchius comparavit Livii XXII 46: *dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acies peditibus firmata;* XXIII 29: *Asdrubal mediam aciem Hispanis firmat.*

per acclive iugum connexi velut insurgerent: forma codicis *Γ connexi* ex *u* et *n* mutata originem duxit. Qui *convexi* (*gewölbt*) constiterunt, ii non modo insurgunt sed simul demittuntur in diversa parte; sed Britanni *acclive* iugum

connexi velut insurgerent; media campi covinarius eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes 36 ante vexilla constitit. Ac primo congressu eminus certabatur. Simulque constantia simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Ba-

1. *connexi* Δ et Puteolanus: Γ *conuexi.* *conuinnarius* Γ: Δ *couinarius.* 8. *simulque* $\Gamma\Delta$: *simul* Puteolanus. 9. *coetris* Γ, *caeteris* Puteolanus. 10. *Agricola*] *agricola p* π1, *agricola p* π2. *uatauorum* superposito *.B.* et statim *uataui* Γ.

occupaverant, ita ut procul visentibus singuli ordines velut *connexi* (*verkettet*) viderentur.

media campi covinarius eques — complebat: covinarius et eques codici Γ tribuit Orellius, sed Broterius eidem *et* disertim abnegat, ac rursus neque Dronkius particulam ibi inventam esse testatur, et Wexius hanc in vocibus a Puteolano omissis et in Γ repertis non recensuit. Orellium in errorem duxit Dronkii vox *et* 'restituisse' Rhenanum. Sed Rhenanus de coniectura tacite voculam intulit minime necessariam. Nam *covinarius eques* est qui covino vel essedo vehitur, ut ἱππεῖς sive ἵππιοι apud Homerum. Quippe Caledonii in iis gentibus erant, quas curru proeliari a Tacito c. 12 relatum est. Cf. ad illa verba annot.

pedes ante vexilla constitit: rectius, puto, scripsisset *ante signa;* nam *signa* cohortium socialium alias semper recensuit, *vexilla* legionariorum: v. annot. ad II 17.

Cap. 36. *simulque constantia — vim telorum superfundere:* qui ex Britannis in prima acie positi impetum hostium primi exceperint, ex prioribus manifestum est. Nempe *media campi*, h. e. campestre spatium inter Britannos in acclivi iugo assurgentes et Romanos medium, *covinarius eques strepitu et discursu complebat.* Cum accessit acies Romana, in parte Britannorum clientes ex essedis sive covinis desilientes pedibus pro more (Caesar B. G. IV 33. Tacit. Agr. 12) propugnaverunt, aurigae ex proelio retro cedentes currus in acclivi iugo collocarunt, *ut si illi* (verba sunt Caesaris ad mea accommodata) *a multitudine hostium premerentur, expeditum ad suos receptum haberent.* Hoc memor tollere debet qui proelii formam et eventum recte accipere studet.

Batavorum cohortes ac Tungrorum duas: in Batavorum cohortibus numerum non definivit, sed omnes qui tunc aderant significavit. Unius legionis quartaedecimae auxilia octo cohortes Batavorum in Historiis saepe memorantur. Cf. Ind. hist. s. v. *Batavorum cohortes.* Puteolani *p batauor*♃, unde Rhenanus fecit *tres Bat.*, nihil est nisi vitium eius qui exemplar scripsit operis tradendum: quippe prava pronuntiatione *patavorum* scribere

tavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fodere, et stratis qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu connixae proximos quosque caedere: ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae

2. *et*, sed puncto supposito notatum et superscr. *ac*, *Γ*. 5. *armarum* (*a* subnotatum et superscr. *o*) *Γ*. *aperto ΓΔ*: *arto* Fr. de' Medici. 6. *ictus ferire ictus* altero *ictus* punctis subnot. *Γ*. *fodere, et*] *foedare et ΓΔ* et Puteolanus: *foede recti* in margine *Γ*. 7. *tratis ΓΔ*, '*trates* vel *traces*' mg. *Γ*, *tractis* Puteolanus: correxit Ernestius. *adstiterant ΓΔ*: *obstiterant* Puteolanus. 8. *connisae Δ*: *connistae Γ*, *cōmistae* Puteolanus.

coepit, sed vitio animadverso *p* lineola transfixit, operae autem litteram deletam receperunt. Paulo aliter Wexius in programmate p. 10: 'scriba ille, cui obversabantur Patavini, voluit *patavorum* scribere, delevit autem scriptum iam *p* virgula. Propterea in *π* 1 expressum est *p*, inde *π* 2 *π* 3 habent *per*' (*π* 2 habet compendium *p*), 'unde Rhenanus finxit *tres*'.

in arto pugnam: forma codicum *aperto* ex antiqua scriptura, in qua P et R saepe et facile mutantur, orta est: recentior scriba APTO ex ARTO leviter detortum valere *apto* opinatus dedit *aperto*. Magni Britannorum gladii ad ictum et ad excutienda tela habiles, ad pungendum non apti, in *aperto* pugnam bene sustinebant, ut modo legimus, sed in complexu armorum et in *arto* ad ictum inferendum deerat spatium, ad fodiendum sive pungendum mucro et aculeus.

ora fodere: hoc contrarium est proxime superiori *miscere ictus.* Scilicet Batavi si hostis paulum abesset, ictus miscebant, propius suggressi mucrone gladiorum ora pungebant. Hinc intelligitur verum esse *fodere*, non *foedare:* nam etiam ictu foedari ora possunt: fodiuntur mucrone et pungendo. Cf. H 21: *miles — latos barbarorum artus, nuda ora* (galeis non tecta) *foderet.*

stratis qui in aequo adstiterant: cf. annot. ad hoc cap. prima.

aemulatione et impetu connixae (*mit voran strebend*): recte se habet codicum scriptura, et repudiandum est vitium Puteolani *cōmistae*; cf. H. IV 53: *simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi, studio laetitiaque connixi, saxum ingens traxere.* Formam *connisae*, quae legitur in libro *Δ* et levius corrupta est in *Γ*, ad auctoritatem codicis Medicei Historiarum immutavi.

interim equitum turmae — peditum se proelio miscuere: loqui pergit de victore exercitu, ut peritis ex nomine *turmarum* nudo

[fugere covinarii] peditum se proelio miscuere. Et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque equestris iam pugnae facies erat, cum e gradu aut stantes simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant. Et Britanni, qui adhuc 37
pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset,

1. *convinnarii Γ.* glossam *fugere covinarii* seclusit editor. 2. *recentes Δ.* 3. *equestris iam* editor: *equestres. ea* (litt. *a* superpos. *i*) *enim Γ*, *equestres. ea enim Δ*, *equestres. Ea.n.* Puteolanus. 4. *e gradu aut stantes* editor: *aegra* (*egra Γ*) *diu aut stante ΓΔ* et Puteolanus. Rhenanus: *minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum in gradu stantes.* 8. *summam m* puncto subnotato *Γ.* 9. *digredi* Puteolanus.

posito (*turmae Britannorum*, etiam *turmae hostiles* quod alibi dicuntur de externo equitatu, eo non refellitur quod significavi), imperitis ex *densis hostium* (Britannorum) *agminibus* statim memoratis liquet. Adde annot. ad c. 12 et 35. Ad Britannos paulo post se convertit: nunc de illis tantum praecepit, quantum opus est ad vincentium statum et habitum describendum, et hoc quidem, qui in aequo adstiterant, eos impetu peditis Romani stratos et multos semineces aut integros festinatione victoriae relictos esse. Hinc intelligitur *fugere covinarii* parenthesi inclusum et ceteris ἐπεξηγητικῶς interiectum, de quo ego olim cogitavi, non admittendum esse: nam covinarii, h. e. clientes aurigarum in prima acie pedibus pugnantes (*propugnantes*), non fugerunt, sed *strati* sunt. Minus autem ferri potest quod legimus apud Puteolanum: *Interim equitum turmae fugere: couinarii peditum se proelio miscuere: et* cet. Nam si *equitum turmae*, ut par est, Romanae accipiuntur, eas fugisse quo minus statuamus, res ipsa impedit, sin Caledoniorum turmae cogitantur, primum obstat loquendi consuetudo Corneliana et nomen *hostium* quod paulo post sequitur, tum ipsa descriptio obscura fit et intricata, denique equitum turmae in acie Britannorum non enumeratae sunt, sed nonnisi *covinarius eques*. Itaque satis certum hoc est, *equitum turmas* non alias esse quam equitum tria milia cornibus Romanorum (cap. 35) affusa. Hinc consequitur verba *fugere covinarii*, unde omnes turbae natae et quibus amotis cetera perspicua sunt et luculente exposita, ab aliena manu in libro quodam antiquo super versum ascripta esse. Scilicet Romanorum equitum commemoratione admonitus glossae auctor covinariorum in acie Britannorum, quid his factum sit supplere voluit, nescius ea de re ab ipso auctore iam relatum esse.

minimeque equestris iam pugnae facies erat: vocem *minimeque* artius iunge cum v. *equestris*, non

quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum. Sequi vulnerare capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus: et aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis adpropinquaverunt, inde primos sequentium, incautos collecti et

1. *accucurrerant Γ*: *accurrerant* Puteolanus. 6. *ablatis* Puteolanus. 10. *appropinquauerunt Γ*: *appropinquarunt Δ* et Puteolanus. 11. *inde* editor: *ntem Γ*, *itẽ Δ*. *primos sequentium, incautos collecti et locorum gnari, circumveniebant* editor: *primos — ignari circumueniebant ΓΔ*, *collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumuenṭebant* Puteolanus et vulgo.

cum particula *iam*, quo adventus equitis Romani ad colles acclives indicatur. Ego ex vestigiis libri *Γ* *ea*[i] *enim* (in libro antiquiore fuisse *.n.* pro *enim*, Puteolanus qui illud suggerit videtur indicare) feci *iam*, *equestris* pro *equestres* accepi a Rhenano. Quod dederunt Rothius, Dronkius, Dübnerus (*ea enim pugnae facies erat*), haec ceteris plane adversantur.

cum e gradu aut stantes simul equorum corporibus impellerentur; *ac saepe vagi currus — obvios incursabant*: qui *e gradu aut stantes* impelluntur, hi sunt cohortes auxiliorum in partibus Romanorum, quae a tergo sui equitis corporibus equorum e gradu aut stantes impelluntur, dum a fronte vagi hostium currus sive covini, exterriti sine rectoribus (aurigis) equi obvios aut transversos incursant. Equidem *e gradu* elicui ex *Γ egra diu* (*Δ aegra diu*), et pro *stante* scripsi *stantes*, littera *s* assumpta ex proximo *simul*. Haec iam proposui in commentatione edita in Diurnis antiquitatis studiorum a. 1842 p. 502 sqq., sed nunc simpliciorem dedi verborum explicationem. Rothius tentavit *haerebant minimeque equestres (ea enim pugnae facies erat), quum auriga tunc adstante — impellerentur*, quae neque Tacitina sunt neque Latina.

Cap. 37. *vacui spernebant:* dicit laboris et curae vacuos, nomen minus tritum quam *securi*; cf. II 46: *quia tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit.*

tum vero patentibus — cruenta humus: imitatur Sallustii Iug. 101, quod primus observavit Lipsius, sed ita ut auctorem suum Tacitus superaverit: *tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi fugere, occidi capi, equi viri adflicti; ac multi vulneribus acceptis neque fugere posse neque quietem pati, niti modo ac statim concidere; postremo omnia qua visus erat constrata telis armis cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.* Tacitus post haec recordatus est Virgilii Aen. II 367: *quondam etiam victis redit in praecordia virtus;* monuit Pichena.

inde primos sequentium, incau-

locorum gnari, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi in vicem longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus inlatus.
Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni 38
palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras, et statim relinquere; miscere in vicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi aspe-

4. *equites perlustrari Δ*, *equitem persultari Γ*, *equite persultari* Puteolanus: *equitem persultare* tacite Rhenanus. 6. *versis Δ*. 9. *savetas Δ*. 10. *sexaginta ΓΔ*: Puteolanus *quadraginta*. 10. *profectus Δ*, non *Γ*. 12. *Britannique Γ*: *britanni* Puteolanus. 13. *palantas* (extremum *a* subnotatum et superscr. *e*) *Γ*, *pallantes* Puteolanus. 16. *separare ΓΔ*: Puteolanus *sperare*.

tos collecti et locorum gnari, circumveniebant: *inde* quod in antiquo libro *ĩde* exaratum fuisse reor, lineola perperam posita et *d* pronuntiata *t* evasit *itẽ*, ut est in libro *Δ*. Hinc Puteolanus licenter interpolare coepit omissis ductibus sibi obscuris et voce *collecti* de sua sede retracta ante *primos sequentium*, id quod ceteri editores male imitati sunt. Nam aperte narrator composuit ex una parte *incautos*, ex altera *collectos et locorum gnaros*. De forma *gnari* pro *ignari* reponenda iam cogitavit Dronkius. Verbum *circumveniebant* de *conatu* accipiendum est.

frequens ubique: exquisitius *frequens* quam *praesens*. Dux ubique comparens quasi pluribus corporibus agere visus est. *indaginis modo*: ut spatium corona hominum circumdatum paulatim orbe reducto et artius clauso coartetur. Virgilius Aen. IV 121: *dum trepidant alae silvasque indagine cingunt*. Tacitus XIII 42: *testamenta et orbos velut indagine eius capi*. Florus IV 12 48: *inde partito exercitu totam amplexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat*. Livius VII 37: *cum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret*.

Cap. 38. *dein separare*: h. e. consilia in commune capienda omittere. *secreti colles* (*einsame Hügel*): secreti quod ab hominum frequentia vacui sunt.

in fines Borestorum: populi nomen et sedes aliunde non cognita. Habitasse supra Bodotriam ostendunt quae mox sequuntur: *ipse peditem atque equites lento itinere,*

ctu pignorum suorum, saepius concitari. Satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

39 Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistulis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte

2. *misererent Δ.* 8. *Borestorum Γ: Horestorum Δ* et Puteolanus. 9. *praecipit Δ.* 12. *terrentur Δ.* 13. *Trucculensem Γ, Trutu. Al.* mg. *Γ, trutulens est Δ, trutulensem* Puteolanus. 14. *Britanniae latere ΓΔ: latere Britanniae* Puteolanus. *praelecto Al'* mg. *Γ.* 15. *nulla*] *in illa Δ.* 16. *actum ΓΔ* et Puteolanus: correxit Lipsius. *Domitiano moris erat Γ: Al' erat Domitiano moris* mg. *Γ*, *Domitianus erat Δ.*

quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit: nam *novae gentes* illac sunt civitates, quas trans Bodotriam sexto officii anno legatus Romanus amplexus erat (25), mox septima expeditione domuerat.

datae ad id vires: vires sunt milites sive propugnatores, non remiges et naves (nam hae sub praefecto classis, neque dabantur a legato), navigiis impositi ad impetus hostiles arcendos. Cf. annot. ad c. 25.

Trutulensem portum tenuit, unde — lecto omni redierat: unde est pro *quo inde*, quo classis redierat, postquam inde proximum Britanniae latus legerat omne. Praefectus classis acceptis viribus ex militia, quam Agricola ad montem Grampium duxerat, in latere orientali septentrionem versus processit, tunc ad sinistram et mare Hibernicum flexit, dum veniret ad loca quae Agricola quinto expeditionum anno Clotam transgressus (24) accesserat. Iam cum exploratum esset insulam esse Britanniam, classis rediit unde profecta erat. Hanc expeditionem Tacitus significavit c. 10: *hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit.* Dio apud Xiphilinum LXVI 20: *κἀκ τούτου* (i. e. post Britanniam ab Usipiis circumvectam; cf. c. 28) *καὶ ἄλλους ὁ Ἀγρικόλας πειράσοντας τὸν περίπλουν πέμψας ἔμαθε καὶ παρ' ἐκείνων ὅτι νῆσός ἐστιν.*

Cap. 39. *epistulis Agricolae auctum:* vulgare vitium a Lipsio

laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia quorum habitus et crinis in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem, et 40

1. *excepit* Γ: *cepit* Δ. 3. *crinis* Γ: *crines* Δ et Puteolanus. 4. *at* ΓΔ: Puteolanus *ac*.

vere sublatum (*actum*) ex antiqua uncialium scriptura prodiit. Rothius et Dronkius *actum* non bene tenent: nam agitur in iudicio et concilio et in senatu, non in epistulis. Formam *epistulis* pro vulgata *epistolis* ex auctoritate librorum Mediceorum (M et M[a]) reposita est.

ut Domitiano moris erat: *moris esse* pro *in more* vel *mos esse* saepe scriptores aetatis argenteae inde a Velleio, praecipue Tacitus; cf. I 56, IV 39. H. I 15. G. 13 et 21. A. 33 et 42.

falsum e Germania triumphum: mimicum triumphum de Chattis Domitianus celebraverat et Germanicum se dici voluerat. Suetonius Dom. 6: *expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario, sponte in Chattos. — De Chattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit.* Dio LXVII 4: *ἐκστρατεύσας δὲ ἐς Γερμανίαν καὶ μηδ' ἑωρακὼς πόλεμον ἐπανῆκε.* Adde G. 37 extr., Plinii Paneg. 16 et 17. Aliter poetae improbe adulantes, Martialis VIII 65, Statius Silv. I 1 et 4.

id sibi maxime formidolosum — virtutem esse: usque ad intima pectoris tyrannici descendit praeclarus humani ingenii explorator, ac rara arte curas et laniatus descripsit, quibus saevi domini mens tunc lacerata est.

studia fori et civilium artium decus: *studia fori* dicit eloquentiam; civilium artium decus praeter eloquentiam complectitur iuris prudentiam. Conf. III 75: *Capito Ateius — principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus.* Adde VI 7, XI 6 et 7.

imperatoriam virtutem: h. e. virtutem imperatoris vel principis propriam.

secreto suo satiatus: *secretum* non est locus secretus, quo Domitianum ab hominum commercio remotum libenter usum esse constat (vid. Plinii Paneg. 48), sed

quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est.

Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in Palatium, ita ut praeceptum erat, venit;

3. *Atili Γ.* 7. *in Britanniam ΓΔ*: correxit Puteolanus. 14. *praetemptum Δ,* non *Γ.*

potius arcanum illud et odium, quod de Agricolae gloria sollicitus animo volutabat, quodque alte recondidit ut mox auctum promeret. Exempla recenset Suetonius Dom. 11, rem strictim memorat Dio LXVII 1. *Satiatus* est *contentus,* ut I 75. Similia in simili causa de occulto Tiberii ingenio narravit Tacitus I 59: *accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret;* cf. ibi annotata.

Cap. 40. *triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem:* ex ceteris triumphi ornamentis (corona laurea, trabea triumphali, sella curuli) praecipuum nomine vocasse contentus est. Statua pro triumpho data *laureata* vocatur IV 23, *triumphalis* H. I 79, *triumphalis imago* XV 72. *ἐπινικίους τιμὰς* Agricolae memoravit etiam Dio LXVI 20. *et quidquid pro triumpho datur:* significavit supplicationem et sacra.

addique insuper opinionem: verba senatus consulti ita composita sunt, ut lecto eo Agricola in opinionem induceretur ipsi Syriam provinciam destinari. Hunc enim, non senatum, fallere Domitianus voluit. Id quomodo institutum sit Tacitus significavit verbis *vacuam — reservatam.* Non bene Muretus coniecit *additque.*

codicillos, quibus ei Syria dabatur: Syria Caesaris provincia ab imperatore per codicillos dabatur.

sive ex ingenio principis fictum ac compositum: si non verum illud fuit, certe ex ingenio principis suspicaci et meticuloso, tum etiam callido et insidioso fictum et exornatum (compositum) erat. Quippe hoc machinatus ferebatur ut Agricolam suetis legionibus abstraheret.

successori suo: hunc fuisse Sallustium Lucullum Suetonius facit ut credamus, Domit. 10: *Sallustium Lucullum Britanniae legatum, quod lanceas novae formae appellari Luculleas passus esset,* (occidit).

exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Ceterum uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, 41
absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent; tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et

1. *turbae* om *Δ*. 2. *uti Γ*: *ut Δ* et Puteolanus. 13. *Misia Γ*, *mysia* Puteolanus: *Moesia* Lipsius. *et Pannonia ΓΔ*: *Pannoniaque* Puteolanus.

exceptusque brevi osculo: conf. XIII 18: *post breve osculum digrediens* (Nero a matre). Contrarium est XIV 4: *artius oculis et pectori haerens.* Cf. H. II 59: *brevi auditu quamvis magna transibat.* *turbae servientium:* circa Domitianum plerumque nonnisi servientium multitudo. Tacitus paucissimis expressit morem illic solitum.

uno aut altero amicorum comitatus — interpretarentur: prave hanc moderationem accepit is, quem auctorem secutus est Dio apud Xiphilinum LXVI 20: *ὁ δὲ Ἀγρικόλας ἔν τε ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ, ἅτε καὶ μείζονα ἢ κατὰ στρατηγὸν καταπράξας, ἔζησε.*

per ambitionem: quatenus a ceteris ambiuntur. *quaererent famam:* non agnoscere se posse dicebant vel credebant.

pauci interpretabantur: modico cultu et raro comitatu famam periti satis significatam perspexerunt. Cf. III 76: *sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur.*

Cap. 41. *pessimum inimicorum genus, laudantes:* 'gnome ex ipsis adytis humanae vitae, cui Mamertinus interpres, Panegyrico ad Iulianum c. 4: *cum*, inquit, *sancti principis merces* (legimus *mores*', ego *merita*) '*atque instituta falsarum vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benivolentiam illa iactantes, Iulianus Alemanniam domuit, Iulianus urbes Galliae excitavit.* Statimque c. 5: *haec voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriae refutarentur. Invenerunt accusandi genus quod nullus refelleret*'. Lipsius.

in Moesia Daciaque: bellum a Decebalo Dacorum duce motum circa a. 840 finitum a. 844: Suet. Dom. 6: *expeditiones suscepit — in Dacos duas — primam Oppio Sabino consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco, praefecto cohortium praeto-*

Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum, * * *. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem extimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

3. *hybernis Γ.* *possessione Γ*: *possessionum Δ.* 6. *uigorem et constantiam Δ.* 7. *inerciae et formidini Al'* mg. *Γ.* 8. hiatus signa sunt ab editore. *Domitianum Δ: Domitiani Γ* et Puteolanus.

rianarum cui belli summam commiserat. Dio apud Xiphil. LXVII 6 et 7 et 10. Orosius VII 10 (verba Orosii in Prooemio c. 22 transcripta sunt). Scholiasta Iuvenalis IV 112. In *Moesiam* Daci prorupere et hiberna legionum agressi sunt. Quapropter verba *in Moesia Daciaque* de uno bello Dacico capienda.

in — Germania et Pannonia: intellige bellum a Pannonicis legionibus adversus Marcomanos et Quados gestum: Dio LXVII 7.

tot militares viri: centuriones tribunique et praefecti cohortium socialium, omnes qui rei militaris prae ceteris periti. Cf. XV 10 et 26 et 67. H. II 75, III 73.

expugnati et capti: expugnatione castrorum vel castellorum ab hostibus capti. Monent interpretes etiam Livium (XXIII 30) et Curtium (IX 4 5) et Iustinum (III 4 11) *expugnare obsessos* aut *inclusos* aut *incolas* dixisse, translato a locis ad homines verbo, ut Thucydides I 134 scripsit ἐξεπολιόρκησαν λιμῷ (τὸν Παυσανίαν).

cum inertia et formidine eorum, ***: excidit enuntiatum incipiens a relativo *quibus* (verbi causa *quibus copiae militares temere permissae erant*), unde scribentis oculi ad proximum *quibus* aberraverunt. Alii emendando offensionem tollere conati sunt: ex his Grotius *ceterorum* proposuit, Ernestius *caesorum*, Walchius *reorum*, sed sic numerum magnopere claudicare periti facile sentient. De hiatu consentiunt Rothius et Dronkius.

Domitiani quoque aures verberatas: gravi verbo usus est, ut principem virtutibus infensum et adversum viros claros suspiciosum depingeret.

vitiis aliorum: vitia noli intelligere eorum qui malignitate et livore pronum deterioribus principem extimulabant, ut accepit Walchius, sed vitia a legatis Moesiae et Pannoniae commissa. Id ostendit contrarium *suis virtutibus*.

Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae 42
sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in adprobanda excusatione offerre, postremo non iam obscuri suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione, in adrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et cum adnuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso

1. *Asiae et Africae Δ* et codex Ursini et Puteolanus: *Γ Africae et Asiae.* 2. *Cinica* Puteolanus. 7. *tam ΓΔ*: *iam* Rhenanus. *terentesque* π 1: π 2 *terrentesque.* 8. *simulatione* ascripto in margine *nis Al' Γ.*

Cap. 42. *aderat iam annus:* quae hoc capite narrantur, ea ante Taciti ex urbe digressum, h. e. ante annum 843 = 90, de quo dixi ad c. 45 et in Prooemio c. 6, accidisse licet suspicari partim ex perdiligente huius rei expositione, quippe ipse ex ore soceri singula acceperat, partim quod ab hoc inde tempore usque ad mortem Agricolae nihil iam de vita soceri a Tacito relatum est. Falluntur qui ex Dionis loco LIII 14 (*πᾶσιν ἀπηγόρευσεν ὁ Αὔγουστος μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι*) colligere sibi videntur posse, haec facta esse quinto anno postquam Agricola ex Britannia rediit. Aderat autem annus, quo Agricola proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, quia ipse et alius senator nobis non cognitus consularium vetustissimi erant. Conf. III 71: *sors Asiae in eum qui consularium Maluginensi proximus erat collata.*

occiso Civica nuper: Suetonius Dom. 10: *complures senatores, in his aliquot consulares, interemit; ex quibus Civicam Cerialem in ipso Asiae proconsulatu.*

non iam obscuri: lectionis *tam* a Rhenano correctae origo ex antiqua scriptura, ubi T et I facile ac saepe mutantur, explicanda est. Nam Agricola naturali prudentia et multis rebus exercitus accedentium animos haud dubie statim perspexerat. Doederlinius *tam* ita defendere conatur, ut ironiam subesse contendat: sed ironiae nunc minime locus videtur esse, neque lector sine admonitione in eam inciderit. *Non iam obscuri* est *non iam ambagibus adhibitis*, sed suas cogitationes clare proferentes.

paratus simulatione: simulatione est ablativus instrumenti qui dicitur, *paratus* idem quod *ante instructus.* Walchius comparavit Ciceronis ad Att. IX 13, Suetonii Claud. 42.

audiit preces excusantis: ex hoc exemplo colligere noli Latine licere *excusare* pro *se excusare;* cf. annot. ad O. 5.

agi sibi gratias passus est: cf. H. II 71: *Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem ausus et Verginii extimulator: sed alius protulit causas.*

concessum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram et quo obscurior, eo inrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

10. *in ullum rei post usum Γ*, *in nullum re p* (cum lin. super *p*) *usum Al'* mg. *Γ*: *in nullum reipublicae usum Δ* et codex Ursini.

Actaeque insuper Vitellio gratiae, consuetudine servitii. Adde XV 71. Broterius contulit ex Seneca de Tranq. 14: *agebant gratias* (Gaio Caesari) *et quorum liberi occisi et quorum bona ablata erant*; de Ira II 33: *notissima vox est eius qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem, 'iniurias', inquit, 'accipiendo et gratias agendo'.*

nec erubuit beneficii invidia: beneficii invidiam dixit pro invidioso beneficio. Perinde Tiberius, de quo Tacitus VI 23: *consultusque Caesar an sepeliri sineret* (Asinium Gallum), *non erubuit permittere.*

salarium tamen proconsulari solitum offerri: a Macrino principe decies sestertium oblata esse Aufidio Frontoni proconsulari, in provinciam Asiam aut Africam non misso, Dio narrat LXXVIII 22, monente Lipsio.

proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: hoc severe quidem sed recte pronuntiatum est non de ingeniis quae artibus honestis culta sunt, sed de iis hominibus qui naturae suae affectus sequuntur. Nimirum hi non laedunt aut certe non laesisse se credunt nisi eos qui meruerint ut laedantur, h. e. odio dignos. Aliud est de quo loquitur Seneca, Gaium Caesarem et reges immanes respiciens, de Ira II 33: *hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos laeserunt et oderunt.* Doederlinius suspicatus est *inhumani ingenii*, sed non animadvertit sic inepte succedere *quem laeseris*. Itaque aut omittenda est illa coniectura aut nova addenda *quem laeserit*.

sciant, quibus moris est sqq.: exemplum Agricolae Tacitus ipse imitatus est et aliis iam commendat; cf. Prooemium c. 6—8.

eo laudis excedere: nove dictum pro eo quod est *ad id laudis ascendere*. Ruhnkenius ad Rutilium Lupum I 13 comparavit ex Valerio Maximo III 4 extr. 1: *Socrates ad clarissimum lumen gloriae excessit*; V 6 4: *res publica — ad summum imperii fastigium excessit.*

per abrupta: abrupta via incedentes. Metaphorum potuit admittere, quia verbum paulo remotius *inclaruerunt* valet *inclarescentes venerunt*. Statim scriptura codicis *Γ* (*post*) orta ex nota *p.* (*publicae*) mutata cum *p'* (*post*).

Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum. Nobis nihil comperti *quodve* adfirmare ausim. Ceterum per omnem valitudinem eius, crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta ipsa 43

3. *alius agens* Puteolanus. 4. *per circulos* Δ. 6. *nobis* litt. *n* superscr. *v* Γ: *uobis* Puteolanus. 7. *quodve* additum ab editore. 8. *viseritis* Δ. 10. *ipsa* om Puteolanus, non ΓΔ.

Cap. 43. *extraneis etiam ignotisque non sine cura:* verisimile est ad hunc Agricolam celebrandum epigramma Antiphili cuiusdam compositum esse Antholog. Palat. IX 549:

Κρηναῖαι λιβάδες, τί πεφεύγατε; ποῦ τόσον ὕδωρ;
τίς φλὸξ ἀενάους ἔσβεσεν ἠελίου;
Δάκρυσιν Ἀγρικόλαο τετρύμεθα· πᾶν δ' ὅσον ἡμῖν
ἦν ποτόν, ἡ κείνου διψὰς ἔχει σποδιή.

vulgus quoque et hic aliud agens populus: hic aliud agens populus non diversus a *vulgo*, sed addita sunt haec ad *vulgi* naturam indicandam. Voce *aliud* quid significetur, docent subsequentia *et ventitavere ad domum — locuti sunt.* Scilicet plerumque communium curarum expertes de sportulis tantum et annona cogitare solent. Conf. H. I 89: *vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus;* ibidem 50: *non senatus modo et eques, quisque aliqua pars et cura rei publicae, sed vulgus quoque palam maerere.*

constans rumor veneno interceptum: cum rumorem temere secutus Dio LXVI 20 scripsit: *καὶ τέλος ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ.* Cautior Suetonius Agricolam recte non recensuit, ubi senatores et consulares a Domitiano occisos enumeravit c. 10.

nobis nihil comperti quodve adfirmare ausim: duo dicit cognata, primum nihil comperti de dato veneno ad se pervenisse, nihil quoque quod adfirmare audeat. Hoc altero indicat ad suspicionem se ipsum inclinare. Librorum scriptura *nobis nihil comperti adfirmare ausim* corrupta est. Nam primum *nobis* obscurum est et indefinitum. Domum Agricolae pronomine illo significari non posse, et ostendit quod mox (c. 46) sequitur, *nosque, domum tuam,* et Tacitus legentibus aequalibus haec scripsit, non uni familiae soceri sui destinavit. Tum si quid comperti habuisset, id Tacitus pro ingenio suo non delicate celaturus sed libere prolaturus fuit: at librorum scriptura hoc sibi vult ceteris minime aptum, *nobis nihil, quod compertum adfirmare ausim,* aut hoc quam maxime languidum, *me nihil de veneno compertum habere adfirmare ausim,* ubi *adfirmare ausim* pessime et prave positum pro *fateor.*

deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. Tam caeca et corrupta mens adsiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

44 Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule idi-

2. *speciem tum* vitium Puteolani. 4. *constabat Γ: constabant Δ* et Puteolanus. 5. *testimonio* vitium Puteolani.

ceterum per omnem valitudinem: iam sic pergit ut suspicionis indicia diligenter et observato ordine recenseat, tum contrarium argumentum (*speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit*), per se invalidum, illatis proximis *securus — metum* prorsus evertat. Agnosce curam et artem tradentis. *Dispositi cursores* qui statim memorantur, inter urbem et villam Albanam positi erant.

optimae uxori et piissimae filiae Domitianum: Domitianum Theodisce redde *einen Domitianus.* Quippe hominem immanem significavit praepositis contrariis. Nomen *pius* eiusmodi est quod comparationem plerumque non subeat. Hinc ad religiosas Ciceronis aures haec superlativi forma odiosa et incommoda cecidit: nam cum scripsisset M. Antonius *nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis*, ipse reposuit Phillip. XIII 19 43: *tu porro ne pios quidem, sed piissimos quaeris; et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est; id propter tuam divinam pietatem novum inducis.* Idem Cicero improbasset haud dubie formam *strenuissimus*, quam Tacitus admisit H. IV 69. Superlativus *piissimus* post Ciceronem saepe admissus. Cf. Forcellinii lexicon s. v. *Pius*.

nisi malum principem: cf. XIV 31 et XVI 11, ubi haec: *nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere.* De Domitiani testamentorum cupidine Suetonius c. 12.

Cap. 44. *tertium consule:* ad hunc annum (a C. 40) proxima, ut ea codicibus traduntur, non conveniunt; hinc auctore Buchnero *primum* scribere conati sunt plures editores. Sed vitii sedes alibi, non in his verbis. Nam cum primum consulatu functus est Gaius Caesar anno post Chr. n. 37, ipse non fuit ordinarius consul sed suffectus, ordinarii autem illo anno fuerunt Acerronius Proculus et Pontius Nigrinus (v. Suetonii Calig. 17, Dionis LIX 6); hi igitur nominandi erant, si Agricola anno 790 ab urbe c. = 37 natus esset. Idem Caligula nonnisi tertium consulatum et quartum sine collega adiit, in primo Claudium collegam habuit (Sueton. Calig. 15, Dio LIX 6), qui simul nominandus erat, si ille annus indicatus esset. Bene monuit Wexius in Programmate a. 1845 p. 16 sq.

bus Iuniis: excessit tertio et quinquagesimo anno, decimo kalendas Septembris Collega Priscoque consulibus. Quodsi habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit: nihil metus in vultu; gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam

1. *tertio* editor: *ΓΔ sexto*, Broterius coniecit *quarto*. malim *decimum*. cf. annot. ad 6 50. 2. *Septembris Γ*: Puteolanus *Septembres*. 4. *metus*] *impetus Γ*, *metus* mg. *Γ* ascripto *Al'* et Puteolanus, *metus et impetus Δ*. 8. *sunt* om *Δ*. *consulari ΓΔ*: *consularibus* Puteolanus. 10. *speciosae non contigerant ΓΔ*: Puteolanus *speciose contigerat*, mg. *Γ Al' speciosae contigerant filia atque uxõ*.

tertio et quinquagesimo anno: in Vaticanis est *VI*^{o} *et L*^{mo} *anno*, sed Agricola cum excessit, non sex et quinquaginta annos, sed annum tertium et quinquagesimum explebat et insuper duos menses et decem dies vixerat. Iam Tacitus annorum quos compleverat Agricola, numerum posuisse contentus fuit, exiguum additamentum non curavit, siquidem pro antiqui libri notis *iii* a recentiore scriba substitutae sunt *vi*, et inde numerus VI pro III venit. Perinde in Annalibus (III 58) in M^{a} *duobus* pro *quinque*, id est *ii* pro *v* (V), scriptum. Broterio coniicienti *quarto et quinquagesimo* et LIV numerum cum LVI mutatum statuenti non accesserim: antiqui enim numerum quaternarium notare solent IIII, non IV. Consules uno cognomine vocavit obiter memoratos, alioqui alia ratione usus. Conf. annot. ad H. III 34. Hinc excusandus est usus particulae *que*, cum alibi consulum nomina aut sine particula iuxta ponantur aut interpositam habeant *et*. Conf. annot. ad G. 37 et ad IV 68.

nihil metus in vultu: *metus* (*Schreckhaftes*) activo significatu capiendum pro eo quod metum facit: nam ipsum Agricolam non meticulosum fuisse indignum erat quod memoraretur. Conf. annot. ad G. 2.

quantum ad gloriam: cf. G. 21: *quantum ad ius hospitis*. *opibus nimiis non gaudebat*: h. e. opes nimias non habebat, nihil amplius; cf. annot. ad Germaniae verba (c. 5) *numero gaudent*. *speciosae contigerant*: consentit hoc illis quae c. 6 de Agricola relata legimus. Itaque non dubitandum quin particula *non*, ante *contigerant* in codicibus adiecta, ex membro priore perperam repetita sit. Dionis errorem de paupertate Agricolae narrantis notavi ad c. 40.

quondam augurio votisque — ominabatur: cum in vetere libro *quondam* expressum esset *quõdã* et *a* proximo *augurio* haustum perisset, resedit *quod*, ut est in codicibus Vaticanis, structurae verborum non aptum. Ursinus ex suo codice rettulit: *nam sicuti magnae*

beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis futura effugisse. Nam sicuti durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre quondam augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum,

45 sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia ⁎ Messalini

2. *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esse, durare* codex Ursini. 3. *quondam* editor: ΓΔ et Puteolanus *quod*. 8. *clusum* Γ referente Broterio. 10. *charus* Γ et Puteolanus, *clarus* Δ: correxit Rhenanus. *Mitius* ΓΔ, *Mettius* Al' mg. Γ, *Nutius* π 1, *nŭcius* π 2. 11. *arcem*] *villam* mg. Γ, *arcem uilā* Puteolanus. hiatus signum est ab editore.

cuiusdam felicitatis esse, durare cet., sed *magnae cuiusdam felicitatis esse* nihil est nisi frigida glossa pro *durare in hac beatissimi seculi luce*. Wexius illa tenere et pro *esse* corrigere *esset* conatus est p. 15, sed haec colore Tacitino prorsus destituta sunt. Rhenanus *quod* deleri volebat. Componuntur contraria, primum quae Agricola optavit, tum quae vere consecutus est. De Traiano ominibus votisque hominum ad summam fortunam ante destinato cf. Dio LXVII 12, Plinius Paneg. 5 et 94.

per intervalla ac spiramenta temporum: ipsis temporibus anima sive spiritus tribuitur, dum respirant tempora a sanguine et angoribus. Sinistre imitatus est Ammianus Marcellinus XXIX 1 §. 40: *sumptumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium.*

Cap. 45. *non vidit — fugas:* insigne scelus patraturus et senatus consensum coacturus idem artificium adhibuit Domitianus, quo quondam usus erat Nero in damnando per patres Thrasea et Sorano; v. Tacit. XVI 27. Res ipsa aliunde non cognita est. In feminis nobilibus actis in exilium fuere *Gratilla*, uxor Aruleni Rustici, *Arria*, Thraseae coniux, *Fannia*, eiusdem filia; v. Plinii Epistol. III 11, VII 19, IX 13. Verba *obsessam curiam et clausum armis senatum* respiciunt unum facinus, non plura variis temporibus suscepta, ut clarum ex *eadem* strage; cf. Plinius Epist. III 11. Ceterum imitatus est Tacitus Ciceronem de Or. III 2: *non vidit* (L. Crassus) *flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos.* Imitator tamen, id quod uni Tacito contigit, auctore suo praestantior.

una adhuc victoria Carus Metius censebatur: post extinctum Agricolam multas et cruentas victorias a se accusatorum tulit Metius, unde hominibus patuit multo nequiorem esse quam prima victoria eum cognoverant. De Metio cf. Plinius Epist. I 5, VII 19 et 27. Iuvenalis I 36 et scholia ad v. 35. Martialis XII 25 5.

intra Albanam arcem sententia ⁎ Messalini strepebat: Catullus Mes-

strepebat, et Massa Baebius iam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate sed etiam opportunitate mortis. Ut perhibent qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens

1. *iam* omittit *Δ*. 2. *Al' Nos Mauricium Rusticumque divisimus* margo *Γ* et codex Ursini. 4. *suos* om Puteolanus. 7. *a quo ΓΔ* et Puteolanus: *a* expunxit Lipsius. 9. *perhiberent ΓΔ*: correxit Puteolanus.

salinus coram principe in villa Albana delatoris partes agebat, nondum in curiam irrumpere et hostias deposcere, ut mox, audebat. Sed alter ex tribus famosissimis delatoribus, cuius saevitiam certatim pingunt Plinius Epist. IV 22, Iuvenalis IV 113—118, Aurelius Victor in Epitoma c. 12, perinde ut socii *Carus Metius* atque *Massa Baebius*, duobus nominibus pro amore concinnitatis a Tacito haud dubie vocatus est. Cognomentum autem Messalini (*Catullus*) cum non tam facile oblitterari potuerit, praenomen una littera expressum, verbi causa *Marci* vel *Lucii*, deesse statuo. De arce Albana Dio LXVII 1: *ἀγῶνας — ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει. τοῦτο γὰρ τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανόν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο.* Adde Suetonii Domit. 4 et 19, Plinii Epist. IV 11 et 22. *Arcem* ingentem villam vocavit Tacitus, quod inde quasi de castello munito more regum externorum regia facinora ausus est. Perinde Iuvenalis IV 145: *misso proceres exire iubentur consilio, quos Albanam dux magnus in arcem traxerat.* Sita erat sub radicibus montis Albani ad septimumdecimum ab urbe miliarium iuxta Appiam viam.

Massa Baebius iam tum reus: indicium videbatur temporis melioris, quod homo morum pessimus ob provinciam Baeticam male administratam et spoliatam reus erat: cf. Plinius Epist. III 4, VI 29. Mores hominis significavit Tacitus H. IV 50. *Iam tum* est antequam Agricola decederet, non eo ipso tempore, ut interpretatur Orellius: nam sic debuit esse *tunc ipsum.*

mox nostrae duxere — perfudit: haec cum facta sunt, Tacitus in urbe non adfuit, ut ostensum in annotatione ad c. 2, sed quia ordini patrum ascriptus erat, orationis vigore tractus se cogitat tamquam partem eorum quae tunc acciderunt.

Helvidium in carcerem: est Helvidius filius: patrem eius Thraseae generum sustulerat Vespasianus, de quo v. annot. ad H. IV 6. De caede eius Plinius Epist. IX 13: *inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex, manus intulisset.* Saevus ille accusator

fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget maestitiam, quod adsidere valitudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi

1. *portionem Δ.* 2. *filiaeque eius Γ*: *filioque eius* Puteolanus. *eius* omissum a Rhenani operis. 4. *complexuque ΓΔ*: *complexu* Puteolanus. *contingit* vitium Puteolani. 5. *excepissem ΓΔ* et Puteolanus: correxit Pichena. 6. *figeremus*] *pin Al'* litteris *fi* superscriptum in *Γ*. *nobis* om *Δ*. *tam*] *tum Al'* mg. *Γ*. *longae*] *nre* (h. e. *nostrae*) *Δ*. 7. *conditionem Δ*. *est ΓΔ* et (ē) Puteolanus: *es* tacite scripsit Rhenanus et libro *Γ* perperam tribuit Orellius. 9. *comploratus ΓΔ*: *compositus* mg. *Γ* et Puteolanus.

fuit Publicius Certus a Plinio in eadem epistola notatus. Conf. idem III 11, VII 30. Sueton. Dom. 10: *occidit et Helvidium filium, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset.*

Maurici Rusticique visus — Senecio: de Rustico occiso dictum ad c. 2, item de Senecione. *Iunius Mauricus*, frater Rustici tum in exilium pulsus est: Plinius Epist. III 11. Sub Nerva rediit: idem I 5 et 14, IV 22. Verbum *perfudit* positum metaphorice pro *perculit*, *stupore offudit.*

Nero tamen subtraxit oculos — muniebat: Nero non aderat, cum in senatu insontes damnabantur: Domitianus quaestionibus interesse solebat aut in curia aut in villa Albana. De *rubore* eius conf. ad H. IV 40.

tu vero — opportunitate mortis: Cicero de Orat. III 3: *ego vero te, Crasse, cum vitae flore, tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et extinctum esse arbitror.*

pro virili portione: cf. H. III 20.

tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est: in *Δ* quod legitur *nostrae* (per compendium expressum) pro *longae*, id peccavit scriba in cuius auribus proximum *noster* et *nostrum* resonabat. Wexius in programmate (p. 6) hoc adoptavit et iunxit cum marginali codicis *Γ* nota *tum*, ut sit *nobis tum nostrae absentiae conditione*, in quibus Tacitum agnoscere periti non poterunt. Rectissime de longa sui absentia loquitur: nimirum quattuor annis ante quam Agricola concessit, h. e. a. 843 = 90 urbem reliquit, ut haec verba ostendunt, et proximo tempore, cum caedes illae insignes iuberentur, nondum redierat, de quo dictum in Prooemio c. 6 et 7, ad huius vitae caput 2. Ceterum ad ea quae in Prooemio (c. 6 p. XIII) de Taciti 'praetoriae provinciae administratione vel alia legatione' dixi, nunc verbum addere placet. Scilicet Aegypto praefectum ipsum impo-

tui. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, 46
non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius, te immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatu decorabimus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum re-

5. *admiratione — decorabimus*] *admiratione te potius quam aemulatione decoremus* codex Ursini. *te immortalibus* a Lipsio est: codices *temporalibus*. 6. *aemulatu* Heinsius: *militum Γ* et (*militũ*) Puteolanus, *multum Δ*. *decorabimus* editor: *decoramus ΓΔ* et Puteolanus, *decoremus* vulgo.

situm fuisse a Domitiano per coniecturam colligo ex verbis H. IV 83: *origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant*, cet. Sed praefectus Aegypti si vere fuit, extra ordinem ea provincia commissa est: nam vulgo Aegyptum equites Romani, non viri senatorii, obtinebant, de quo lege II 59. H. I 11.

Cap. 46. *admiratione te potius, te immortalibus laudibus, et si natura suppeditet, aemulatu decorabimus:* formam *temporalibus*, ut est in libris scriptis et editis antiquis, resolve *te mporalibus*, tum supple *i* absorptum a *te* (*imporalibus*) et adhibita unius litterae correctione rescribe *immortalibus*. Sic iam Lipsius. Pronominis repetitio in loco affectus pleno perapta est. Mox in codicibus *militum* et *multum* inde natum, quod *aemulatu* vel *emulatu* in principio truncatum, *i* substituta pro *a*, perinde ut I 59 *hominum* pro *romanum* (*rominum*), remansit *mulitu*, idque pro *militũ* aut *multũ* esse recentior scriba credidit. Nomen ipsum quamquam alibi apud Tacitum non invenitur (vid. annot. ad XIII 46), nihil habet offensionis. Nam ut pro vulgato tritoque vocabula *relationis* elegit *relatum* XV 22, H. I 30, G. 3 (cf. ad XV 22), sic nova conquirens nunc *aemulatum* pro *aemulatione* admisit. Aemulationis erga socerum commemoratio mitigatur illatis *si natura suppeditet*. Mox *decoramus*, ut est in codicibus et antiquis editionibus, expleta media syllaba restituo *decorabimus*. Quod nunc vulgo scribitur *decoremus*, ex codice Ursini ab editoribus receptum est. Ceterum haec de se uno dicit Tacitus, cui soli conveniunt laudes immortales et aemulatus. Laudes cogitavit et significavit eiusmodi quas in hac vita et in Historiis mox edendis propositurus erat. Idem magni viri spiritus et ingenui hominis professio redit in fine: *Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.* Ad filiam Agricolae et uxorem in proximis Tacitus regreditur.

faciemque ac figuram animi: *facies* de vultu, *figura* de tota forma animi capienda (*Antlitz und Gestalt des Geistes*). Restitui *faciemque* pro *famamque*, quod neque ceteris convenit neque apte cum verbo *complectantur* iungi pot-

volvant, faciemque ac figuram animi magis quam corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus quae marmore aut aere finguntur, sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

1. *faciemque* editor: codices *famamque*, Muretus et Acidalius *formamque*.

est. Nam *famam animi* complecti eius quocum magnam vitae partem vixerunt, filia et uxor inepte dicuntur, et magis inepte *famam corporis*. In antiquo libro *faciēque* cum expressum esset, *c* et *i* sine puncto exaratum proximus scriba pro *a*, credo, accepit et *fāāque* (= *famamque*) esse opinatus est. Ut nunc *faciem ac figuram animi*, sic *formam ac speciem orationis* Tacitus composuit O. 19 et ex mea restitutione XIV 8 *aliam formam litori et faciem*. Muretus coniecit *formam ac figuram*, quae iunctura apud Ciceronem (de Orat. II 23, Finib. V 12, Tuscul. I 16) et Plinium (Paneg. 55) reperitur, apud Tacitum frustra quaeritur.

multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola — superstes erit: Tacitus haec scribens remotam a se posteritatem et longinqua tempora animo prospexit. Quae ubi advenerint, etiamtum Agricola superstes erit et in hominum memoria vivere perget, sed multos veterum a narratoribus minus commendatos et posteris traditos oblivio tunc obruet. Enuntiata contraria interno vinculo iuncta ex se invicem explicanda sunt: quippe *multi veterum* non solum illi sunt qui temporibus Taciti scribentis vitam soceri in hoc numero referuntur, sed etiam illi qui veteres nominabuntur, cum Agricola post longum annorum ordinem superstes erit. Sic tradita scriptura vindicanda mihi videtur, in cuius locum M. Hauptius (v. Mus. Rhen. nov. t. III p. 152 a. 1843) *obruit* reducendum existimat.

CORNELII TACITI

DE ORATORIBVS DIALOGVS.

BREVIARIVM LIBRI.

Cap. 1—15: praeparatio sermonis. Iusto Fabio saepe ex Tacito requirenti, cur, cum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, sua potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat, ita satisfaciendum hic putat, ut disertissimorum suis temporibus hominum sermonem repetat, quos ipse eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audirit (1). Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, venerunt ad eum Marcus Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum fori ingenia, cum ipsis etiam scriptor sermonis (2). Aper Materno carminum exprobrat nimium amorum, ipsum a Musarum commercio in forum retrahere cupiens: ille iudicem adesse Secundum laetatur, qui se vel in futurum vetet versus facere, vel sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensibus causis sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colat (3—4). Gratam adversandi occasionem nactus Aper eloquentiam oratoriam prae poesi laudat ab utilitate, voluptate, dignitate, propositis exemplis Vibii Crispi et Eprii Marcelli (5—8). Carmina autem et versus eodem iudice neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitate eos alunt; voluptatem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Accedit quod poetarum studium magis quam oratorum offensis obnoxium est (9—10). Contra Maternus dicit, quidquid in se notitiae ac nominis sit, magis carminum quam orationum gloria partum. Mittere se velle vanam causas orantium speciem, statum autem ac securitatem innocentia potius quam eloquentia defendi (11). Poetae magis et verius celebrantur quam oratores (12). Fortuna vatum et felix cum Musis contubernium superat inquietam et anxiam oratoris vitam (13). Intervenit Vipstanus Messala ac statim forensia sui temporis negotia et declamatorium studium oblique insectatur, veteres oratores multum praestare professus (14—15).

Cap. 16—23: novi oratores laudantur, antiqui postponuntur. Adversus Messalam et ceteros Aper suorum temporum eloquentiam defendere, veteres oratores incessere et irridere aggreditur. Qui primum nominis controversiam movet et nullo iure distingui novos oratores et antiquos conatur probare (16—17), tum mutari monet cum temporibus formas quoque et genera dicendi, nec statim deterius esse quod ab antiquo diversum (18). Cassius Severus, quem antiquorum admiratores velut terminum antiquitatis constituerunt, a vetere dicendi via deflexit non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum, sed iudicio et intellectu se ad aliud dicendi genus transtulit. Prior auditor et populus infirmitatem et impexam simplicitatem antiquitatis patienter tulit, mediocria laude prosecutus est et assensu: nunc illa pervulgata sunt omnia, iam novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat et severis iudicibus satisfaciat. Antiquis oratoribus cultus et laetitia huius seculi defuit. Sordes verborum, hians et iners compositio apud plerosque deprehenditur, etiam in Ciceronis orationibus (19—23).

Cap. 24—41: antiquorum eloquentia laudata, nova postposita. Apro respondet Messala et primum refutat ab illo exposita (24—25). Veterum oratorum simplicitas et vis praeferenda fucatis et meretriciis novorum ornamentis. Nova quae Cassius Severus invenit, vitia sunt, non virtutes, quamquam ipse insequentes oratores superavit (26). Messalam deflectentem a via admonet Maternus, ut causas cur eloquentia in tantum ab antiqua virtute recesserit, exponat (27). Messala ad rem quae agitur perveniens demonstrat tam eloquentiam quam ceteras artes a vetere gloria descivisse desidia iuventutis, negligentia parentum, inscientia praecipientium, oblivione moris antiqui (28—29). Nunc rethores in scholis eloquentiam prave tradunt, fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercentes. Antiqui infinito labore et quotidiana meditatione et plurimis artibus consecuti sunt, ut de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere possent (30). Ad hoc efficiendum intelligebant opus esse, ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur: orator enim quasdam artes haurire, omnes libare debet (31). Sic apud Graecos Demosthenes, sic Cicero olim studiorum cursum direxit (32). Cum finem fecisset Messala, Materno susceptum a se munus nondum visus est peregisse, sed quibus instrui veteres oratores soliti sint, postquam docuerit, differentiamque praesentis desidiae et inscientiae demonstraverit, reliquum esse ut exponat, quibus exercitationibus iuvenes iam forum ingressuri ingenia confirmaverint et alendo provexerint (33). Messala igitur expleturus quod restabat, de more vetere, quo iuvenes ad eloquentiam parandi ad eum oratorem deducebantur qui principem in civitate locum obtinebat, disserere pergit. Hunc illi sectabantur, huius omnibus dictionibus tam in iudiciis quam in contione interesse assuesce-

bant. Ita nec praeceptor deerat, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret, nec adversarii et aemuli, ferro, non rudibus dimicantes. Sic iuvenis ille oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum solus statim et unus cuicumque causae par erat (34). Nunc adolescentuli deducuntur in scenas scholasticorum qui rhetores vocantur, ubi et locus ipse et genus studiorum plurimum damni ingeniis afferunt (35).

Iam cum in eo esset Messala ut mala ex controversiarum et suasoriarum declamationibus redundantia persequeretur, oratio eius defectu codicum manu scriptorum nobis truncata est. Deest autem clausula orationis Messalae et principium alterius quam inchoavit Maternus. Maternus professus erat se consentire Messalae de veteris eloquentiae gloria et flore, sed diversas eius rei causas sese afferre.

Scilicet magna et nobilis eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Hoc antiquorum eloquentiam auxit et provexit. Cum obtinuit omnium rerum perturbatio, cum dominabatur extrema licentia, oratores summa consecuti sunt. Quae distrahebant rem publicam, eadem eloquentiam exercebant. Ad summa eloquentiae praemia etiam necessitas accedebat: nam mutum et elinguem videri deforme habebatur (36). Principes viri non viribus modo aut armis, sed ingenio quoque et oratione valebant. Plurimum eloquentiae praestabat splendor reorum et magnitudo causarum (37). Forma et consuetudo iudiciorum nunc veritati aptior, sed apud veteres eloquentiam magis excitabat. Causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, olim adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut nullius magni oratoris antiqui liber apud centumviros dictus legatur (38). Alia dignitati iudiciorum nunc adversa, paenulae circumstantium, auditoria et tabularia: olim concursu totius civitatis nobiles rei et accusati sunt et defensi (39). Iam vero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi ardorem ingeniis, faces oratoribus antiquis admovebant. Nimirum magna et notabilis eloquentia non probitate et modestia gaudet, sed est alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, quae in bene constitutis civitatibus non oritur (40). Etiam quod nunc superest antiqui oratoribus, forum, non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum est. Inter innocentes orator supervacuus, sicut inter sanos medicus (41). Amice disceditur (42).

Quo consilio et quando hoc de oratore colloquium a Tacito editum sit, in Prooemio (c. 4—5) disputatum est; ibidem refutare operam dedi temerarias de auctore dubitationes.

1 Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. Neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit, si idem adsequi non possumus, aut de iu-

CORNELII. TACITI. DIALOGVS. DE ORATORIBVS. INCIPIT. P. 1. *Iuste* superscr. *o* super *u* P. ad significandum vocativum *o* superpositum est et sic fere ubique in eodem casu. *cur cum* P: *cum* om F. 2. *floruerint* FP: *effloruerint* Vindobonensis. 3. *eloquentiae*] ultima litt. *e* ab alia manu P. 4. *appellemus* FP: correxit Puteolanus. 6. *qdvis* cum lin. in litt. *q* P. 7. *percunctationi* P. cf. annot. ad 4 17. 9. *existimandum sit*] *sit* adiecit Lipsius. *assequi* P.

Cap. 1. *Iuste Fabi*: communis fuit amicus Plinii minoris et Taciti adolescentis, ad quem Plinii epistolae scriptae I 11, VII 2, et cuius mentio facta est I 5. Num consul suffectus *L. Fabius Iustus* (a. 111) imperante Traiano idem sit, non constat. Cognomen nomini praepositum, non quo *Iustus* magis celebratum esset, sed quod allocutio sic melius et luculentius effertur.

vix nomen ipsum oratoris retineat: hoc si scriptum in Annalibus legerem, *oratoris* vocabulum ab aliena manu esse suspicarer: nam aut *ipsum* redundat aut *oratoris*, atque hoc alterum sine ullo detrimento eo magis abesse potuit, quod *oratorum* commemoratio et praecessit et statim subsequitur. Sed haec redundantia iuveni Cornelio condonanda videatur.

causidici et advocati et patroni: causidicus est qui in causis forensibus, h. e. privatis, consistit; ad easdem pertinet *advocatus* et *patronus: orator* et privatas et publicas sustinere potuit, idemque in curia et in contione partes agere solitus erat. Conf. Cicero de Or. I 46, Orat. 15. Quintilianus XII 1 25: *non enim forensem quandam instituimus operam, nec mercenariam vocem nec, ut asperioribus verbis* (cogitavit de Ciceronis *rabula* et *clamatore* de Or. I 46) *parcamus, non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant.*

ut — existimandum sit; sit omitti tunc potuit, si aut aliud gerundium eo verbo comitatum sequeretur, veluti *statuendum sit*, aut subiunctivus aliquis adiectus esset, verbi causa *credatur* vel *putetur*, unde notio suppressa suppleri posset. Sic G. 19: *ne ulla cogitatio ultra* (sit), *ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament;* H. III 56: *ut aspera* (essent) *quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet;* H. IV 34: *tamquam perditae apud Romanos res* (essent) *et suis victoria provenisset.* Adde ex Annalibus I 9 et 65. Ut nunc est, in enuntiato consecutivo *sit* iuste abesse nequit. Conf. annot. ad II 31, VI 35, G. 7, A. 34. Supplementum igitur a

diciis, si nolumus, vix Hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas sed probabiles causas adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine

1. *hercule* P. 5. *et record.* FP: *ac record.* antiquae editiones. 6. *suptiliter* P. 7. *diversas* editor: *diuersas uel easdem* P et ceteri. *afferrent* P. 8. *redderent* P. *iisdem — iisdemque* P, et sic semper. cf. annot. ad I 17. 9. *psequar* cum *p* caudato P, *prosequar* F: *p̨sequar* antiquae editiones.

Lipsio accipiendum, sed is erravit, cum ita in F exaratum esse prodidit, eo argumento credo a veritate seductus, quod ad contextum a se ante suppletum nihil ex F enotaverat, unde consentire eum perperam credidit. Nam vitium vetus esse et codici unico ex Germania in Italiam allato iam adhaesisse nunc liquet ex P.

iuvenis admodum: conf. Prooemii c. 2 et annot. ad A. 7.

cum singuli diversas [*vel easdem*] *sed probabiles causas adferrent:* 'has voces' (*vel easdem*) 'dele'. Muretus. 'Ego verba ea superesse censeo'. Lipsius. Non modo superesse, sed ab aliena manu profecta esse diu est cum affirmavi. Nimirum si tenentur, inepte succedunt verba *sed probabiles:* adversativa enim sententia id tamquam rarum et memorabile notat, causas a dicentibus prolatas quamvis diversas, tamen probabiles fuisse. Porro Tacitus in iustissimam reprehensionem incurreret, si personas induxisset easdem causas afferentes, eandemque rem bis vel ter exposuisset. Nihil tale legimus in sermonibus qui supersunt, nec Taciti ars admittit, ut in deperdita operis parte easdem corruptae eloquentiae causas propositas esse credamus, cum praesertim uno tantum loco (non loquor de hiatu paucorum vocabulorum) nonnulla interciderint. Conf. nota ad c. 35 et 40. Origo verborum ex dittographia. Scilicet qui codicem illum Germanicum scripsit, *diüsas*, h. e. *diversas*, tam obscure in exemplari expressum offendit, ut dubius esset sitne *diüsas* an *easdẽ;* hinc super versum addidit 'vel *easdem*', a proximo scriba ceteris perperam admixtum. *Diversas* auctor sermonis intelligit causas a Messala et Materno expositas, quorum prior artis oratoriae antiquae virtutem ex antiquis et bonis moribus ac disciplinae severitate, alter ex licentia et turbis rei publicae repetivit. Alios aliorum de hoc argumento sermones Tacitus non tradidit: nam quae Marcus Aper disseruit, ea demum verbis *neque enim defuit — antiquorum ingeniis anteferret*, denotantur. Eo magis verba *vel easdem* prorsus inania sunt. Delenda esse Muretus et Lipsius senserunt magis quam intellexerunt, certe sententiae causam non addiderunt.

dum formam sui quisque et ani-

disputationis. Neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata et inrisa vetustate nostrorum
2 temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret. Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum Marcus Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non utrosque modo

2. *irrisa* P qui sic solet. 3. *anteferrent* P. 5. *tanquam* P. *tragediae* P. 7. *haberetur* P: *habetur* F. 8. *.M. aper* P.

mi et ingenii redderet: singuli ante memorati fuere Messala et Maternus, nulli alii; itaque pronomine *quisque* alteruter eorum significatur, ac numerus multitudinis (*redderent*), quem ex P recepit Orellius, non apte subsequi potest, neque bene defenditur exemplis XII 43, XV 57. Is aut in codicem P aberratione Pontani aut iam in exemplar eius assimilandi vitio, cum proxime praecesserit *adferrent*, illatus est. Idem aberrandi genus in P etiam ad *anteferrent* pro *anteferret* paulo post pervasit. Ceterum observare velis, lector, ipsum Tacitum probe sibi conscium fuisse artis et virtutis imitandi, de qua dictum in Prooemio cap. 5 p. XII sq.

isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar: numeri pertinent ad formam disputationis, *rationes* ad argumentum. Nam tota disputatio dum per numeros quosdam decurrit iisque distinguitur, his forma sermonis constituitur. Aliter *numeri* dicuntur c. 32, ut monitum ibidem.

Cap. 2. *Curiatius Maternus:* de hoc v. Additamentum post finem huius sermonis. Alius est iuris consultus ille Hispaniensis, quem alloquitur Martialis X 37: *iuris et aequarum cultor sanctissime legum, veridico Latium qui regis ore forum, municipi, Materne, tuo veterique sodali Callaïcum mandas si quid ad Oceanum.* Cf. ad cap. 10, ubi Materno patriam fuisse Galliam ostensum est.

Marcus Aper et Iulius Secundus: prior non diu in urbe versatus est, ut colligere licet partim ex verbis *celeberrima tum ingenia fori*, partim inde quod a nemine nisi ab hoc nostro laudatur. Iulium Secundum cum honore memorat Quintilianus X 1 120—121 et 3 12—14, XII 10 11. Pater ei fuit Iulius Florus, *in eloquentia Galliarum — princeps* (Quintil. X 3 12). In Gallia nati etiam Aper et Maternus, ut liquet c. 10.

celeberrima tum ingenia fori: cum edidit sermonem Tacitus (Tito imperante; v. Prooemii c. 5), uterque iam in urbe non erat, Secundus immatura morte extinctus, Aper in provinciam Galliam, unde ortus, fortasse redierat. De Secundo Quintilianus X 1 120: *Iulio Secundo si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim atque adiciebat ceteris virtutibus suis quod desiderari potest. Id est autem ut esset multo magis pugnax, et saepius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum*

studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem, quamvis maligne plerique opinarentur nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem 3
ipsumque quem pridie recitaverat librum intra manus habentem deprehendimus.

1. *assectabar* P. *assectabar. mira* distingui in P falso narrat Orellius, deceptus vitio editionis Trossianae. 6. *lrīs* P. idem mox *lrās* pro *litteras*. 8. *omni* ΔF : P *cum*. cf. c. 13. 9. *cōtēndebat* subnotato *d* P. 11. *inniti* super *in* scripto *ad* P. 13. *ipsumque, quem* censor ed. Waltherianae in diar. Lips. 1833 n. 288 et Haupt in Philologo a. 1846 p. 587 : codices *ipsum quem*.

interceptus quoque magnum sibi vindicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando quod vellet gratia, tam candidum et lene et speciosum dicendi genus, tanta verborum, etiam quae assumpta sunt, proprietas, tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia.

utrosque: cf. annot. ad XI 1.
in publico: cum in publicum egressi sunt.

arcana semotae dictionis: h. e. quae semoti a ceteris nonnisi apud familiarissimos proferebant, veluti suam de re publica administranda sententiam, de principe, de potentibus, de studiis patrum iudicia. Orellius dum scribit 'sed hanc expositionem nequit admittere v. *dictio*, qua ut c. 34 significantur orationes iudiciales vel declamationes', oblitus est probe discernendum esse inter *dictiones* et *dictionem:* etenim *dictiones* sunt orationes, *dictio* omne quod dicitur.

purus et pressus — sermo: purum sermonem obtrectatores in Secundo, quod natus erat in Gallia, facilius desiderabant, barbara quaedam et peregrina deprehendentes, ut Asinius Pollio Tito Livio Patavinitatem vitio vertit. Haec ipsa fuisse coniecerim quae Quintilianus *ex periculo petita* designavit. *Pressus* sermo unde amotum, quidquid superfluum est.

Aper omni eruditione — inniti videretur: Tacitus adolescens Ciceronem ducem sequitur, qui de Or. II 1: *sed fuit hoc in utroque eorum ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore*

Tum Secundus, Nihilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? An ideo librum istum adprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?

Tum ille, Leges quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quae audisti. Quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.

Adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus

3. *apprehendisti* P. *retrectares* P. 7. *tu, quid* P et tres Vaticani: F *quid.* 8. *emisit* litt. *e* ab alia, ut videtur, manu superscr. *o* P, *misit* F. 9. *Thiestes* P. *tragediam* P, ut fere solet. 10. *iste* P. 14. *causarum* P: alii *curarum*, qui error ortus ex scriptura *cãrum.*

censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur. Idem recens a lectione Ciceronis, initium huius capitis scribens (*nam postero die quam — venerunt ad eum*), ea videtur respexisse, quae in primo libro *de Re publ.* c. 9. Cf. annot. ad c. 5.

Cap. 3. *ipsumque quem pridie — intra manus habentem deprehendimus:* enclitica *que* (*q;*) ante proximum pronomen *quem* (*quē*) omissa est et oblitterari facillime potuit. In tradita per codices scriptura (*sedentem ipsum quem*) Romanus lector, cui deerat adminiculum interpunctionis notis expressae, *ipsum* Maternum accipere debuit, sed tum in proximis structura verborum haerere coepit, cui succurrere Lipsius voluit ascita Romanae editionis coniectura *ipsum et quem*, sed sic Maternus et liber eius sinistre componuntur. Statim *intra manus* nove dictum pro vulgari *inter manus*, ut est III 16.

sed tamen securiorem: qui auctori minus curarum excitet. Cf. H. I 1: *principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui.*

quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quae audisti: qualem cives sui adhuc cognitum habuerint, h. e. poetam libere loquentem, talem perseverare se debere, si probi et constantis viri famam sustinere velit, profitetur. Tum dicit non securiorem Catonem evulgatum iri, immo fore ut Secundus locos fortiores et audentius adversus potentium libidinem compositos inter legendum agnoscere possit tales, quales audiendo acceperit.

modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina, Graecorum fabulis adgregare.

Et Maternus, Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens 4
et adsidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare et insequi poëtas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poëticae exerceo. Quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat ut omissis forensium causarum angustiis,

1. *thiestem* P. 3. *suffeceris* FP: alii *sufficeres.* 4. *negocium* P. 5. *noĩa* P. *graecorum* P: F et alii *Graeculorum.* 6. *aggregares* cum ceteris P: correxere Muretus et Pithoeus. 8. *assidua* P. 10. *obiicis* P. 13. *iampridem* P. 14. *autoritate* P. *causarum* FP: *musarum* editiones veteres.

ecce nunc circa Thyestem: non sine miratione sese audisse Aper fatetur Maternum in eo esse ut novam fabulam componat.

Domitium et Catonem: Domitius est cui post adoptionem Neronis cognomentum additum quique mortuo Claudio Caesare ad imperium accessit. De hoc et ceteris Materni fabulis conf. Additamentum post finem huius sermonis.

adgregare: codicum scriptura (*aggregares*) post proximum *importasses* assimilandi aberratione emersit.

Cap. 4. *et Maternus: et* in principio enuntiati positum inservit responsioni introducendae. Sic c. 16 *et Messala*, c. 33 iterum *et Maternus.* Cf. c. 28 *tum Messala.*

patrocinium defendendae adversus te poëticae: una in re, dicit Maternus, desidiam advocationum iniuria tu mihi obiicis: nam poëticam quotidie patronus vel advocatus eius adversus te defendo.

forensium causarum angustiis: angustis finibus causas privatorum circumscriptas, poëtae spatiosum et amplum agendi campum propositum esse significat.

Cap. 5. *ut in iis cognitionibus se excusent:* pronominis una littera a praegresso nomine *cognitionibus* altera a proximo verbo *excusent* absorpta est. Novi editores, nominatim Doederlinius et Orellius, pronomine se carere posse opinantur, provocantes ad A. 42 *audiit preces excusantis.* Sed participium nominis substantivi vicem implet (ὁ παραιτούμενος), ut evitetur nomen insolitum et a bonis auctoribus non usurpatum *excusatoris*, atque hinc pro ceteris eius verbi formis perinde ponendis nihil praesidii

in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.

5 Ego vero, inquit Secundus, antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. Quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et adsiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poëtam? Porro si poëtica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poëticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi:

1. *mihi satis* P: *satis mihi* editiones veteres. *illam* F et alii: P *istam.* 4. *moderati* P et Vaticanus 1862: alii *modesti.* 5. *his* P: *iis* F. *se* additum a Pithoco. 7. *assiduitate* P qui ita solet. 8. *Galerium* litt. *G* superscr. *S* et in mg. ab al. m. *Saleium* P. idem mox *Salerius.* 10. *alius* P: F *alium.* 13. *ego*] *et ego* FP (repetito *et* ex versu praeced.): correxit Pithoeus. *arbitrum* superscr. ab al. m. *trium* P. 14. *inueniri* FP: *inveni* Pithoeus. *societate* P, in mg. *solicite*, ut est in edit. antiquis. *plurimum* P: *plurium* F (si recte vidit Lipsius) et Pithoeus.

peti potest. Sic Suetonius Aug. 35, ubi legimus *quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis*, priore loco *se* addidit, ut postulabat usus linguae, sed altero eodem carere potuit. Idem de Tacito dicendum. Et hoc loco *se* eo minus abesse potuit, quod *se excusare* contrarium respondet priori *iudicem recusare.*

Saleium Bassum, — *absolutissimum poëtam*: hoc loco amicum et contubernalem Secundum de Basso paulo benignius sentientem Tacitus induxit, infra (c. 9) Aper non sine aliqua irrisione dicit *quis Saleium nostrum, egregium poëtam vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat?* Itaque colligere noli Tacitum discrepasse a iudicio Quintiliani X 1 90: *vehemens et poëticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturuit.* Iuvenalis VII 80: *at Serrano tenuique Saleio* (pauperem poëtam Vespasianus donavit, ut Tacitus narrat c. 9: *tenuis* enim pauper est h. l., non qui tenui spiritu poëtico) *gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?* Saleius ille, quem Martialis memoravit III 47 et 58, V 24, VIII 10, ab hoc nostro diversus fuit, idem vero ad quem scripsit V 53.

securus sit cet.: hinc accusare poëticam incipit Aper et laudare oratoris eloquentiam (c. 5—10), cui mox respondet Maternus suscepto poëticae patrocinio. Qua in re Tacitus simile exemplum se-

sed ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, asciscere necessitudines, complecti provincias possit, omittit studium quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam inlustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et quadam velut

1. *ipsum* ab al. m. superscr. *et* P. *vos* Lipsius: P cum ceteris *eos*. 2. *parere* FP, non *parare* ut in editis antiquis. 3. *assciscere* P. *necessitates* superscr. ab al. m. *nationes* et lineola superinducta litteris *ion* P: *necessitudines* ΔF. 4. *amitti* FP: *omittit* Rhenanus. 6. *pulcrius* P. 7. *illustrius* P, ut solet. 8. *fataque per nostra* F, non P. 11. *feras* tacite Lipsius: codices *ferat*. *quadam uelut* P: *velut quadam* antiquae editiones.

cutus est, quod in Hortensio Cicero praeiverat. Nam ibi cum Hortensius philosophiam impugnasset atque eloquentiam oratorum laudasset, Cicero philosophiae partes suscepit eiusque dignitatem prae arte oratoris vindicavit, id quod ex fragmentis illius libri colligi potest. Hortensium Ciceronis Tacitus ipse memoravit c. 16.

omittit studium: lectionem *amittit* corruptam esse ex iis liquere puto quae dicta sunt ad XIII 26.

ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius: est Ciceronis dicendi genus, quo accusativus nominis substantivi cum adiectivo cognatae significationis per *ad* iungitur. Cf. Handii Turs. I p. 106.

qua semper armatus — feras, ipse securus: librorum scriptura (*ferat*) tunc teneri posset, si verba *qua semper armatus — ferat* valerent *qua quis semper armatus — ferat*, id quod secus est: immo *semper armatus* cum denotat *qui semper armatus est*, et sic *semper* redundat: auxilium enim et sibi et aliis ferre potest qui *armatus est eloquentia*, non is tantum qui *semper armatus est eloquentia*. Eloquentiam esse quasi perpetuam armaturam, id sic demum exprimitur, cum subiectum aut adiicitur, veluti *quis*, aut dilucide indicatur, ut fit restituta persona verbi secunda (*feras*). Hoc autem duobus aliis argumentis verum esse approbatur. Nam in proximo enuntiato et huic persimili habemus *quo propugnare pariter et incessere — possis*, non *possit*, tum in verbis Ciceronis, quae Tacitus imitando respexit, perinde altera persona (*possis*), non tertia, dico de Or. I 8: *quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis vel provocare improbos vel te

perpetua potentia ac potestate munitus! Cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum praesidio et tutela intellegitur: sin proprium periculum increpuit, non Hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere vel in iudicio sive in senatu sive apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? Qua accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror.

2. *profugio* superscr. ab al. manu *p̄sidio* P, *perfugio* ΔF. *intellig.* P. 3. *increpuit* superscr. *irrepat* P. *lorica et gladius* Seebodius: *loricae gladius* FP, *lorica aut gl.* Rhenanus. 6. *uel* P: *sive* F. 7. *eprius* P: F *prius.* 8. *qui* cum ceteris P: *qua* Ursinus et Acidalius.

ulcisci lacessitus? Vitium *ferat* hinc ortum, quod in antiquis codicibus post id verbum plena distinctio prave posita est. Sic est in P et antiquioribus editis exemplis. Vera revocata distinguendi ratione, pronomen *ipse* et collocatio verborum (*ipse securus*, h. e. *tu ipse securus*) veriorem viam ostendit. Nomen *metus et terror* perinde iuncta A. 32, ubi v. annot.

perpetua potentia ac potestate (*Einfluss und Machtfülle*): cf. annot. ad H. I 1.

aliorum praesidio et tutela: eloquentis res si prospere fluunt, is non alios lacessere solet, sed contentus genere dicendi gratioso ceteros *praesidio suo tuetur.* Hoc synonymis *praesidio et tutela* expressit. Quod idem nomen in enuntiato contrario iterum usurpavit (*praesidium simul ac telum*), hoc consulto factum est: quippe oratori alios tuenti eloquentia nihil est nisi *praesidium* (*Schutzwehr*), se ipsum defendenti *praesidium simul et telum* (*Wehr und Waffen*). Altera scriptura (*aliorum perfugio et tutela*) oppositorum relationem modo expositam turbat, genitivum subiectivum qui dicitur (*aliorum perfugium*) et obiectivum (*aliorum tutela*) sinistre iungit; postremo (et hoc prae ceteris tenendum) non id dici attinet quid *alii* faciant sive quo alii perfugiant, sed quid disertus ipse praestare ceteris possit. Corruptela nata est ex *p̄sidio* perperam soluto *prosidio*, et tum prave correcto *profugio*, mox in recentioribus libris *perfugio.*

nuper Eprius Marcellus: 'Hist. 4 43 narratur res, quae hoc loco respicitur'. Orellius. Cave credas: ibi enim infestis patribus non eloquentiam opposuit Marcellus, sed una et invidiosa voce adversarios compescuit. Haec potius respiciunt certamen H. IV 6 narratum: *ut Galbae principatu rediit* (Helvidius Priscus), *Marcellum Eprium delatorem Thraseae accusare adgreditur. Ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat: nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, et egregiis utriusque orationibus testatum.*

Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? illos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere? Iam vero qui togatorum comitatus et egressus! Quae in publico species! quae in iudiciis veneratio! Quod gaudium 6

1. *iucunditatis* P. 7. *non off.* P: ceteri, ut videtur, et editiones antiquae *neque off.* *administrationis* F. 8. *istos* P. *imo* P. *et potentes* om editiones antiquae. 12. *suma* P. *rerum omnium* FP: *omnium rerum* editiones antiquae. 15. *qd* (cum lineola per *d*) *id* P, *quod id* F et ceteri: *quod* editio princeps.

Cap. 6. *officii alicuius administrationi*: h. e. muneri alicui publico a te administrato: nam *officium* (*Dienst*) nomen est magis generale quam *munus*. Cf. A. 14: *per quae fama aucti officii quaereretur*; 19: *officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere.* XI 11: *magistratus potissimum exequebantur officia caerimoniarum.*

orbos et locupletes et potentes: orbi sunt qui valent orbitate, ut locupletes pecunia, potentes gratia et amicitiis. Conf. annot. ad III 25.

homines veteres et senes (*alte und graue*): *veteres* dicit qui diu vixerunt, *senes* qui pervenerunt ad senectutem.

qui togatorum comitatus et egressus: *togati* memorantur, quia iudiciis adesse cum toga iuxta morem maiorum solebant. Cf. annot. ad Agr. 9. Non recte Orellius: 'togati h. l. tamquam honestiores opponuntur *tunicato populo* (c. 7)'; — 'homines igitur satis conspicui comitantur oratorem in forum vel usque ad curiam, rursusque eum domum deducunt e basilicis vel inde a limine curiae (*egressus*)'. Ne hoc quidem verum est, *egressus* spectare ad curiam: Aper enim loquitur de causidico vel advocato vel patrono, h. e. causarum privatarum patrono. Nomen *egressus* pertinet ad eos qui domo in forum egrediuntur, ut in iudicio assint, dum *comitantes* oratorem sectantur, simul atque domo egredi coepit.

quemcumque orator induerit: si orator irascitur, miseratur, gaudet, eosdem affectus accipere solent audientes. Orator sponte et artis praescripto *induit* affectus,

consurgendi adsistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum, et circumfundi coronam, et accipere adfectum quemcumque orator induerit! Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo: illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. Sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia; sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est. Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gra-
7 tiora tamen quae sua sponte nascuntur. Equidem, ut de me ipse fatear, non eum diem laetiorem egi quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime

1. *ass.* P, ut solet. *et in* FP: *in* editiones veteres. 2. *coram* cum ceteris P: correxit Acidalius. 3. *quemcumque*] *quădocuq;* P, in mg. *quacunque:* F *quemcunque..* *induerit* scripto *x* super *u* P. 5. *ipsis orantibus* pr P, corr ab al. m. *ipsi oranti.* 6. *profert* P: *perfert* F, alii *adfert.* 8. *animus* cum ceteris P: correxit Pichena. 9. *solicitudo* P. 11. *nam ingenio* FP, sed in P ab al. manu superscr. *in,* quod ex coni. supplevit Acidalius, item Pithoeus. 12. *alia* om F, non P. 14. *ipse* P: *ipso* F.

ceteri accipiunt ignari hoc velle et moliri oratorem. Cf. annot. ad H. IV 57.

vulgata dicentium gaudia: vulgata (*bekannt gewordene*) gaudia non sunt *vulgaria,* ut accepit Orellius, illud tamen exquisitius dici existimans, sed quae a vulgo cognita sunt: opponuntur statim *secretiora.*

novam et recentem curam (*eine neue und frische Arbeit*): *nova* est quae nuper composita, *recens* quae natura sua vel specie probat novam se esse. Conf. c. 8: *libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor.* H. IV 65: *donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur.* Vocabulum *cura* id significat quod cura efficitur, h. l. orationem; nos Germani dicimus *eine Arbeit.* Sic c. 3: *dimissa priore cura.* III 24: *si — plures ad curas vitam produxero;* IV 11: *quorum in manus cura nostra* (Annalium opus) *venerit.*

extemporalis — temeritatis: cf. Quintiliani X 6 6: *alioqui vel extemporalem temeritatem malo quam male cohaerentem cogitationem.* Ut Tacitus iucunditatem facultatis ex tempore dicendi laudavit, ita utilitatem Quintilianus X 7 1 celebravit.

Cap. 7. *latus clavus oblatus est:* h. e. in numerum senatorum (qui *laticlavii*) receptus sum.

in civitate minime favorabili natus: Aper in Gallica quadam ci-

favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis aut reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod, si non in aliquo oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit. Quid? fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est, qui inlustres *et in cetero orbe terrarum* et in urbe

1. *praetura* F, non P. 4. *cām* P. *foeliciter* P. 7. *abire* cum ceteris P: *habere* Muretus. 8. *aliquo* editor: codices *alio*. *nec codicillis* superscr. *in* ab al. m. P. 10. *qui inlustres et in cetero orbe terrarum et in urbe* editor: *qui non illustres et in urbe* FP (in P superscr. ab al. m. *apud* voci *illustres*).

vitate natus erat, ut liquet ex c. 10. Civitatem suam et patriam appellat *minime favorabilem*, h. e. cui minime favetur a Romanis. Conf. annot. ad II 36. Activam vocis significationem (*empfehlend*) sine idonea causa statuit Doederlinius. De re cf. XI 23.

apud centumviros causam aliquam feliciter orare: centumviri dicti non quod centum ipsi viri, sed centum quinque temporibus liberae civitatis, tres ex quaque tribu. Idem nomen permansit, postquam numerus eius iudicii auctus et ad centum et octoginta, quem apud Plinium Epist. VI 33 relatum reperimus. Ad centumviros eae causae delegabantur in quibus non de facto sed de iure quaerebatur, id quod saepe accidit in re hereditaria et in querela *inofficiosi testamenti.* Quintilianus IV 2 5: *cum de re constat, de iure quaeritur, ut apud centumviros, filius an frater debeat esse intestatae heres, pubertas annis an habitu corporis aestimetur.* Adde Ciceronis de Or. I 38. In causis forensibus sub principibus primum obtinebant locum, ante hoc tempus parum illustres, ut infra monetur c. 38. Exposuit de hac re C. G. Zumptius in dissertatione (*über Ursprung, Form und Bedeutung des Centumviralgerichts in Rom*) Berolini edita a. 1838.

si non in aliquo oritur: librorum vitium nunc certa ratione correctum ex nota *aliq̊* pro *alio* prave accepta me iudice nata est. *Oriri*, id est sponte provenire et nasci, opponitur ei quod dari concedique potest. Aliorum in h. l. conamina haec notavi, Freinshemii *non in animo*, Pithoei *non in alvo*, Clerici *non in alieno*, Lipsii *non in atrio*, Seebodii *non in ingenio*, Dübneri *non ingenio*, Doederlinii *non in natali oboritur*, Bernhardyi (Encyclop. Philolog. p. 134) *sine nomine alieno.*

nec codicillis datur nec cum gratia venit: codicilli munus vel donum a Caesare datum notant (cf. A. 40), gratiae nomen de quovis potente vel divite accipiendum.

qui inlustres et in cetero orbe terrarum et in urbe non solum: particula *non* per aberrationem scribentis (non per dittographiam)

non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud vacuos et adolescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? Quos saepius vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat? Advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut
8 agnoscere concupiscunt. Ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis

1. *nō solum apud negociosos*, voculis *nō* et *apud* subducta ab al. manu lineola, P. 2. *uacuos* P: celeri *iuvenes*. *modo recta* P, superscripto v. *modo* ab al. m. *mo2⊥* (= morum) et super *recta* Pontani manu addito *et:* F *modo recta et*. 3. *quorum nō prius*, voci *nō* superscr. ab al. m. *nomina*, P. post *quorum* inseruntur et suppositis punctis delenda notantur *et quorū nō prius*. 4. *uulgus q̃q; imperitum* P. 5. *uocat* superscr. ab al. m. *notat* P. 7. *uelut* FP: *vultus* Puteolanus. 9. *e propum* punctis subnotatis et superscripto ab al. m. *eprium* P: F *proprium*. *bibium* P, *vibum* F. 10. *obliteratis* P.

ex proximo versu in priorem ante v. *inlustres* male repetita est, quod eo facilius accidere potuit, si in ἀρχετύπῳ prior versus haec continebat *inlustres et in cetero orbe terrarum et in urbe*, alter a verbis *non solum* incipiebat. Iam post *inlustres* nonnulla intercidisse et manca sententia et structurae vitium ostendit. Eum defectum probabiliter explere conatus sum et supplementum in contextu verborum collocavi, ea ductus ratione quam in Prooemio p. LVI exposui. Scribentis oculi a priore *et in* ad proximum deflectere facile potuerunt.

apud vacuos et adolescentes: vacui, h. e. otiosi, componuntur cum iis qui rebus intenti, *adolescentes* cum negotiosis: negotia enim plerumque ab adolescentibus non tractantur.

vulgus imperitum et tunicatus hic populus: denotat sordidam populi partem a re publica alendam; v. annot. ad H. III 58. Qui etiam in publicum egredientes non toga, ut cives honesti, sed nonnisi tunica vestiti conspiciebantur. Horat. Epist. I 7 65: *Vulteium mane Philippus vilia vendentem tunicato scruta popello occupat.* Pronomen *hic* cum contemptu perinde positum A. 43: *hic aliud agens populus.*

advenae quoque et peregrini: nomen *peregrini* h. l. non exprimit statum civilem (nam incolae municipiorum et coloniarum cives Romani erant, non peregrini), sed eos qui peregre in urbem venerunt.

ac velut agnoscere: tales agnoscere volunt quales fama et cogitatione animis suis informarunt.

Cap. 8. *Crispum Vibium:* de hoc cf. annot. ad H. II 10, IV 43. De facundia eius Quintilianus X 1 119: *Crispus compositus et iucundus et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior.*

exemplis utor) non minus esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Nec hoc illis * *, alterius ter milies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, sed ipsa eloquentia; cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus seculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem inlustriora exempla sunt, quod sine

3. hiatum indicavit editor. *millies* P. 5. *sed* a Pithoeo suppletum et Lipsio: om FP. *ipsa eloquentia* in P punctis subnotata. 6. *hominibus* F, non P. *quam* FP: *quantam* editiones antiquae. 9. *haberemus* syll. *re* punctis subnotata ab al. m. P. *quosque* F. 10. *angustiae rerum* Lipsius: *angustia ereptū* superscr. ab al. m. *parentum* P, *angustia ereptum* F, *angustia rerum* Puteolanus. 12. *ill.* P, ut solet.

non minus esse in extremis partibus terrarum: esse significanter positum pro *versari* vel *vivere*.

quam Capuae aut Vercellis: si Tacitus etiam in parvis rebus curam adhibuit, Marcellus Capuae natus est, Crispus Vercellis, Apri ex Gallia oriundi popularis.

*nec hoc illis * *, alterius ter milies sestertium praestat:* utriusque opes significatas esse proxima commonstrant *quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse.* Sed quod Lipsius explevit *alterius ter millies, alterius bis millies*, putidae diligentiae reprehensionem effugere nequit et variationem Taciti propriam parum sapere videtur. Ego fuisse crediderim *nec hoc illis* alterius opes, *alterius ter milies sestertium praestat*, ut Marcelli divitiae, magnae quidem sed civilem modum non multum egressae, generatim et indefinite, Crispi ingens pecunia (cf. XIV 28, H. II 10) accuratius et summa eius definita indicarentur. Nam *ter milies* solitum in opibus raris et ingentibus: XII 53: *libertinus sestertii ter milies possessor;* XIII 43: *qua sapientia — intra quadriennium regiae amicitiae ter milies sestertium paravisset.* Erant 53,079,679 Fran. Gall., ut rationem subduxit Letronnius *Considérations génér. sur l'évaluation des monnaies Gr. et Rom.* Paris 1817 p. 85.

sed ipsa eloquentia: sed proxime post *venis-se* absorptum esse in libris manuscriptis non mirum. Id autem cum deesset, ille qui punctis subnotavit verba *ipsa eloquentia* in codice Leidensi, quid iis faceret non reperiebat.

cuius numen et caelestis vis: numen generatim h. l. dicta est caelestis vis, quatenus propitia mortalibus suggerit et concedit quae hos iuvare possunt: nos Germani dicimus *Gnade.* Synonymorum cumulus in verbis Apri praecipue

commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis, ac donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit, ceteros quidem amicos suos iis niti quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negle-

1. *siue* F. 2. *permultos* FP. 3. *ac* P: *et* F. 7. *intelligit et* FP: *et* expunxit Puteolanus. *coeteros* P, ut solet. *his niti* superscr. ab al. m. *iis* P, *iis niti* F: *niti* editiones antiquae. 8. *ipsis* FP: correxit Lipsius. 11. *optinent* P. 12. *inimagines* F. *neglig.* P. cf. M[a] 12 45, H. 3 38.

et interdum usque ad offensionem conspicuus pertinet ad naturam eius oratoris a Tacito imitatione expressam.

paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt: dum *angustias rerum* et *paupertatem* iungit, fortasse respexit Horatii Carm. III 2 1: *angustam amice pauperiem pati — puer condiscat.* Idem simile imagine Carm. IV 3 1: *quem tu, Melpomene, semel nascentem placido lumine videris.*

sine substantia facultatum: Graece convertas *ἄνευ οὐσίας προσόδων* vel *πόρων*. Conf. Prooem. p. XXXIV. *Substantia* (*ὑπόστασις*, *ὕπαρξις*) pro *opibus* etiam ab aliis argenteae aetatis auctoribus dicitur, sed *substantiam facultatum* qui iunxerit, praeter unum illum in Prooemio indicatum, vix inveniatur.

agunt feruntque cuncta: suo arbitrio cuncta moderantur, sed haec sententia fortius expressa est ab oratore studioso metaphoricae dictionis, qui translatum a tempestate ad homines potentes accommodavit. Inest simul tecta Vespasiani principis reprehensio, de qua dictum in Prooemio c. 5. Eadem vituperatio paulo fortior redit c. 13. Mala Marcelli sub Vespasiano potentia praenuntiatur H. II 95: *donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.*

quia Vespasianus, venerabilis senex — accipi possit: haec adduntur ut praegressa vituperatio mitigetur, idque fecisse Tacitum, ne Titus Vespasiani filius offenderetur, conieci in Prooemio c. 5. *Patientissimus veri* Vespasianus vocatur, quod verum pretium Crispi et Marcelli agnoscit, neque moribus eorum deterretur, quo minus eos cum reverentia quadam diligat.

imagines ac tituli et statuae: duo iungit, ius imaginum in atrio ponendarum dignitate curuli impetrari solitum, tum statuam cum inscriptione (*titulo*) basi impressa. Conf. Horatii Carm. IV 8 13: *incisa notis* (h. e. titulis) *marmora publicis.*

neque ipsa: h. e: *ne ipsa quidem;* cf. annot. ad II 82.

guntur, tam Hercule quam divitiae et opes, quas facilius in-
venies qui vituperet quam qui fastidiat. His igitur et hono-
ribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum
videmus qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et
oratorio studio dederunt. Nam carmina et versus, quibus 9
totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit
oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant ne-
que utilitate eos alunt; voluptatem autem brevem, laudem
inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, et
quae deinceps dicturus sum, aures tuae, Materne, respuant,
cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte lo-
quitur? Quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit?
Quis Saleium nostrum, egregium poëtam vel, si hoc honorifi-
centius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat aut
prosequitur? Nempe si amicus eius, si propinquus, si deni-
que ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum
recurret, aut ad te, Materne, non quia poëta es, neque ut

3. *refertas* P. 4. *ab ineunte aetate adolescentia* F, non P. 7. *autoribus* P. 8. *utilitate eos* editor: codices *utilitates*. 10. *deinceps* P: *deinde* editiones antiquae. *maternae* F. 13. *Coeleium* P. 15. *amicus est* P: *amicus eius* F. 16. *negocium* P.

qui vituperet quam qui fastidiat: cf. XIII 43. *domos eorum:* v. annot. ad A. 21.

Cap. 9. *neque utilitate eos alunt:* locutionem *alere utilitates*, ut in codicibus scribitur, Gutmannus in dissertatione ab Orellio olim edita pag. 108 novam et inusitatam appellat et inter indicia enumerat, quibus probetur dialogum a Tacito non scriptum esse: ego eandem dico huic loco ineptam et corruptam. Nam cum Aper omnem utilitatem carminibus abiudicet, quomodo dicere potest, non ali sive augeri carminibus utilitates? Immo hoc Aper dicit, *carmina et versus neque dignitatem ullam auctoribus afferre neque utilitatem* (pecunias); sed hoc posterius *neque utilitatem* orationem variando elocutus est per *neque utilitate eos alunt.* Adversus haec a me olim notata monuit Orellius *alere* pro eo quod est *augere* dixisse Quintilianum, numerum autem multitudinis *utilitates* apud Ciceronem reperiri et Tacitum ipsum, de quo neque ego neque alius unquam dubitavit. Vides, lector, ab Orellio difficultatem loci ne sentiri quidem, nedum removeri. Non enim de *augendis* utilitatibus sermo potest esse, ubi nullas esse nullasque effici affirmatur. Ex *utilitate eos* vitium librorum ita natum est, ut litterae *eo* a priore vocali haurirentur, reliqua (*s*) praecedenti vocabulo adiungeretur.

si amicus eius: pro *eius* in P

pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium extruit et subsellia conducit et libellos dispergit. Et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adice quod poëtis,

8. *ista* P. 9. *percepta* P: F *praecepta*. 14. *pulcrum* — *pulcrius* P, idem ante in hoc capite *pulchri*. 16. *suum ingenium* cum ceteris P: correxit Lipsius. 17. *libertatem* cum ceteris P: correxit idem. *adiice* P, ut solet.

legitur ẽ (= est). Inde cognoscimus in exemplari Germanico fuisse compendium ambiguum inter *eq* (= eius) et ẽ (= est). Orellius *eius* non bene omisit.

hi enim Basso domi nascuntur: est locutio proverbialis, de re poni solita quam quis solus et sine molestiis perficere potest (Cic. ad Fam. IX 3, Acad. II 25). Cf. annot. ad XIII 42 extr.

libellos dispergit: *libellos* accipe invitationum in quibus de argumento nonnulla exposita vel significata essent. *Codicilli* vocabantur, si invitatio brevibus epistolis peragebatur. Plinius Epist. III 18: *cepi autem non mediocrem voluptatem quod, hunc librum* (Panegyricum Traiani) *cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed 'si commodum esset' et 'si valde vacaret', admoniti — per biduum convenerunt.* Ceterum Taciti verba absolutissimam recitationum imaginem praebent. Conf. Iuvenalis VII 35—97. Plinius Epist. I 13, II 14.

velut in herba vel flore praecepta: h. e. immatura ante iustum tempus praecepta. Herba et flos perinde iunguntur II. V 7. Theodisce interpretare *am Kraut oder an der Blüte.* De composito verbo *praecepta* v. annot. ad II. III 65.

se ipsum colere, *suum genium propitiare*: genium propitiamus sive propitium facimus, cum ei indulgemus eumque curamus; sed qui genium suum curat, se ipsum curat et colit. Verum *se ipsum colere* quamquam interpretamentum

si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, et ut ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem, recedendum est. Ne opinio quidem et fama, cui 10
soli inserviunt et quod unum esse pretium laboris sui fatentur, aeque poëtas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poëtas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? Atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi

3. *et ut* P: *utque* editiones antiquae. 5. *inserviunt* — *sequitur* editor: P *seruiunt* — *insequitur*. *sequitur* etiam in editionibus antiquis et, si credendum silentio, F. *precium laboris* P: *pretium omnes laboris* F. 6. *aeque*] *atque* FP: correxit Puteolanus. *mediocris* FP, non *mediocres*. 8. *nedum* P: F *medium*. 10. *loquar* FP: alii *loquamur*. 11. *Salerium* P, *Saltim* F. *ut semel* Acidalius: P cum ceteris *et semel*.

est eorum quae sequuntur *suum genium propitiare*, ubertati tamen Materni a Tacito imitatione expressae convenit, ut idem primum vulgaribus verbis ac tum nova ratione et exquisita proferatur.

conversatio amicorum: cf. annot. ad IV 69.

in nemora et lucos — *recedendum*: nemora sunt loca arboribus et silva consita; perinde *luci*, sed hi plerumque sacro usui destinati. Respici haec verba a Plinio Epist. IX 10, et quid inde sequatur, monitum in Prooemio c. 5 p. XII. Tacitus dum scribit *ut ipsi dicunt*, animo obversabatur Horatianum illud (Epist. II 2 77): *scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.* Pro *recedendum* Schelius coniecit *secedendum;* cf annot. ad II. 1 10.

Cap. 10. *cui soli inserviunt* — *sequitur:* in libro Germanico unde descriptus est P, aut in exemplari illius haec verba ita scripta fuisse coniicio, ut unus versus inciperet a v. *inserviunt*, alter a *sequitur*, quo factum ut proximus scriba praepositionem *in* verbo *sequitur* prave applicaret, in priore *inserviunt* eandem omitteret. Hinc duo vitia nata sunt. Nam primum *insequitur* pro *sequitur* non aptum est ceteris, cum id quod h. l. sequi dicitur, gratum sit et iucundum, *insequi* autem hostile aliquid, certe molestum et adversum denotet. Tum *inservire*, non *servire*, Tacitus alibi et in hoc ipso opusculo (c. 28) constanter dixit, si diligentem operam insumptam indicari voluit; v. annot. ad XIII 8.

rarissimarum recitationum: non vulgares dicit recitationes, sed eas quae perraro audiantur, h. e. admodum exquisitas.

ne quid de Gallis nostris loquar:

volo, tamquam eos quibus natura sua oratorium ingenium denegavit deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adeptus in levioribus subsistis. Ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur

3. *ocium* P, ut solet. 5. *coturnum* FP. 6. *elegiorum* P. 7. *et* ante *epigr.* om FP, adiecit Acidalius. 8. *quăcūq;* P. *heāt* P. 10. h. l. in P super vocativum *Materne* nullum *o*. *artem* P: *arcem* Rhenanus. 11. *suma* P. 13. *artis* P, non *artes*.

Aper adhuc colloquitur cum Secundo et Materno. Secundum ex Gallia ortum fuisse ante vidimus (ad c. 2): nunc idem de Apro et Materno edocemur. Hinc clarum cur omnes tamquam ex provincia oriundos alloqui possit Messala ipse in urbe natus c. 28: *quamquam vestra vobis notiora sunt.*

ut semel vidit, transit et contentus est: simile quid de Gaditano refert Plinius Epist. II 3: *nunquamne legisti Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat, abisse?* Nimirum in poëta et rerum scriptore visus sufficit: oratores non solum videre sed etiam in causis agendis audire et considerare concupiscunt.

oblectare otium: otium dixit pro *otiosis* sive eis qui otio gaudent.

omnem eloquentiam: nunc et paulo post *eloquentia* generatim ponitur pro elocutione ad artem facta (*Darstellung durch Rede*). Perinde Maternus poëticam *sanctiorem et augustiorem eloquentiam* vocavit c. 4. Eum significatum respiciens eloquentiam quae vulgo dicitur, Aper *oratoriam* ante (c. 5 et 6) appellavit.

summa adeptus in levioribus subsistis: pluribus editoribus placuit *adepturus*, Acidalii coniectura: sed cum Materno in forensibus causis satis superque sudatum esset (cap. 4), cum idem ad eloquentiam virilem et oratoriam Apro iudice natus sit (c. 5), et natura eius in ipsam arcem eloquentiae ferat, recte *summa adeptus* ab Apro designatur: huic enim summa adipiscitur is qui causas forenses recte sustinere potest.

Nicostrati robur ac vires: nominat pugilem et luctatorem aequalem, in Cilicia educatum, a praedonibus captum et venum datum, ut narrat Pausanias V 21 5: *τοῦτον τὸν Νικόστρατον νήπιον παῖδα ἔτι ἐκ Πρυμνησσοῦ λῃσταὶ τῆς Φρυγῶν ἥρπασαν, οἰκίας*

ac vires di dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offendere poëtarum quam oratorum studium. Effervescit enim vis pulcherrimae naturae tuae; nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone offendis. Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae ac subitae dictionis impetu: meditatus videris, aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam.

1. *dii* P. *istos* P. 4. *illud* FP: *id* editiones antiquae. 7. *efferuescit* — *offendis* P: *effervescet* — *offendes* F. *suae*, sed ab eadem m. superscr. *t*, P. 10. *ac* (superscr. ab al. m. *et*) P: *et* editiones veteres. *videris elegisse* Puteolanus. 11. *auctoritate*] *aũte* P.

ὄντα οὐκ ἀφανοῦς. κομισθέντα δὲ αὐτὸν ἐς Αἰγέας ὠνήσατο ὅστις δή. χρόνῳ δὲ ὕστερον τῷ ἀνδρὶ τούτῳ ὄνειρον γίνεται· λέοντος δὲ ἔδοξεν ὑπὸ τῷ σκίμποδι κατακεῖσθαι σκύμνον, ἐφ' ᾧ ἐκάθευδεν ὁ Νικόστρατος. Νικοστράτῳ μὲν δή, ὡς ηὐξήθη, καὶ ἄλλαι νῖκαι καὶ Ὀλυμπιάσιν ἐγένοντο παγκρατίου καὶ πάλης. Quintilianus II 8 14: *at si fuerit qui docebitur ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendo partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit luctando pugnandoque* (lege *pugilandoque*), *quorum utroque certamine isdem diebus coronabatur, invictum.* Lucianus Histor. conscr. 9.

meditatus videris, aut elegisse — dicturam: meditatus videris contrarium est eorum quae proxime antecedunt *fortuitae ac subitae dictionis impetu*, alterum membrum *aut elegisse* (videris) — *dicturam* respondet priori *nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis.* Theodisce: *man sieht dich dafür an als hättest du dich vorbereitet, oder einen Mann ausgewählt, der auffallen und dessen Worte Gewicht haben sollen.* Puteolanus *aut* perperam omisit, Orellius locum notavit tamquam corruptum, Doederlinius *aut* ex dittographia repetere inclinat.

hinc ingentis clamores, *ex his adsensus:* in codicibus aliquid excidisse manifestum est: id autem fuisse nomen substantivum, non verbum, hinc colligo quod non *hinc* — *hinc* subsequitur, sed post *hinc* tamquam in novo sermonis membro *ex his* infertur; accedit quod epitheton *ingentis* non bene convenit vocabulo *adsensus*, sed aliud et aptius fuisse commonstrat. Eiusmodi est *clamores.* Notio cogitatione supplenda *consequi* vel *fieri* vel *excitari* formis *hinc* atque *ex his* fontem causamque denotantibus sponte provocatur. Cf. G. 7: *unde feminarum ululatus, unde vagitus infantium.* Fr. Aug. Wolfii coniectura *ingentis exciri* Bekkero placuit. Ceterum *hinc* atque *ex his* non universe de poëmatis recitandis accipienda sunt, sed nonnisi de talibus locis, in quibus poëta aut meditatus videtur potentes lacessere aut elegisse perso-

Sentio quid responderi possit: hinc ingentis *clamores*, ex his adsensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. Nobis satis sit privatas et nostri seculi controversias tueri, in quibus expressit si quando necessitas pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

11 Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus, Parantem, inquit, me non minus diu accusare oratores quam Aper laudàverat (fore

1. *hinc* P: F *hic*. v. *clamores* est ab editore. 2. *haec*] *hic* cum lin. ab al. m. P, quod est pro *hec* sive *hęc*. 6. *expressis si qn̄ necesse sit* P: emendavit Lipsius. *expressit* teste Schrautio F. 10. *parantem, inquit, me non* Waltherus, ante quem *paravi, inquit, me* auctore Rhenano: *parăt qd eĩm me nõ* P, *parant enim quid non* F. 11. *laudaverat* FP: *laudavit* Acidalius.

nam notabilem et cum auctoritate dicturam.

tolle igitur quietis et securitatis excusationem: libenter accipit Aper quod ab adversariis poëtis responderi possit, ut eo primariam suam sententiam, magis obnoxium esse offensioni poëtarum quam oratorum studium, tueri et confirmare possit. Non perspexit Doederlinius scribens ad h. l.: 'hiare post haec' (post *sermonibus ferri*) 'sententiam ait Fr. A. Wolfius. Ac profecto ratio nulla apparet cur Aper id, quod responderi posse sentiat, nullo verbo refellat et tanquam refutando impar silentio transmittat'. Ex eo errore novus emersit, quem Bernhardy his verbis in ed. Doederliniana proposuit: 'mihi longius progrediendum videtur. Nullus enim locus huic exceptioni, quam Aper initio capitis praeceperat, famam recitationum commemorans. Contra sublato membro *Sentio — sermonibus ferri* sententiae recto tenore ad perorationem decurrunt'. Huic dubitationi occursum est iis quae modo de verbis *hinc — sermonibus ferri* monita sunt. Aliud quod a Bernhardyi ratione deterreat, in Prooemio pag. LIII expositum est. Quod ibi de libris Mediceis Annalium et Historiarum dictum est, idem de melioribus codicibus operum minorum valet.

expressit si quando necessitas: in hac lectione a Lipsio vere restituta antiqui codicis auctor, sive Pontanus sive qui Germanicum librum scripsit, verbi *expressit* ultimam litteram proximae (*si*) assimilavit, ut fieret *expressis*, tum nominis *necessitas* compendium (*necessit*) prave accepit pro *necesse sit*. Certe haec *in quibus expressis si quando necesse sit* vix Latinum hominem, nedum Tacitum sapiunt, et nihil ad ea vindicanda faciunt quae Doederlinius ex I 19 ascripsit: *necessitate expressa quae per modestiam non obtinuissent;* aut I 39: *quae per seditionem expresserant.*

Cap. 11. *parantem inquit, me:* in codicis P scriptura *parăt, qd*

enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detrectaret poëtas atque carminum studium prosterneret) arte quadam mitigavit, concedendo iis qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. Ac iam me deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam inruperunt. Nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia; nec vereor ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod 12

1. *detrectaret* P: *detractaret* F. 2. *et carminum* P, sed *atque* ab eadem m. superscriptum, *et* puncto notatum ut delendum. 6. *nerone'* P et Vat. 1862: *Nerone* F. 7. *prophanantem vaticinii* FP: emendavit I. Fr. Gronovius. 8. *et* ante *hodie* om P, exhibet F testibus Niebuhrio et Schluttigio, non consentiente Schrautio. *numinis* (in P additum *o* super *u* et hoc subnotatum) FP. 10. *me* abesse a P falso narravit Tross. 13. *irrumpunt* P: ceteri *irruperunt*. *cuiusque ad* FP: emendavit Lipsius.

eĭm, me ordo litterarum paulum turbatus pro *parăt ẽim quid me*, unde litteris distractis in suam sedem revocatis et *inquit* pro *imquid* reposito exit *parantem, inquit, me.* Pronomen *me* luculente in libro P: Farnesiano *me* denegat Bekkerus teste Niebuhrio, attribuit Waltherus. Utut est, iam nemo de eius veritate iuste dubitare potest.

in Nerone: hanc scripturam, item mox *Vatinii* satis vindicavi in Additamento.

quae etiam me nolente in domum meam inruperunt: Maternus occurrens eis quae adversarius c. 8 de imaginibus, de titulis statuisque dixerat, pro illis idem nomen (*imagines*), pro his brevius *aera* posuit. Sed statuae cum non mittantur in domum alicuius, sed in publico loco, veluti in foro aliquo aut in bibliothecis collocentur, verba *quae — inruperunt* nonnisi de *imaginibus* dicta accipienda sunt. Verum ius imaginum semel impetratur, et vulgo Romae impetrabatur curuli dignitate aliqua accepta. Hinc clarum *inrumpunt* non aptum esse, sed requiri *inruperunt*. In codice ἀρχετύπῳ fuisse puto *ĩrupunt*, h. e. *inruperunt*, sed proximus scriba id esse credidit pro *ĩrŭpunt* (= inrumpunt).

hucusque: hucusque pro eo quod *adhuc* Latinitatis est serioris; v. Haudii Turs. t. III p. 108.

Aper increpabat, tantam mihi adferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum seculum et oratorum et criminum inops, poëtis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges, inter quos neminem

1. *increpat* P. 2. *non in* FP (de P falsa rettulit Orellius): *nec in* veteres editiones. 3. *hostium* F, et statim *lachrimas*. 4. *secedit* superposito *sedit* F. 6. *primordia, haec penetralia. hoc primum* P: *penetralia; hoc* om F (Schrautio referente ibi desunt *haec penetralia*). 7. *et ista* punctis subnot. et superscr. ab al. manu *in illa* P. 9. *malis* P et veteres editiones: *ex malis* F. 13. *admissa* P: F *amissa*. 14. *ullus* P. *gloria mor . . aut* spatio vacuo quinque circiter litterarum relicto P, F *gloria more* superposito *'iore*, alii *in ore* cum defectus nota: correxit Lipsius. 15. *p̄ferre* (*praeferre*) P. 16. *istos* (ab al. m. superscr. *illos* et v. *istos* punctis subnotatum) P. *diis* P.

Cap. 12. *haec eloquentiae primordia: eloquentiae* nomen iterum latiore illo significatu usurpavit, de quo monitum ad c. 10.

commoda mortalibus: h. e. grata sive accepta.

in illa casta et nullis contacta vitiis pectora: similia de antiquitatis remotae moribus etiam senior Tacitus protulit III 26: *vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro scelere, eoque sine poena aut coërcitionibus agebant* cet.

sic oracula loquebantur: oracula responsa sua versibus concepta edebant.

lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae: lucrosam dicit eloquentiam quae alios defendendo magnis praemiis donatur, sanguinantem, h. e. sanguine manantem, quae adversarios incessit, ad exitium adducit. Nam per haec Maternus respondet eis quae c. 5 ab Apro in laudem eloquentiae dicta erant.

apud illos dis genitos sacrosque reges: dicit βασιλεῖς, non τυράννους, ideoque adiecit *dis genitos* (διογενεῖς) *sacrosque:* nam *reges* ubi absolute Tacitus posuit, τυράννους cogitavit; v. annot. ad VI 1.

causidicorum sed Orphea ac Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detrectent; nec ullus Asinii aut Messalae liber tam inlustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes. Ac ne fortunam quidem vatum et 13
illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint, malo securum et quietum Virgilii

1. *ac Linum* P: *et Linum* F. 3. *videantur*, litt. *a* ab al. m. puncto subnotata, P. *istud* (ab al. m. superscr. *illud* et v. *istud* punctis subnotatum) P. 5. *eurypidis* P. 7. *detrectent* P, non *detractent*. 8. *Messalae* P: F *Messallae*. 9. *aut Varii* om F. *thiestes* P. 10. *illud* nunc P: fuerat *istud*. 11. *illos* eraso *istos* P. 12. *ad consulatus*] *et* (non *ad*, ut narrat Orellius) *coetus* P, *et consulatus* F: tacite correxit Lipsius. *quietum* P: *secretum* F.

Asinii aut Messalae liber: orationibus duorum clarorum sub Augusti principatu oratorum opponit totidem poetarum fabulas prae ceteris celebratas. Quod etiam Asinius tragoedias fecit (v. Virgil. Ecl. III 86, VIII 10. Horatius Carm. II 1 9), id nunc non respexit. Conf. Quintilianus X 1 113: *multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam nimia videatur, et consilii et animi satis; a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior. At Messala nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor.*

quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes: Quintilianus X 1 98: *iam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo moderari* (sic rescribendum duce libro Turicensi qui praebet *operari*: vulgo *temperare*, quod cum dativo non iungitur a Quintiliano) *quam indulgere maluisset.*

Cap. 13. *illud felix contubernium*: *illud* addit ut significet contubernium a poëtis celebratum, veluti ab Horatio Carm. I 1 30: *me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori secernunt populo*; idem Epist. II 2 77: *scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.*

Virgilii secessum: secessum quo Virgilius gaudebat. Lege Donati vitam Virgilii c. 6: *possedit prope centies sestertium —, habuitque domum Romae in Esquiliis iuxta hortos Maecenatis, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur.*

auditis in theatro Virgilii versibus — quasi Augustum: haec aliunde non cognita. Cogitandum videtur de loco aliquo memorabili per occasionem ab actore fabulae inserto et recitato, ut licet conie-

secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent, an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur? quod adligati omni adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi?

1. *Diuū Augustum* P, non *D. Augustum*, ut edidit Tross. 2. *po. ro.* P. 3. *epistole* P. 10. *aliq̃* P, *aliqui* F. *ii* FP: *hi* editiones antiquae. 11. *adligati omni* editor: *alligat* (alia manus addidit *i* ut sit *alligati*) *cū* P, *alligati cum* F et ceteri.

ctare ex verbis *forte praesentem spectantemque Virgilium*, non de eclogis quas cantatas esse narrat Donatus in vita Virg. c. 11 et Servius ad Ecl. VI 11.

spectantemque Virgilium: Virgilii nomen, iniuria suspectum Ernestio, addidit ut iuste componeret cum proximo Augusti vocabulo.

Secundus Pomponius: de hoc satis collocavi ad V 8. *Afro Domitio:* de hoc v. Taciti IV 52 et quos ibi laudavi.

vel dignitate vitae vel perpetuitate famae: dignitas vitae, parta illa summis honoribus, et in Pomponio insignis erat et in Domitio, sed Domitius senex eam infregit silentii impatientia; hoc Tacitus indicavit illatis verbis *vel perpetuitate famae*, quam Pomponius usque ad vitae finem servavit, Domitius imminuit, ut paucis verbis significat Tacitus IV 52 extr., copiosius exposuit Quintilianus XII 11 3: *vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum valde senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent; quae occasio fuit dicendi 'malle eum deficere quam desinere'.*

ii quibus praestant indignantur: summum indignitatis argumentum est, cum ipsi qui gratia potentiorum iuvantur, tamen indignantur quod eiusmodi ministris uti cogantur. Est acerba reprehensio non modo Marcelli et Crispi sed simul principis Vespasiani; cf. ad c. 8. Simile illud est I 10: *divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui cepere laudatas.*

adligati omni adulatione: omni adulatione est omnis generis adulatione. Sed ex *omni* postquam altera syllaba (*ni*) ante vocalem absorpta est, remansit *om* a proximo scriba mutatum in *cum*, ut est in codicibus. Eadem prorsus corruptela item ante vocalem c. 2 *cum eruditione* pro *omni eruditione.*

Quae haec summa eorum potentia est? Tantum posse liberti solent. Me vero dulces, ut Virgilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet; nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui velim relinquere, quandoque fatalis et meus dies veniet; statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.

Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, 14

3. *solic.* P. *cotidie* F, ut fere solet: P *quotidie.* 4. *fontes* P: F *fontis.* 5. *pallantẽ* P (non *palantem*, ut narrat Tross) superscr. ab al. m. *pallen.* *pallantem* etiam F. 9. *quandoque enim fatalis* FP. *veniat* FP, sed in P litterae *et* superscriptae, incertum an ab alia manu. 11. *mea* litt. *a* ab al. m. superscr. *i* P: *mei* ceteri et antiquae editiones. 12. *instinctus* P: *stinctus* F.

me vero dulces cet.: declamantis poëtae instinctum Tacitus imitatur, concitatam perorationem ei largiendo. Virgilii verba respicit G. II 475: *me vero primum dulces ante omnia Musae, quarum sacra fero ingenti percussus amore, accipiant.*

in illa sacra illosque fontes ferant: h. e. imagine remota 'me verum poëtam faciant'. Fontes cogitat sacros et instinctum facientes, velut Hippocrenem, Pirenem alios. Cf. Persii prologus v. 1 sqq.: *nec fonte labra prolui caballino, — Heliconidasque pallidamque Pirenen illis remitto, quorum imagines lambunt hederae sequaces.* Hor. Carm. I 26 6: *o quae fontibus integris gaudes, apricos necte flores, — Pimplea dulcis.* Adde Strabonis IX 2 25 p. 410. M. Haupt (Philolog. I p. 587 a. 1846) pro fontibus suasit *frondis*, quibus *nemora et lucos* significari credit. Sed repugnat linguae usus, ut monuit Orellius, neque nunc de secessu loquitur Maternus.

famam pallentem: h. e. quae pallere facit eos qui ipsam possident, ut Marcellus et Crispus, qui non solum timentur, sed ipsi timent. Quo significatu *pallentem* scripsit hic noster eodem *pallidam Pirenen* Persius admisit in verbis modo laudatis.

testamentum pro pignore scribam: cogitat testamentum a divite et periclitante scribi, quo Caesar aut eius amici fiant heredes, ut eo pignore vivere pergat. Cf. Suetonius in Vitell. 14. Aliud est et sub Caesaribus saepius usu venit, quod proxime significatur *nec plus habeam — relinquere;* v. annot. ad A. 43.

quandoque fatalis et meus dies veniet: dies fatalis et meus ei opponitur, quem principis saevitia festinat, quemque nonnulli testamento pro pignore scripto remorari student. Nam qui mori iubetur, ante diem suum et fatalem e vita cedit. Sed a scribis dupliciter

cum Vipstanus Messala cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem, Num parum tempestivus, inquit, interveni secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus; atque adeo vellem maturius intervenisses; delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta, utque poëtas defendi decebat, audentior et poëtarum quam oratorum similior oratio.

Me vero, inquit, et sermo ipse infinita voluptate adfe-

1. *tum* FP: correxit Rhenanus. *Vipstanus* Ernestius: *Libanius* ab al. m. superscr. *Urbanus* P, *urbanius* (vel *uibanius*) F, *Vipsanius* Lipsius. 9. *exortatus* P, *et hortatus* F. 11. *decebat* superposito *o* priori *e* F. 12. *affecisset* P: F *adfecisse.*

peccatum est, primum quod post *quandoque* infarserunt *enim*, quod ex *quandoqu e* divisim exarato in codice antiquo et pro *quandoque* *ɩē*., h. e. *quandoque enim*, prave accepto natum esse coniicio. Iidem pro *veniet* assimilandi inclinatione dederunt *veniat*, quia subsequitur *statuar*, mox *consulat quisquam nec roget.*

non maestus et atrox: qui tristi necessitate ad mortem acti erant, hi ab heredibus et propinquis maesto et atroci vultu et quasi casum suum indignantes aliquando ponebantur.

non consulat quisquam nec roget: consulat respicit senatum, *roget* principem. Conf. VI 23.

Cap. 14. *concitatus et velut instinctus* (*aufgeregt und gleichsam begeistert*): *instinctum* dicit divina vi mentis impulsum, *concitatum* rei gravitate motum.

Vipstanus Messala: ex posteris clari oratoris Messalae Corvini, Taciti aequalis aetate prior et amicus, de quo nunquam nisi cum aliqua voluptate et laetitia rettulit, praecipue H. III 11: *legioni tribunus Vipstanus Messala praeerat, claris maioribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset*; H. IV 42: *magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messala adeptus est* cet.

altiorem inter eos esse sermonem: altior sermo opponitur per humum repentibus, h. e. confabulationi similibus, ut est apud Horatium Epist. II 1 251: *nec sermones ego mallem repentes per humum quam res componere gestas.* Paulo post repetitum *minime, minime* affectum amici exprimit, laetantis quod opportune intervenerit qui de hac quaestione praecipue disserere possit, contrariam opinionem acriter negantis et studiose removentis.

pro carminibus suis: pronomen indicat magnopere cordi esse Materno carmina et tamquam gratam possessionem diligi. Non recte comparavit Orellius c. 27 *maiores tuos.*

laeta, utque: laeta oratio quae viget et floret, laetis quasi colo-

cisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes adsumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa disputatis, adferunt, tum etiam iis ad quorum aures pervenerint. Itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum ab scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rethorum more quam veterum oratorum consumere.

Tum Aper, Non desinis, Messala, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia inridere atque con-

4. *assum.* P. 5. *cum* om F, non P. 6. *ista* ab al. m. superscr. *illa* et v. *ista* punctis subnotato P: *iam* F. *tū afferunt* (sed *tū* punctis subnotatum) P. *iis* P (non *his* a Trossio expressum) et F. 7. *hercle* P: *hercule* veteres editiones. 9. *plurimum* F, non P. 10. *ab* P: *a* veteres ed. 12. *consuetudmere* lineola subnotatis litteris *etud* P. 13. *non* P: F *num.*

ribus distincta. Infra (21): *laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret.* De *utque* pro *atque*, *ut* posito v. ad c. 34. *declamatorio studio:* dicit declamandi studium controversias et suasorias in scholis rhetorum.

hercle: hercle levius asseverat, *Hercule* gravius; illud adverbium, hoc numinis invocatio est. In hoc libro utrumque pro varia sermonis forma legitur.

Iulii Asiatici vitam: hunc non alium fuisse atque Asiaticum in ducibus Galliarum qui cum Vindice bellassent H. II 94 enumeratum, hinc verisimile quod Iulius Secundus et ipse ex Gallis ortus (conf. annot. ad cap. 2) vitam popularis sui composuerit.

ab scholasticis controversiis: controversias tantum nominat, non etiam suasorias, quod hae *tamquam leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur* (O. 35).

quam veterum oratorum: hi cum ipsi causas non agebant, non rhetores in schola sed alios oratores in foro et in iudiciis audiebant, aliena experimenta cognoscebant; cf. c. 34.

Cap. 15. *fratris tui:* is principe Nerone male usus eloquentia delationes factitavit, mox pietate fratris protectus (H. IV 42) graviorem poenam effugit, ut licet colligere tum ex his verbis tum ex versibus Martialis ad Gallum quendam irridendum compositis IV 16 5:

Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris,
et te defendat Regulus ipse licet,

temnere? Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei paenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Grais accidisse ut longius absit Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si

3. *contenderes. antiquis eo credo* FP: emendavit Lipsius. 4. *malignitatis* tacite Rhenanus: *malignis iis* syllabae *gnis* ab al. m. superscr. *ius* P, *maligni in iis* F. 5. *ipse* P: F *ipsi.* 6. *poenit.* P. 8. *in* om P. 11. *conquiro* syllabae *con* superscr. *in* P: *inquiro* F. 12. *gratis* FP, *graiis* Puteolanus. cf. ad H. 2 66. 13. *absit*] P: F *abiisset* superscripto *absit.* *aeschine* (ab al. m. superscr. *s*) *et demosthene* (ab al. m. superscr. *s*) P. *sacerdos iste enitet et* P: emendavit Lipsius.

Non potes absolvi: nam quae non desinit esse
post patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

Conf. idem I 13 et 83 et 112.

paenitentiam ago: nova locutio et insolita, quam admisit ut pergere eodem tenore mox posset *neque credo*, qui turbabatur illatis *neque illius sermonis mei me paenitet.*

et quod — auget quaestionem: novam quaerendi causam per particulam *et*, in principio enuntiati non sine pondere, ut saepe alias, collocatam, adiungit. Sine causa offendit Bernhardy apud Doederlinium. Mox breviter dicit *auget quaestionem* pro quaestionis ambitum auget vel ampliorem reddit.

Sacerdos iste Nicetes: 'vere et εὐστόχως emendavi *Sacerdos iste Nicetes.* Nicetes Sacerdos declamator nobilis eo aevo. Plinius Epist. VI 6 audisse eum fatetur: *erat non studiosorum tantum verum etiam studiorum amantissimus*' (pater Iulii Nasonis), '*ac prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum et Niceten Sacerdotem ventitabat.* Exstat Philostrati Lemnii de hoc Nicete in Vitis Sophistarum I 19 elogium, de quo Pithoeus nos monuit, ipse monitus a Niveleto. Nominat et Seneca pater Controv. IX 2: *nec Iulio nec alii contigisse suo* (scribam *nec Vibio nec alii contigisse scio*) *quam apud Graecos Nicetae, apud Romanos Latroni, ut a discipulis non audiri desiderarent.* Et eodem libro Contr. ultima: *Nicetes egregie dixit in eodem loco*'. Lipsius. Floruit principe Claudio et Nerone ac deinceps, rhetoricam tam in urbe patria Smyrna quam Romae docendo,

quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestio- 16
nem movisti. Sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messala, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam et ego et Secundus exequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est

1. *concentus* P, unde *concentu* correxit Orellius: *contentus* F. *contentis schol. clamoribus* Pithoeus. 3. *Asinio* P: *ab Asinio* F. 5. *movistis* FP: emendavit Lipsius. *explicabit* FP: *explicauerit* veteres ed. 8. *istud* P et Vaticanus 1862. 14. *ipsū* — *manifestū* (finis utriusque vocis in rasura) *est* P: *ipse* — *manifestus et* F.

saepius commemoratus a Seneca rhetore. Philostratus in Vitis Soph. et vitam eius breviter narravit (I 19) et obiter mentionem iniecit I 20 et 21 §. 3 et 5, II 16. Cur Orellius in vocabulo *Sacerdos* dignitatem quam nomen agnoscere voluerit ego non perspicio.

concentu scholasticorum et clamoribus: concentus scholasticorum est quem moderatur Nicetes, dum quae ipse praeivit et monstravit, a discipulis rite exprimuntur, clamores sunt quibus excipiunt exempla controversiarum vel suasoriarum a magistro edita.

aut Africanus: est Iulius Africanus, aequalis Domitii Afri, de quo v. VI 7 et annot. ad XIV 10. Quintilianus X 1 118: *hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnunquam longior et translationibus parum modicus.*

Cap. 16. *cura — et meditatio* (*Fleiss und Uebung*): *cura* nomen est generis, *meditatio* ad dicentem proprie pertinet et significat exercitationem dicendi. Conf. c. 14. Quintilianus II 10 2: *neque enim virtus ulla perpetuae dumtaxat orationis reperiri potest, quae non sit cum hac dicendi meditatione* (loquitur de ratione declamandi controversias et suasorias) *communis.*

nam et ego et Secundus exequemur eas partes: hoc fecit Maternus, ut nunc pollicetur, sed Secundus in hoc sermone nullas partes executus est. Cf. annot. ad c. 35 et c. 1. Itaque haec Materni de Secundo verba nihil nisi honorificam amici mentionem continent.

manifestus est — accingi: est Graeca structura: *δῆλός ἐστι παρασκευάζεσθαι* (*παρασκευαζόμενος*) vel *περιζώννυσθαι.* Cf. II 57:

iamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum seculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intellego; ac mihi versantur ante oculos Ulixes ac Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis seculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent. Ex quo apparet non multo plures quam trecentos annos interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. Quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum

4. *hac*] *ac* P. 7. *intelligo* P. 8. *Ulixes* (ab al. m. superscr. *ss*) P: F *Ulyxes*. *ac nestor* P: F *et menestor*. 9. *mille* P (non *mile*, ut refert Orellius). *caedit* F, non P. 10. *Hypericlem* (*cl* = *d*) P. *proferatis* P. 13. *trecentos* P: *tercentos* F.

dissentire manifestus. Accingitur sive se accingit quasi telo, ut adversarios excipiat.

non enim: haec usque ad finem capitis 23 significavit Tacitus c. 1: *neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet* cet.

primum interrogabo quos vocetis antiquos: est artificium veteratoris, qui adversarios supplantare conatur et turbare eo quod fundamentum quaestionis non esse affirmat.

non multo plures quam trecentos inter nostram et Demosthenis aetatem: Demosthenes ad mortem actus est Olymp. 114 3 sive anno 322 ante Christum natum. Hic sermo habitus cogitatur sexto anno principatus Vespasiani, i. e. anno 75 a Chr. nato; anni igitur 75 additi ceteris efficiunt 397. Id secum recogitans Lipsius suasit *quadringentos*, et hanc coniecturam plerique editores tamquam non dubiam acceperunt. Sed ne sic quidem ratio salva est: nam debuit potius *non multo minus quam quadringentos annos*. Accedit aliud neque a Lipsio neque a ceteris animadversum. Nimirum colliguntur anni non qui effluxerunt a morte Demosthenis usque ad hodiernum disputantium diem, sed qui interiecti sunt inter mortem Demosthenis et aetatem loquentium, h. e. temporis spatium a Demosthenis morte usque ad eum diem, quo incepit aetas dicentium, Apri, Secundi, Materni, Messalae, ac nihil obstat quo minus ad eum qui primus ex his natus est ratio temporum dirigatur. Quod tempus ubi subtractum erit, ex numero annorum 397 reliqui sunt fere 350 anni, eosque eodem iure *non multo plures quam trecentos annos* potuit consignare, quo paulo ante annos 1258 (h. e. 1183 a Troia capta usque ad Christum et 75 a Chr. n. usque ad annum sextum Vespasiani imperatoris) notavit 'mille fere et trecentos annos'. Ac sane imminuere copiam annorum quam

nostrorum referas, fortasse longum videatur, si ad naturam seculorum ac respectum immensi huius aevi, perquam breve et in proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet, isque annus horum quos nos vocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quô nos, sed fere eodem mense extitisse. Sed 17 transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam. Quos quid antiquis temporibus potius ascribatis quam nostris, non video. Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, septimum

1. *videatur* P : *videtur* F. *si ad* P : *ad* F. 3. *in hortensio ait scribit* P, sed v. *ait* linea ab eadem manu subductum. 5. *est* om F, non P. 6. *XII.* (superscr. *M*) *VIII.* (superscr. *C*) *LIIII.* P et perinde ceteri: correxit Nic. Loënsis. 8. *non solum*] superscr. Pontani manu *videturq;*. 9. *fere* P : *fama* F, *ferme* coniecit Bekkerus. 10. *Menenium* P : F *me nimium.* 11. *antiquos* F, non P. 13. *coelium* P : *alium* F. 14. *quos quid antiquis* FP : *quos quidem cur antiquis* Puteolanus. *ascribatis* P : F *ascribitis.* 15. *ipse* F, non P. 16. *tyro* P. *VII.* P. cf. ad 6 50.

augere orator hic noster nunc inclinat. Lipsii coniectura infirmatur etiam eo, quod tam in P quam in F tempus litterarum notis, non numerorum signis, definitur.

ut Cicero in Hortensio scribit: cf. annot. ad c. 5. *nongentos:* verus hic numerus nititur duobus Servii locis ad Virgilii Aen. I 269 et III 284 Ciceronis in Hortensio verba commemorantis. In Taciti codices qua via corruptela invaserit, ostendit liber P: quippe in $\overset{c}{\mathrm{VIII}}$, id est *octingentos*, una lineola omissa est.

Cap. 17. *non Menenium, ut puto, Agrippam:* interpositum *ut puto* irrisionem quandam et contemptum ostendit. Sic c. 21: *cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit;* 25: *primum, ut opinor, nominis controversiam movit;* 37: *undecim, ut opinor, Actorum libris — edita sunt.* De Menenio Agrippa v. Livius II 32. Cicero in Bruto c. 14 Menenium in secessione plebis a. 261 a. u. disertum non commemoravit, sed Marcum Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias tradidit.

septimum idus Decembres occisus est: in codice ἀρχετύπῳ videtur fuisse *VII. ID.D.* puncto inter *DD* evanido: hinc *Decembres*, quam vocem Lipsius recte

idus Decembres occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Quintum Pedium consules suffecit. Statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse qua Caesarem inferentem arma Britanniae arcere litoribus et pellere adgressi sunt. Ita si eum, qui armatus Gaio Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario ipsi vidistis

1. *Decembres* om FP (in F vacuum spatium relictum): supplevit Lipsius. *diuus* P, item mox, non *D.*, ut edidit Trossius. 2. *Q.* P. 3. *sex*] *nouem* FP: correxit Lipsius. 4. *adiice* P, ut solet. 5. *Caii* P. 6. *istum* P ex solito Pontani errore pro *illum*, superposito ab al. m. *unũ*: *ipsum* F. 8. *centũ et decẽ* P cum aliis: *centum et uiginti* F et Puteolanus. cf. c. 24. 11. *fateretur* P: *fatebatur* F. *ei* Muretus: codices *et*. 12. *aggressi* P. 13. *C.* P. 14. *et quidem Caesarem* P, *et quidem et Caesarem* F: tacite correxit Rhenanus.

addidit, intercidere facile potuit. Annus occisi Ciceronis ab u. c. fuit 711.

sex et quinquaginta annos: cf. annot. ad I 9.

longum et unum annum: longus erat is annus et numero dierum et copia rerum et atrocitate casuum. Nimirum Galbae principatus initium fuit a. d. IV idus Iunias anni 68 a Chr., quo Nero se occidere coactus est, Vitellius finivit a. d. IX kalendas Ianuarias anni 69.

sextam — stationem: imperator tamquam custos civitatis in custodia positus cogitatur. Sic et singulos imperii annos *stationes* et totam principatus curam *stationem* appellare licet. Hoc alterum fecit Antoninus Pius in rescripto ad Frontonem p. 10 ed. Nieb. vel p. 185 ed. Rom. a. 1846: *animo meo non difficile persuasi, mi Fronto carissime, vel praecipue hunc diem, quo me suscipere hanc stationem placuit, a te potissimum vere religioseque celebrari.*

proximo quidem congiario: dicit congiarium a Tito a. 825 = 72, h. e. triennio ante habitum hunc sermonem, datum, cuius mentio in nummo qui sic habet: T. CAES. VESPASIAN. IMP. PONT. TR. POT. COS. II., et in aversa parte: CONGIAR. PRIMVM P. R. DAT. Vid.

plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse: nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Ne dividatis seculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. 18 Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae aut Gaio Carboni quosque alios merito antiquos vocaverimus. Sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Caelius aut ipse Cicero.

4. *pene* P. 6. *uocetis* P: *vocitetis* F. 9. *adquiritur* P, non *acquiritur.* 10. *Sergio* P. *Galbae aut .C. carboni* FP: *Galbae, Caio Carboni* veteres editiones. 12. *nulla* P: *inulla* F teste Schrautio, *ne in illa* Muretus. 13. *Coelius* P, ut solet.

Thesauri Morelliani tom. II p. 369 extr., Eckhelii Doctrina numorum veterum t. VI p. 353 et 354. Nummus Titi a Mediobarbo (Imperatorum numismata p. 121) commemoratus, in quo CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. (*congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum*), subditicius est: cf. Eckhelius t. VI p. 354.

Cap. 18. *Servio Galbae aut Gaio Carboni:* Tacitus iuvenis quae de veteris aevi oratoribus in hoc opere delibavit, in iis Ciceronis *Brutum* auctorem et ducem unice secutus est, ut cum ex aliis indiciis colligere licet (cf. tertia et quarta huius capitis annotatio et ad c. 21 et 28 et 40) et luculente perspicitur ex verbis quae c. 30 leguntur: *notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus refert* cet. Ex ceteris Ciceronis scriptis libros de Oratore, Oratorem, commentarium de Optimo genere oratorum diligenter legit, antequam ad hoc opusculum accessit. Nunc igitur respexit quae in Bruto de Carbone et Galba oratoribus traduntur c. 21 et 22 et 27; verum quae Cicero laudi vertit, haec irrisor antiquitatis, qualem Tacitus Aprum expressit, non accepit, sed nihil nisi impolitum et rude in iis deprehendit.

quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus: codicis P forma *nulla* solvenda videtur *ne nulla:* nam ut Apri votum iuste efferatur, particula *ne* utique desiderari videtur. Ablativus sine praepositione *in* vindicatur similibus, veluti *nulla parte, omni parte*, de quibus cf. Forcellinius s. v. *Pars. Utinam* in votis negativis promiscue cum *ne* et *non* iungitur: num dicatur *utinam nihil videam* pro *utinam ne quid videam*, aut *utinam nullam rem audiam* pro *utinam ne ullam rem*

Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus Gaius Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. Nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi; nec statim deterius esse quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed su-

1. *istud ante pred.* P. 3. *.C.* P. 8. *in illis* P: *illis* F. 12. *pro* FP: correxit Groslotius.

audiam, non satis scio sed dubito. Mureti *utinam ne in illa parte* non convenit ceterae sententiae. Nam Ciceronem horridam et informem antiquitatis eloquentiam imitatum esse, ne Aper quidem asseverare voluit, immo contrarium profitetur c. 22: *ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat.*

Gaius Gracchus plenior et uberior: imitatur auctorem suum, Ciceronem in Bruto scribentem 33: *sed ecce in manibus — Gaius Gracchus. Noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse.*

politior et ornatior Crassus: *politior* pertinet ad *accuratam et sine molestia diligentem elegantiam*, a Cicerone in Crasso laudatam Brut. c. 38, *ornatior* ad *facetiarum et urbanitatis oratorium leporem iunctum cum gravitate*, de quo Cicero l. c.

utroque distinctior et urbanior et altior Cicero: *distinctior*, h. e. floribus et luminibus orationis magis distinctus, idem fere quod ante *ornatior*: nam hoc ipsum ne iterum poneret, elegit *distinctior*. Quod sequitur *urbanior*, respondet priori *politior*. Nova in Cicerone virtus et propria nomine *altior* (σεμνότερος) significatur.

mitior Corvinus et dulcior: hanc Corvini indolem ex orationibus ipsius Tacitus iuvenis cognovit. Quintiliani iudicium (X 1 113: *Messala nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam*), cum haec scripsit, ei nondum in manibus erat.

qui prae Catone — mirarentur: librorum scriptura *pro* ex sigla $\overline{p}$ mutata cum ꝑ provenit: *pro Catone* teneri posset, si sequeretur *mirarentur*, non *magis mirarentur*. Comparandi particula convenientem sibi praepositionem *prae* poscit. De Appio Caeco v. Cic. Brut. 16.

pra modum exultans et superfluens et parum Atticus videretur. Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam: nunc mihi cum universis negotium est.
Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum 19
antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Severum,

1. *parum antiquus* FP: emendarunt Ursinus et Muretus. 3. *epistolas* P, ut solet. 4. *ociosum* P. 5. *deiunctum* P: *diiunctum* F. *q'uidẽ a caluó'* P, h. e. *a Calvo quidem.* 6. *a bruto quidẽ autem* (*quidẽ* punctis subnotatum) P. 8. *interroges* P: *interrogas* F. *videntur* P: *videri* editiones antiquae. 9. *nunc* FP: *nec* veteres editiones. 10. *admirationes* superposito *admiratores* F. 11. *solent usque ad Cassium Severum*] *solent ? q* (puncto supposito et superscripto *an*) *usque ad cassium* P, *solent: quem usque ad cassium* F. Schrautius in Farnesiano legit *quem reum usque ad cassium qui faciunt quem primum.*

parum Atticus: Atticus quomodo corrumpi potuerit in *antiquus*, ex scribendi ratione veteribus probata *anticus* vel *ãticus* apparet. De iis Ciceronis obtrectatoribus qui Attice se loqui simulabant. cf. Cic. Orat. 7—9 et 23, Brut. 82, de Optimo g. orat. 3, Tuscul. II, 1. Quintil. XII 10 12—14. Corruptum *antiquus* parum feliciter defendit Waltherus.

legistis utique — epistulas: eas dicit epistolas quas Mucianus ex tenebris protractas et a se dispositas ediderat; cf. infra c. 37.

Calvum quidem Ciceroni visum exanguem et attritum: aut Calvus ipse aut Brutus in epistolis ad Ciceronem missis mentionem videntur fecisse eorum quae Cicero in Bruto c. 82 de Calvo protulerat: *nimium inquirens in se atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat* (hoc illud Tacitinum 'exanguis'). *Itaque eius oratio nimia religione attenuata* (hoc est quod Tacitus dicit 'attritum') cet.

Brutum autem otiosum atque diiunctum: otiosus in cuius compositione cura et diligentia, *diiunctus* in cuius oratione iunctura partium desideratur.

Ciceronem a Calvo quidem male audisse: Calvus haec in epistola (per Mucianum edita) ad Ciceronem scripsit, fortasse in ea qua cum Cicerone expostularet ob sententiam de se in Bruto dictam.

fractum atque elumbem: Quintilianus XII 10 12: *quem — suorum homines temporum incessere solebant ut tumidiorem — et in compositione fractum, exultantem ac paene, quod procul absit, viro molliorem* (= elumbem).

quem reum faciunt, quem primum adfirmant flexisse ab illa vetere atque dicendi directa via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. Vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum conditione temporum et diversitate aurium formam quoque et speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum spatia, atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quid-

1. *affirm.* P. *illa*] videtur fuisse *ista* in P. 2. *dicendi directa* P: *directa dicendi* F cum aliis. 3. *illud* FP: *id* editiones veteres. 5. *condicione* P. 6. *et speciem* P: *ac speciem* veteres editiones. 7. *ille* F: P *iste.* *imperitissimarum* FP: correxit Muretus. 8. *laudi dabatur* F: *laudabat* P cum aliis. 11. *quicquid* P.

Cap. 19. *constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quem*: in libro Perizoniano sive Leidensi quod legitur *q* et superscribitur *an*, utrumque coniecturae debetur et falsae opinioni, adesse enuntiata interrogativa: nam prius est pro *quî* et ipsius Pontani manu ut delendum notatur, alterum illatum ut esset *an usque ad Cassium?*, h. e. dicendi forma proximis minime accommodata. Ex illo *q* alii codices et antiqui editores *quem* fecerunt. Sublata prava coniectura omnia bene se habent, nisi quod nomen *Cassium* addito cognomine *Severum* explendum est, ut fecit Puteolanus et in Vaticanis libris inesse dicitur. Scriba neglexit propter parem terminationem vocabuli antecedentis. Puteolanus licenter interpolavit *solent: quem usque ad Cassium Severum faciunt: quem primum affirmant* cet., quae vulgo leguntur. Nostram rationem praeivit Broterius, nisi quod pro altero *quem* substitui voluit *quemque*; sed particulam non desiderari recte sensit Dronkius. Tacitus vanam Apri ubertatem imitatur, ac structura verborum eadem est, quam in eiusdem oratoris sermone supra cognovimus (c. 9): *se ipsum colere, suum genium propitiare.* Verba *quem reum faciunt* cum aliqua irrisione dicta sunt, quam Theodisce reddas: *den sie in Anklage versetzen.*

impeditissimarum orationum spatia: ut loca impedita sunt, in quibus cursus et gradus implicantur aut cohibentur, sic orationes eo vitio laborant, ubi singula male cohaerent et audientis intellectum impediunt. Sed quoniam impedita loca proprie dicuntur, apte *orationum spatia* posuit. Codicum vitium antecedenti *imperitus* originem debet. In P est nota *ĩpitissimarum.*

narrationis alte repetita series: narratio alte repetitur, si a causis remotis rei narrandae principium sumitur. *Series* longitudinem narrationis significat, eaque *explicari* vel *exponi* potest, non *alte repeti.* Hinc *repetitae* pro *repetita* a Taciti manu profectum esse coniicere quis possit: sed *re-*

quid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus philosophiam videretur et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rethorum aut philosophorum placita cognoverant. At Hercule pervulgatis iam omnibus, cum vix in cortina quisquam adsistat quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui vi et potestate, non iure aut legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora sed constituunt, nec expe-

1. *Hermagorae, Apollodori* F, non P. 2. *quod si* FP: *et si* veteres editiones. 3. *uideretur* P: F *uidetur*. *et ex* P: *atque ex* veteres editiones. *inserere* P. 4. *erat* F, non P. 5. *paucissimi* P: *paucissima* veteres editiones. 8. *assistat* P, ut solet. *quin*] *qui* P cum ceteris: correxit Heumannus. 9. *at*] *et* F, non P. *generibus* superscr. *iti* et syll. *ge* puncto subnotata P. 11. *aut legibus* P: *et leg.* F. 12. *nec* P: *et* F, *et nec* editiones veteres. *expectātē* (*e* extremum puncto subnotatum) P.

petita pertinet ad licentiam antiquis scriptoribus familiarem, qua traiiciuntur epitheta, ita ut ad eos casus referantur quos prae ceteris eminere volunt. Conf. Lobeckii annot. ad Sophoclis Aiacem v. 7.

Hermagorae et Apollodori libris: Hermagoras et Apollodorus Augusti temporibus *τέχνας*, h. e. praecepta eloquentiae in compendium redacta, scripsere, alter Temno insula, alter Pergamo ortus. De priore Strabo XIII 3 §. 5 p. 621: *ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν ἔτι καὶ τὰς Αἴγας προσληπτέον καὶ τὴν Τῆμνον, ὅθεν ἦν Ἑρμαγόρας ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας.* Suidas s. v.: *Ἑρμαγόρας Τήμνου τῆς Αἰολίδος, ὁ ἐπικληθεὶς Καρίων, ῥήτωρ. τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ϛ΄, περὶ ἐξεργασίας, περὶ πρέποντος, περὶ φράσεως, περὶ σχημάτων. ἐπαίδευσε δ' οὗτος μετὰ Κεκιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας.* Quintilianus III 1 18: *plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoram sunt qui viderint.* Cum hoc non miscendus maior natu Hermagoras, de quo Cic. de Invent. I 8 et 51, Brut. 76 et 78. Quintilianus III 1 16. De Apollodoro aequali Hermagorae Strabo XIII 4 3 p. 625, ubi recenset viros Pergamenos sua aetate claros: *καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ ῥήτωρ, ὁ τὰς τέχνας συγγράψας καὶ τὴν Ἀπολλοδώρειον αἵρεσιν παραγαγών —. μάλιστα δὲ ἐξῆρε τὸν Ἀπολλόδωρον ἡ τοῦ Καίσαρος φιλία τοῦ Σεβαστοῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον.* Quintilianus III 1 17: *praecipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit, et Theodorus Gadareus.* Suetonius Aug. 89.

in cortina: cortina, quod vas rotundum cavumque proprie dicitur, nunc multitudinem in corona assistentium designat, neque recte

clandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem
20 revocant et festinare se testantur. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valitudinis suae praefantem, qualia sunt fere principia Corvini? Quis quinque in Verrem libros expectabit? Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quae pro Marco Tullio et Aulo Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque adsistentium et adfluens et vagus auditor adsuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec

1. *negocio* P. 2. *sepe* P. 3. *ferat* Beroaldus, non FP. 4. *valitudinis* P, non *valetudinis*. 6. *illa*] videtur fuisse *ista* in P. 7. *et Aulo* P : *aut A.* editiones veteres. *cecina* P. 10. *auersatur* P: F *aduersatur*. 11. *et nagus et affluens* P, sed signis notatur haec duo membra transponenda esse.

interpretatur Lipsius ordinem subselliorum iuxta tribunal in quo advocati, praecones atque id genus operae forenses. Obstat quippe verbum *adsistat*. Idem c. 20 *vulgus adsistentium*.

nec accipiunt tempora : et ante haec verba non desideratur, si statuerimus disserentem cum prius *nec* poneret, nondum respexisse proximum, sed hoc cum novo enuntiato adiunctum esse.

Cap. 20. *qualia sunt fere principia Corvini:* Quintilianus IV 1 8: *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messalae prooemia.*

quis quinque in Verrem libros expectabit: hos etiam vetere aetate iudices non expectassent; sed Aper cupidius in veteres invectus oblitus est, illos non habitos esse, sed scriptos et legentibus editos.

de exceptione et formula — pro Marco Tullio et Aulo Caecina: in oratione pro Tullio, cuius tantum fragmenta ad nos pervenerunt, id egit Cicero ut ostenderet adversarios ad *exceptionem* iuste confugere non posse, ut his verbis ipse indicavit §. 1 : *in eo consumenda est oratio, ut ne adversarii, quod infitiari nullo modo potuerunt* (caedem factam esse), *cum maxime cuperent, id cum confessi sunt, meliore loco videantur.* In causa Caecinae a Cicerone defensa adversarius perinde vim hominibus armatis esse factam confessus est, sed tamen restituisse se in possessionem Caecinam defendit. Itaque in utraque oratione eo res rediit, ut de exceptionis vi et natura ac de sententia formulae iudicialis diceretur. Ipse Cicero in Oratore 29: *tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus.*

nitore et cultu descriptionum : descriptiones dicit *χαρακτῆρας* hominum, quales composuit Theophrastus. Cic. Top. 22: *additur*

magis perfert in iudiciis tristem et impexam antiquitatem quam si quis in scena Roscii aut Ambivii exprimere gestus velit. Iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt; traduntque in vicem ac saepe in colonias et provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poëtico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poëticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et

1. *imperam* F. 2. *scenam* FP: *scena* in editione Alciatina a. 1519; ante erat *coena*. *Roscii aut Ambivii* editor: *Roscii aut Turpionis, aut Ambiuii* P et ceteri, *Roscii aut Turpionis Ambivii* Lipsius et sic vulgo. 3. *in* om veteres editiones, non FP. 4. *nec solum* P. *adire* F, non P. 6. *uoluit* F, non P. *inuicem* P. *et prouincias* P, non *ac provincias*. 7. *sive in suis aliquis* FP: correxit Muretus. 8. *effulxit* subnotato *x* et superscr. *s* P. 9. *exercetur enim* P, *exigetur* omisso *enim* et superposito *exercetur* F: correxit Lipsius. *accii* P, non *Attii*. 10. *paucubii* (prius *u* subnotatum) P.

etiam descriptio quam Graeci χαρακτῆρα vocant. — Descriptio, qualis sit avarus, qualis assentator, ceteraque eiusdem generis in quibus natura et vita describitur.

Roscii aut Ambivii: codicum scriptura *Roscii aut Turpionis, aut Ambivii* quomodo provenerit, liquet: nimirum *Ambivii* nomini cognomentum *Turpionis* supra versum aut in margine aliquis adiecit, hoc proximus scriptor tamquam novi histrionis nomen accepit atque de suo particulam *aut* adiecit. Sed quemadmodum Roscius uno nomine vocatus est, id quod sufficit in mentione per occasionem facta, ut paulo post factum videmus in Attio, Pacuvio, Horatio, Virgilio, Lucano, sic etiam in altero histrione Tacitus uno haud dubie contentus fuit. Si ipse cognomentum Turpionis dedisset, certe ante scripturus erat *Quinti Roscii*, non *Roscii*, sed verius in altero vitium agnoscitur. Ambivium Turpionem temporibus Terentianis, ut ex didascaliis fabularum Terentii accepimus, et Quintum Roscium Ciceronis aetate celeberrimos histriones novis temporibus, quibus agendi ars pantomimorum exemplo aut corrupta erat aut multo impeditior facta, iam pro rudibus et impexis plerique habebant.

sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit: sensus nunc est quem Theodisce dicimus *Gedanken*, cogitationem verbis expressam, *sententia* quam vocamus *Denkspruch*. Quintilianus VIII 5 1: *sententiam veteres quod animo sensissent vocaverunt. Id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam et iuraturi 'ex animi nostri sententia' et gratulantes 'ex sententia' dicimus. Non raro tamen et sic locuti sunt ut 'sensa sua' dicerent, nam 'sensus' corporis videbantur. Sed consuetudo iam*

Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis extruuntur, sed marmore

21 nitent et auro radiantur? Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Nec unum de populo, non Canutii aut Arrii deformitatem memorabo, quique alii in eodem valitudi-

2. *optemperans* P. 6. *cemento* P. *informibus*] in marg. ab al. m. *fornicibus* P. 7. *fatebor* P: *fateor* F. 9. *de populo, non Canutii aut Arrii deformitatem memorabo, quique alii — probant* editor: *de populo Canuti*: *aut atti de furnio et toranio* (non *Toranii*) *quique alios in eodem valitudinario haec ossa et hanc maciem probant* P, *de populo Ganuti aut attii de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant* F; *de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo*, *quosque alios in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant* I. Fr. Gronovius.

tenuit ut mente concepta sensus vocaremus, lumina autem praecipueque in clausulis posita sententias; XII 10 48: *sententiae — feriunt animos et uno ictu frequenter impellunt.* Mox *veternus* notat vetustatis situm et sordes.

radiantur: h. e. radios emittunt. Ex usu poëtarum hoc receptum; cf. Forcellinii lexicon.

Cap. 21. *in quibusdam autem vix somnum tenere*: cogitat tenues et aridos oratores qui Atticos se haberi voluerunt, quorum praecipuus Calvus statim nominatus. Cf. annot. ad c. 18.

nec unum de populo, non Canutii aut Arrii deformitatem memorabo, quique alii — probant: haec interim restituere quam foede corrupta in contextu verborum tolerare satius duxi. Post nomen *Canutii* particula negativa, per compendium (*n̄.* vel *n̉*) expressa, eo facilius omitti potuit, quod imperito scribae iungere *de populo Canutii* pronum fuit. Proxime *atti* pro *Arrii* levius corruptum est; tum pro *de furnio et* dedi *deformitatem*, quod quamquam satis abit a vestigiis codicum et coniecturae probabiliori, si qua proferetur, libenter cesserit, hoc tamen satis confidenter pronuntiare audeo, de amico Ciceronis *Furnio*, ad quem binae eius litterae a. 711 missae sunt (ad Fam. X 25 et 26), cum Gronovio non cogitandum esse, cum Tacitus quidquid de veteribus Romanorum oratoribus delibavit, ex uno Bruto Ciceronis hauserit, ut monitum est ad c. 18. Ipsum Furnium fuisse oratorem neque alii memoriae prodiderunt, neque tuto colligitur ex verbis Ciceronis in epistola 26: *quam tu tuam causam non nosti, qui alienas tam facile discas.* Porro *toranio*, in cuius locum reduxi *memorabo*, gravius affectum esse vel hinc apparet, quod Toranium fuisse oratorem nemo rettulit. Quod superest *alii*, hoc in *alios* mutavit qui id pendere ex verbo *probant*

nario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. Nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi * in Asitium aut in Drusum legit? At hercle in hominum studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex iis oratio. Est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Caelianis orationibus? Nempe eae placent, sive universae, sive partes earum, in quibus nitorem

2. *unum et XX.* P. *aut altera* Puteolanus, non FP. 4. hiatus signum est ab editore. 5. *hercle* P: vulgo *Hercule.* 6. *conscribuntur* P, *scribuntur* F: correxit Lipsius. 7. *iis* P: *his* veteres editiones. 10. *sullimius* P. 12. *sive universae sive partes earum* Pithoeus: *siue uniuersa parte serũ* (super *uniuersa* additum *in* et pro *serũ* correctum *seu*, utrumque ab alia manu) P, *sive in universa parte serum* F, *si non universae, at partes earum* Acidalius.

opinatus est. Restituta forma *alii* prodit structura Tacito familiaris; cf. c. 18: *quosque alios merito antiquos vocaverimus.* H. I 53: *Treviri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis — Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur;* H. II 4: *spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit.* Sententia haec est: non vulgares oratores et obscuro loco natos, quales fuere Canutius et Arrius, nominabo, quique alii aridum dicendi genus probaverunt et secuti sunt, ipse Calvus huius sectae praecipuus auctor mihi vix in una aut altera oratiuncula satisfacit. De Canutio Cicero in Bruto cap. 56: *Sulpicii orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse Canutius putatur, aequalis meus, homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissimus.* Postrema verba ostendunt *de populo* fuisse Canutium, ut est apud Tacitum, non ordinis senatorii aut equestris. De Arrio ibidem c. 69: *addamus huc etiam — C. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam quam habebat praebebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. Is omnibus exemplo debet esse quantum in hac urbe polleat obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire.*

*Calvi * in Asitium aut in Drusum legit*: hiat structura verborum, quae nullo exemplo simili vindicari potest: nam de supplendo nomine *oratiunculam* aut *librum* et ex proxime prioribus assumendo nemo iuste cogitaverit. Excidisse coniicio *interrogationem*, eamque omissam esse a scriba cuius oculi ab *in-terrogationem* ad proximum *in Asitium* aberrarent. Hanc similem fuisse, sed longe breviorem

et altitudinem horum temporum agnoscimus: sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane Gaio Caesari ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. Nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et

1. *sordes autem regulae verborum* (v. *regulae* linea ab al. m. subducta deletum) P, *sordes autem illae verborum* ΔF. 5. *.C.* P. 6. *rerum minus in eloquentia effecerit quam* P: F *rerum in aeloquentiam effecerit quae.* 7. *hercle* P, non *Hercule.* 9. *nec fere* coniecit I. Fr. Gronovius. 11. *tp̃is* P, *temporis* F: emendavit Lipsius.

quam Ciceronis in Vatinium interrogationem, credere licet.

in Asitium aut in Drusum: Asitii nomen suspectum et aliunde haud cognitum. Fortasse fuit *Asiaticum. Drusum* fuisse illum, quem a Lucretio reum de praevaricatione factum Cicero a se defensum scribit ad Att. IV 16 §. 5, suspicatur Weichertus in Poetarum Lat. reliquiis p. 112.

accusationes quae in Vatinium inscribuntur: Vatinium bis accusavit de maiestate et de ambitu. Ambitus causa pertinuit ad praeturam, in qua petenda Vatinius Catoni praelatus est. Defensionem Vatinii Caesari et Pompeio obsecutus Cicero suscepit a. 700. Cf. Cicero ad Quintum fr. II 16, ad Fam. I 9 §. 4 sqq. Catullus carm. 54. Quintilianus VI 1 13, IX 2 25 et 3 56. Seneca Controv. III 19. Reliquias orationum Calvi collegit Weichertus in Poëtarum Lat. rel. pag. 113—114 et Meyer in Orat. Rom. fragmentis. Vitium codicis Perizoniani *conscribuntur* et Farnesiani *scribuntur* ex antiquiore scriptura *ĩscribuntur* ortum: nam alter putavit esse *c̄scribuntur*, alter litterulam neglexit.

quid ex Caelianis orationibus: notio *satisfacit* vel *in hominum studiosorum manibus versatur* ex prioribus petenda, quod ut facilius fieri posset, responsione *nempe eae placent* provisum est.

Gaio Caesari: cf. XIII 3. Quintil. X 1 114. Plutarchus Caes. 3. Suetonius Caes. 55.

Brutum philosophiae suae relinquamus: Quintilianus X 1 123: *egregius vero multoque quam in orationibus praestantior Brutus suffecit ponderi rerum; scias eum sentire quae dicit.* Eius librum *de Virtute* memoravit Seneca Consol. ad Helviam c. 9 §. 5, alium *περὶ καθήκοντος* idem Epist. 95 §. 54.

pro Decio Samnite: proscripti a Sulla Decii meminit Cicero Cluent. 59. *Bruti pro Deiotaro:* hanc defensionem Nicaeae (a. 707) habitam Cicero memoral ad Att. XIV 1.

nisi qui — miratur: quod prae-

carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exurgit toris, ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. Nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. * *, viderimus in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit. Ad Ciceronem venio, 22
cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis oratores

2. *sed* FP: *at* Puteolanus. *illos* in rasura P: videtur fuisse *istos*. 5. *Actium* P. 9. *rubor* (superscr. ab al. m. *o* super *u* et *v* super *o*) P: *rubore* F. 10. *decor* FP: *decore* Lipsius. *nec* P: *non* veteres editiones. 12. hiatus signa sunt ab editore. *in quantum* Lipsius in margine (in commentario eius *inquam* pro *in quantum* falso expressum est) et rursus Freinshemius: *inquam* syll. *in* punctis subnotata P, *inquam* ceteri. 13. *vis* om F, non P. *suffecerit* FP: *sufficeret* editiones veteres. 14. *equal.* P. 16. *oratores aetatis eiusdem* P, non *eiusdem aetatis oratores*.

cedit *nisi forte quisquam legit*, idem valet ac *nemo enim legit*. Ex hac notione pronominis *nemo* pendet *nisi qui*, h. e. *nisi is qui*. Fallitur Hessius, item Doederlinius et Orellius, cum alterum *nisi* redundare opinantur.

et in bibliothecas rettulerunt: contemptim ac superbe pronuntiat carmina Bruti ac Caesaris non esse in legentium manibus, sed in bibliothecarum scriniis abdita latere. Bibliothecas autem cogita suas et amicorum: nam publicae tunc nondum erant.

videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse: Pollio exemplum Sallustii quamquam a se reprehensi et Lucretii, ut videtur, aemulatus est auctore et duce Atteio, de quo Suetonius Illustr. gramm. 10: *coluit familiarissime Gaium Sallustium et eo defuncto Asinium Pollionem; quos historiam componere adgressos alterum breviario rerum omnium Romanarum — instruxit, alterum praeceptis de ratione scribendi.* Quintilianus X 1 113: *a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior.* Adde Senecae Epist. 100 §. 6—8, Horatii Carm. II 1.

quia nec per ipsum stetit: *nec* idem valet quod *ne — quidem*; cf. annot. ad II 82.

aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem. Locosque laetiores attemptavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus quas iam senior et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre possis; et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non tantum eo volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit

2. *ex verbis* P. 3. *locosque* P: F *locos quoque*. cf. ad 4 21. *letiores* (priori *e* proxime superscriptum *c* ut sit *lectiores*, tum *lati* ut sit *latiores*) P. ex F affertur *laetiores*. *attentauit* P. 4. *i''á sen''ior*, h. e. *senior iam*, P. falsa ad h. l. de libro P narrat Orellius. 5. *iusta* P. 7. *esset*] *est* FP: correxit Acidalius. 10. *opt. et* (spatio trium fere litterarum relicto post *opt.*) P, *optet* F: correxit Acidalius. *limine*, priori *i* superscr. ab alia m. *u*, P. 13. *laudatum* FP: emendavit Lipsius. 14. *tantum eo* P: *eo tantum* ceteri, ut videtur. *tectum* superscr. *uen* P. 16. *sed sit* P: *sed etiam sit* veteres editiones.

viderimus in quantum — suffecerit: est ἀπόδοσις, cuius πρότασις deperdita est, in hunc modum fortasse conformata: *si nostra studia, nostri aevi iudicia et negotia fori expertus esset, viderimus* cet.

Cap. 22. *pugna cum aequalibus suis:* v. annot. ad c. 18.

quod optimum dicendi genus esset: vitium in codicibus obvium *est* ex compendio *ēēt* ortum est.

priores eius orationes: hoc praecipue valet de ea qua defendit Roscium Amerinum et quam habuit pro Quintio.

otiosus circa excessus: otiosus est circa *excessus* qui admiscet egressiones non ex ipsa causa petitas sed aliunde arcessitas. Conf. Quintilianus III 9 4: *egressio vero vel quod usitatius esse coepit excessus, sive est extra causam, non potest esse pars causae, sive est in causa, adiutorium et ornamentum partium est earum ex quibus egreditur.* Fines orationis sive perorationes *excessus* noli interpretari: nam in his otiosum esse Ciceronem ne cum specie quidem veritatis pronuntiare licet, atque hanc certe secutus est eius reprehensor.

nihil referre: referre esse pro

in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. Quaedam vero procul arceantur ut iam oblitterata et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum; nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. Nolo inridere rotam Fortunae et ius 23 Verrinum et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum 'esse videatur'. Nam et haec invitus rettuli, et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores vocant. Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii

1. *et aspicere* P: *ut aspicere* F. 2. *liceat* P et ceteri: correxit Rodolphus Agricola. *arcētur* P, *arcentur* F: tacite correxit Lipsius. 3. *velut*] *qd* (*d* cum lin. transversa) superscr. *uel* P: tacite correxit Rhenanus. 5. *fugiet* F, non P. *scurilitatem* F, non P. 8. *uetrinum* P. 9. *haec* FP: *hoc* veteres editiones. *inuitatus* syll. *ta* punctis subnotata P, *inuitatus* ceteri: *invitus* Puteolanus. 11. *uocabant* P: correxit Lipsius. 13. *isti qui* (*isti* ab al m. punctis subnotatum et lineola transfixum) P: *isti, qui* F teste Schrautio. 14. *tui fidi* FP: *tui Aufidii* Puteolanus: *tui* expunxit Acidalius.

domum referre ex praegresso nihil *excerpere* intelligitur. Sic. c. 20: *referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt.*

in morem annalium: non solum annales maximos dicit, ut visum Doederlinio, sed etiam eos libros qui compositi erant ad illorum similitudinem et inscripti annales; Cicero de Orat. II 12.

Cap. 23. *rotam Fortunae:* respexit Ciceronis Pisonianam c. 10 *in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, Fortunae rotam pertimescebat.* Fortunae rotam intellige non quam dea manibus moderaretur sed quam ipsa corporis motu et se torquendo expressit (*der Fortuna Purzelschlag*). De hac cogitavit Aper, cum ante posuit *nullum sit verbum velut rubigine infectum.*

ius Verrinum: iniuriam Aper, non aequus veterum irrisor, Ciceroni nunc facit: nam illud vernile dictum Cicero non ex suo sed ex ore Siculorum ad dicacitatem inclinantium protulit in Verr. lib. I 46: *hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. Quorum alii, id quod saepe audistis, negabant mirandum esse ius tam nequam esse Verrinum.* Quippe ambiguitatem secuti sunt iuris a Verre propraetore dicti et iusculi (ζωμοῦ) ex carne verris parati. Hanc tamquam *foedam et insulsam scurrilitatem* Aper modo notavit.

esse videatur: versus hexametri

Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt oderunt, Calvi mirantur. Quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo maesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant quae animi anxietate contingit; parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero, disertissimi, ut potestis, ut facitis, inlustrate seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, video laetissima quaeque antiquorum imitantem; et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea quotiens causa poscit ubertas, ea quotiens

1. *noniani* medio *n* superscr. *v* P. 2. *fastidiunt. oderunt* supra versum ab al. manu interposito *et* P: ceteri *fastidiunt: oderunt*. 5. *illā* P ex rasura; fuerat *istam*. 6. *non firmitate*] *infirmitateq;* P, *infirmitatem* F: correxit Acidalius. 7. *valit.* P, non *valet*. 8. *contingit* FP: *contingat* e coni. tacite Lipsius. 10. *solo* P. *disertissimi viri* Acidalius. praestaret quod Bekkerus Acidalio tribuit *vos vero, viri dis.* *ut potestis* excidit e Trossii exemplari, adest in P. 12. *letissima* litt. *e* superscr. *c* P. 15. *et quotiens* P: *ea quotiens* Wopkensius.

clausulam *esse videtur* vitaturus et modestiae aliquid additurus Cicero paulo saepius admisit *esse videatur*, id quod etiam Quintilianus observavit IX 4 73: '*in Africa fuisse*' *initium senarii est, et primum pro Q. Ligario caput claudit; 'esse videatur', iam nimis frequens, octonarium inchoat;* X 2 8: *noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent 'esse videatur'.* Probus Institut. gramm. II 4 5 (p. 1491 P.): *trochaeus et paeon tertius facient illam structuram Tullio peculiarem, 'esse videatur'.*

Aufidii Bassi: orator et rerum scriptor ante Plinium maiorem; v. annot. ad XIII 20. *Servilii Noniani:* cf. XIV 19 cum annotatione. Locis ibi ascriptis adde Plinii N. H. XXVIII 5, XXXVII 21.

Sisennae: cf. annot. ad II. III 51.

quam iactant, sanitatem: licet hinc condiscere Atticos illos oratores (cf. ad c. 18) a Ciceronis aetate durasse etiam usque ad Tacitinam et longius: mox enim Fronto et sectatores in eo genere modum omnem excesserunt. Quintilianus XII 10 §. 14 et 15: *unde nunc quoque aridi et exsucci et exangues. Hi sunt enim qui suae imbecillitati sanitatis appellationem, quae est maxime contraria, obtendunt, qui quia clariorem vim elo-*

permittitur brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis adfectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, 24
vim et ardorem Apri nostri? Quo torrente, quo impetu seculum nostrum defendit! Quam copiose ac varie vexavit antiquos! Quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse non debet. Neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a vestris philosophis saepe cele-

2. *planitas* priori *a* superscr. *e* P. 12. *nostrorum* FP: correxit Acidalius. *quos modo insectatus* F, non P. 14. *vestris*] *nostris* Trossius, nescio num ex codice P. *celebrato philosophis saepe celebrato* P.

quentiae velut solem ferre non possunt, umbra magni nominis delitescunt.

sententiarum planitas: 'significantur sententiae, quae in summa proprietate et novitate tamen faciles eaedem intellectu sint. Crebro enim luminum affectatio aufert orationi lucem, et qui exquisiti aliquid proferre cupiunt, eodem nisu obscuri fiunt. Nam *sententiae* eodem sensu, minus illo communi, dictae sunt quo c. 20'. Doederlinius.

sic exprimitis adfectus: verbum *exprimitis* non referendum ad auditores, qui vel inviti affectum accipiant quemcumque orator induerit (c. 6), ut Doederlinius interpretatur, sed accipiendum est de dicentium elocutione, eos affectus quibus alios moveri cupiunt, oratione et verbis apte exprimentium. Huic contrarium est proximum *sic libertatem temperatis:* nam ubi affectus exprimit orator, liberius incedere solet. Ceterum Tacitus in hac clausula veteratoris artem imitatur. Aper enim audientes tamquam secum re vera consentientes conciliare et sermonem suum concludere studet peroratione variis luminibus distincta.

Cap. 24. *quanto non solum ingenio ac spiritu:* haec scribens verbum ex proxime prioribus intellexit *vexavit antiquos*; quibus liberius adiungit *sed etiam eruditione — mutuatus est*, ubi verbum *mutuatus est*, relatum ad *spiritum* et *ingenium*, minus aptum est.

immutasse non debet: immutasse cum ponit Maternus, cogitat fieri potuisse, ut Apri defensione novorum oratorum Messala permotus sententiam iam immutaverit: *immutare* si dedisset, sententiam nunc mutandam significasset.

a vestris philosophis: dicit Academicos; v. Ciceronis de Off. III 4. Ceterum etiam haec verba indi-

brato sumpsit sibi contradicendi partes. Igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas cur tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

25 Tum Messala, Sequar praescriptam a te, Materne, formam. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit, tamquam parum proprie antiqui vocarentur quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est; sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si cum omnibus fatetur plures formas dicendi etiam isdem seculis, nedum diversis extitisse. Sed quomodo inter

2. *illos* in rasura ex *istos* P. 3. *tantum* P: *in tantum* vulgo. *recessimus* P. 4. *centum et XX.* P. 5. *collegerit*] *colligitur* F, non P. 6. *praescriptam a te* P: *perscriptam et* F. 9. *constat* P: *constaret* F. 10. *istos* P. 11. *quo alio* P: *alio quo* F. 14. *cum omnibus* editor: *cominus* syl. *co* superscr. ab alia manu *quo* P, *comminus* (sive *cominus*) F, *quo minus* veteres editiones.

cant Maternum non in urbe natum, sed ex provincia ducere originem. Gallum enim fuisse, perinde ac Secundum et Aprum, ad c. 10 agnovimus.

Cap. 25. *ut opinor*: inest contemptus significatio adversus artificium illud ab Apro adhibitum, quod gravi viro non satis dignum esse Messala profitetur. Cf. annot. ad c. 17.

appellet: 'coniunctivus non ex *sive* pendet, sed suapte natura exhortativus est, ut *appellato*'. Doederlinius.

si cum omnibus fatetur: in antiquiore libro Germanico aut huius exemplari verba *cum omnibus* hoc compendio expressa coniecerim *c̄oibq*, unde proximus scriba fecit *cōinq*, h. e. *cominus*. Scilicet Aper c. 18 tamquam a se observatum et perspectum communicaverat *mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi*, dein monuerat *non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi*. Cui Messala reponit ipsum confessum esse de quo omnes consentiant. Si qui aliam emendandi viam ingredientur, ut saltem verbi formam *fatetur* et *si* intentatam relinquant, ipsis suadeo: nam sermonem esse de eo quod Aper ante dixit, in aperto est. Hinc non probandae coniecturae, in quibus id neglectum est, veluti Huetii commentum *quominus fateamur*, aut Acidalii *quin omnes fatemur*, aut Doederlinii *quominus fateatur*, sensu passivo, quae robigo procul a Tacito arcenda est, aut Eckstenii *si quidem omnes fatentur*, aut Dūbneri *quin immo fatemur*.

Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem concessu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. Nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod in vicem se obtrectaverunt et sunt aliqua epistulis

2. *hypericles* P. *ligurgus optinent* P. 3. *concessu* P (ex F Bekkerus *consessu*, Waltherus *concessu* refert): ceteri *consensu*. 4. *sicut apud* (litt. *ut* punctis subnotatae eadem manu) P: *sicut apud* F. 6. *Brutus si uere* (in P v. *uere* ab al. m. superscr. *iure*) FP: correxit Lipsius. 8. *consentiant. at strictior* FP: correxit Acidalius. 11. *sanctitatem* FP: correxit Rhenanus. 12. *scias* P: *sciam* F. 13. *voluntatis* FP: *voluminis* editiones veteres. *cogitationem* FP: correxit Beroaldus. 14. *inuicem* P. *optrectaverunt* P. *sunt*] Puteolanus *supersunt*, non FP.

omnium autem concessu: concessu dixit pro vulgari *consensu*: perinde XII 44: *concessu fratrum regnum adeptus.*

adstrictior Calvus: diligentiam Calvi et metum ne vitiosum colligeret, voce *adstrictior* apte Tacitus expressit, imagine sumpta a tunica vel calceo. Cf. ad c. 18.

amarior Caelius: nimius ardor animi et inimicitiarum studium, cuius aliquot vestigia etiam in epistolis Caelii, quae libro octavo Ciceronis ad Familiares litterarum insertae sunt, agnoscas, effecit ut in adversarios acerba dicacitate veheretur. Cicero de mortuo et sibi olim amico scribens in Bruto c.79 facetum et perurbanum celebrat, quo auctore usus Quintilianus X 1 115: *multum ingenii in Caelio et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir cui et mens melior et vita longior contigisset.*

invidere et livere: invidia respicit eos quibus invidetur, livor ipsos invidentes, quatenus livor pectore clausus macerat qui eo affectu tenentur.

solum inter hos arbitror Brutum: iuvenis veteris rei publicae amantissimus acrem libertatis vindicem et sapientiae studiis prae ceteris deditum singulari ac nescio an nimia veneratione prosequitur. Cf. III 76: *sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur.*

eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium sed hominum. Nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis adfici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. An ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? Quod ad Servium Galbam et Gaium Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc
26 nec satis adultae defuisse. Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle Gai Gracchi impetum aut Lucii Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis.

5. *Brutum*] *uerum* P, *utrum* F. 6. *detexisse* P: F *decessisse*. 8. *sergium* P. *.C. laelium* P: *Caelium* F. 9. *destitit* P, non Trossii *desistit*. 10. *quedam* P. 11. *nec satis* P: *satis* F teste Schrautio. *opimo* P. 13. *hercle* P, non *Hercule*, perinde statim. *.C.* P. *.L.* P.

Cap. 26. *Gai Gracchi impetum aut Lucii Crassi maturitatem:* contraria sunt impetus et maturitas, ille nimio studio effervescens et verborum copiam effundens, haec affectus vim temperans et sedato genere dicendi usa. De Crassi maturitate conf. Cicero in Bruto c. 39 et 40. Macrob. Saturn. V 1: *stili dicendi duo, — unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur.* Gracchi impetum significavit Aurelius Caesar ad Frontonem, cuius verba indicavit Orellius ex ed. Romana a. 1846 p. 69: *Gracchus cum cado musti maneat, dum venimus: neque enim metus est Gracchum interea cum musto defervere posse.*

calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: calamistri (*Brenneisen*) cincinnis ornandis proprie adhibentur, hinc nomen transfertur ad immodicum ac mollem orationis cultum et ornatum, veluti a Cicerone Bruto c. 75, Orat. 27. *Cincinnos μυροβρεχεῖς* in Maecenatis oratione deprehendit Augustus, ut narrat Suetonius 86: *in primis Maecenatem suum* (exagitavit), *cuius μυροβρεχεῖς, ut ait, cincinnos usquequaque persequitur et imitando per iocum irridet.* Seneca Epist. 114 §. 4: *non oratio eius aeque soluta est quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni vir ingenii fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intellegi, si non etiam in oratione difflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam et errantem et licentiae plenam. Tinnitus* (κώδωνες) sunt soni varii sed inanes (*Schellengeklingel*), quibus copiosum sed sententiarum vacuum dicendi genus in Gallione notatur. Ipse Gallio pater est, qui vocatur, Maecenati aetate suppar,

Adeo melius est oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum oratores ita utuntur ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens sicut histrioni clamor et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis.

4. *oratores* editor: *autores*, litt. *u* ab eadem manu puncto subnotata ut sit *atores*, P (*c* superscriptum esse perperam narrat Orellius), alii *actores* et *auctores*. 9. *sicut histrioni clamor et exclamatio* editor: *sicut his clam et exclamatio* P (non vere de codice P rettullit Orellius), *sicut his* (*bis* in Bekkeri editione vitium typographicum videtur) *cta et exclamatio* F, *quibusdam exclamatio* Rhenanus et vulgo. 10. *temere* FP: correxit Lipsius.

non Senecae frater memoratus ab hoc nostro XV 73. Patris mentionem fecit VI 3. Quintilianus III 1 21: *scripsit de eadem materia* (de arte dicendi) *non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio;* IX 2 91: *remissius et pro suo ingenio pater Gallio: 'dura, anime, dura: here fortior fuisti'.*

temporum nostrorum oratores: quod in libro Perizoniano legimus *atores*, hoc est *oratores* in principio nominis post praegressum *nostrorum* truncatum, sive celeri pronuntiatione syllaba *or* proxime post *or-um* a scribente omissa sive littera *o* in forma *ōatores* (= oratores) ab antecedente *rum* hausta est. Vulgo legunt *actores* et accipiunt *actores causarum*, sed eo intellectu id nomen neque a Tacito neque a ceteris Latinitatis auctoribus dicitur. Nam quae exempla a Forcellinio proferuntur, quibus probetur *actores* interdum idem valere quod *oratores*, in duobus habemus *actores causarum*, non simpliciter *actores*, in tertio autem ex Quintiliano (VI 1 32: *quae enim est actoris infantia*) allato *actor* non est *orator* sed *accusator* (ὁ διώκων).

histrionales modos intellige cantica ab histrionibus decantari solita. Illi autem modi quam licenter et effeminate cantarentur conveniente ad cantum actione, luculente pinxit Persius I 98:

Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo

Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat; quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud nobis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. Nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur ut se ante Ciceronem nu-

1. *prius enim contento* F, non P. 3. *studiis* FP: tacite correxit Rhenanus. *deiectus* P: F *derectus*. 4. *comparatus* om F, non P. 6. *multos* (*os* punctis subnotatum et superpositum *um*) *coeteros* P. 7. *nult* correcto ab eadem m. *uelut* P. *substinuit* F. 8. *incurato* P. 9. *plurisque* P: *plerisque* F. 10. *deinde* FP: *demum* edit. veteres. 11. *nunc*] *non* FP: tacite correxit Rhenanus. *detrectasse* P, non *detractasse*. 13. *in commune* P: F *in omne*. *veritum* FP: correxit Lipsius. *laederet* Trossius, nescio num ex codice P.

Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis
Euion ingeminat: reparabilis assonat Echo'.

sicut histrioni clamor et exclamatio: *his* explevi ut fieret *histrioni*; *clam* resedit, postquam formae *clamō* (= *clamor*) ultima littera ante *et* hausta est. Oratoribus tamquam histrionali opera fungantur, acclamatur *tenere! tenere! Clamor* editur ad ostendendam approbationem, *exclamatio* admirantium est. De re Quintilianus XI 3 57: *sed quodcumque ex his vitium magis tulerim quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi, quod inutilius sit an foedius nescio. Quid enim minus oratori convenit quam modulatio scenica et nonnunquam ebriorum aut comissantium licentiae similis?* Plinius Epist. II 14: *pudet referre quae, quam fracta pronuntiatione dicantur, quibus, quam teneris clamoribus excipiantur.*

plus vis habeat quam sanguinis: genitivus *vis* apud aureae aetatis auctores non reperitur; praeter Tacitum admissus est a iurisconsultis. Cf Vossii Aristarch. III 48 p. 531 ed. Foertsch. Nomen sanguinis pertinet ad vigorem et ornatum orationis, cui opponitur siccus orator sive exanguis. *Vis* nunc tribuitur Severo et paulo post *virium robur* ob feriendi et lacessendi studium et facultatem. Conf. I 72, IV 21.

ut se ante Ciceronem numeret,

meret, sed plane post Gabinianum? At ego non verebor 27 nominare singulos, quo facilius, propositis exemplis, appareat quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

Appara te, inquit Maternus, et potius exolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante *memorabas*, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri disputatione: nam et vos non offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringat, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum adfectus proferre.

3. *fracta* P: F *freta.* *dimunuta* (non Trossii *diminuta*) P. 4. *Appara te* FP: *Appropera te* Spirensis, *Appropera* Puteolanus: in F Schrautius legit *apparato* superposito *a parte.* 5. *hec* (non *haec*) P. 6. *me quidem* FP: *me equidem* editiones veteres. 7. *memorabas* additum ab editore: *dixisti* supplevit Lipsius. 8. *mitior̃ eloquentia et temporum nostrorum miratus iratus* P, *mitiore eloquentia et temporum nostrorum miratus iratus* F: correxit Schelius. 10. *offensus a prima* FP: *offensus Apri nostri* I. Fr. Gronovius. *disputatione* P: *disceptatione* F. 11. *nam et vos non offendi* editor: *nam et uos off.* P, *nam nec uos off.* F, *nec uos off.* Puteolanus. 12. *perstringat* P: *perstringit* F.

sed plane post Gabinianum: adeo veteres oratores contemnunt vel potius non intelligunt, novos immodice suspiciunt, ut optimum ex antiquis superare sibi videantur, sed Gabiniano, novum morem inprimis sectanti, *plane* (*jedenfalls* Germani nunc dicunt) cedant, ne sentientes quidem etiam hunc Cicerone longe inferiorem esse. De Gabiniano Hieronymus in Chron. Euseb. (ad a. 78 a Chr.): *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.* Idem in Praefat. cap. 8 in Iesaiam: *qui si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum.*

Cap. 27. *appara te — exolve promissum:* idem hoc atque *appara te potius ad exolvendum promissum*, quae posterior notio peculiari enuntiato expressa ἐπεξηγητικῶς per particulam copulativam adiungitur. Maternus enim Messalam ab insectatione aequalium oratorum àbducere eo conatur, quod aliud ei propositum et ab ipso promissum esse monet.

paulo ante memorabas: formam verbi *memorabas* elicui ex proximi versus vocabulo *miratus*, quod ibi ante *iratus* in libris scriptis offendimus. Hoc enim per compendium expressum (*mẽorabas*) ex sua sede in subsequentem versum ab imprudente scriba receptum in similitudinem vocis *iratus* corrumpi potuit. Lipsius dedit *dixisti*, sed ne tempus quidem verbi satis aptum

Perge, inquit Maternus: cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.

28 Tum Messala, Non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes adsignatis proferendi in medium quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? Quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. Quamquam vestra vobis notiora sunt. Ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim exci-

1. *Maternus : cum* P: *Maternus, et cum* F. 2. *qua* ascripto supra versum ab alia manu *a* P: *qua* F. 4. *tum*] *qui* superposito ab eadem manu *Tū* et *qui* punctis subnotato P: ceteri *Et.* 6. *etiamsi* P: F *etenim iam si.* 8. *illa* FP: *ista* antiquae editiones. 11. *in* om F, non P. 12. *uestra uobis* P: F *vestra nobis* (Schrautius etiam in F *vestra vobis* legit), *nostra nobis* Rhenanus. 12. *iis* P.

videtur. Conf. c. 12: *eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus atque, ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus.* Mentionem illam Messala fecit c. 15.

non iratus: in FP quod legitur *iratus*, ex compendio *n̄. iratus*, h. e. *non iratus*, natum esse existimo. Doederlinius suspicatus est *minus iratus*, sed hoc verbis *plane mitior* non convenit. Praetulit tamen Orellius

Apri nostri disputatione: in codicibus *a prima* corruptio hinc provenit, quod in vetustiore libro fuit *aprini* vel *aprin̄ι*, h. e. *apri nostri.* Recentior scriba id esse *a prim* opinatus continuo *a prima* supplevit: nam hoc ante proximum nomen *disputatione* requiri credidit. Ut nunc *m* ex *n* et *ι*, sic in Historiis IV 2 pro *Ariciam* duplici vitio *arciani* natum est in M[a]. Pronomine *nostri* mitigare Messala studet quae modo paulo acerbius adversus Apri sermonem exposuerat. Rectius igitur et pressius codicum vestigia secutus est Gronovius quam Silligius, qui coniecturam *Apri illa* excogitavit probatam Orellio.

nam et vos non offendi decebit: in optimo codice excidit negatio antiquitus exarata *nõ* et ante proximum *offendi* truncata *n*, dein penitus oblitterata. In Farnesiano qui interpolavit *nam nec vos offendi decebit*, vitium adesse sensit, sed non suo loco investigavit, neque satis Latinum est quod intulit. Hanc scripturam rursus interpolavit Puteolanus, ut evaderet *nec vos offendi decebit*, quod Latinitati sufficit sed ab antiquo loci habitu longe recedit.

aures vestras perstringat: i. e. ad aures vestras ingratum et molestum accidat. Horatius Carm. II 1 17: *iam nunc minaci murmure cornuum perstringis aures.*

Cap. 28. *quamquam vestra vo-*

piunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuius-

1. *de* P: *a* F. 3. *iam pridem* FP: tacite correxit Rhenanus. 4. *cellā* P, *cellam* F: correxit Puteolanus. 8. *soboles* P. *qua* P: *quia* F. 12. *actiam* P, *acciam* F: *Atiam* Ernestius. 15. *et in nullis* (non *ullis*) P et F: tacite correxit Rhenanus. *partibus* superscr. ab eadem m. *prauita* P.

bis notiora sunt: ego de urbe — loquar: in brevius contraxit hanc sententiam: 'quamquam vitia provinciarum non persequar: haec enim vobis notiora sunt'. De particula *quamquam* perinde posita v. G. 18. Omnes quibuscum Messala loquitur, Secundus, Aper, Maternus, Galli fuerunt; v. annot. ad cap. 2 et 10 et 24. Vere igitur legimus *vestra vobis*, non *nostra nobis*, ut interpolatum a Rhenano.

non in cella — sed gremio ac sinu matris: retinentes antiqui moris in cetera Italia et coloniis civium Romanorum durabant. Cf. A. 4: *in huius sinu indulgentiaque educatus* cet. Vocem *in gremio* sumpsit ex Ciceronis Bruto c. 58: *legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum; apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris.* Cf. annot. ad c. 18.

Corneliam Gracchorum — matrem: egregie laudant Plutarchus in Tiberio Graccho 1, Cicero in Bruto 58, Quintilianus I 1 6. De *Aurelia* matre Iulii Caesaris Plutarchus Caes. 9 et 10, Suetonius 74; de Atia Augusti matre Suetonius Aug. 4: *Atia Marco Atio Balbo et Iulia sorore Gai Caesaris genita est.* Virgilius Aen. V 568: *Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,* ubi Servius: *propter Atiam dicit matrem Augusti, de qua Antonius ait 'Aricina mater': vult enim eius etiam maternum genus esse antiquissimum.* Virgilii versiculo scribendi ratio *Atia* vindicatur, *Attia* autem, ut est in editis Dionis exemplaribus XLV 1, satis reprobatur.

universum hauriret: h. e. cupide amplecteretur et addisceret. Sic c. 30: *se — apud Diodotum Stoicum*

que natura toto statim pectore adriperet artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum
29 hauriret. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos adsuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit et sui alienique contemptus. Iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantu-

1. *arriperet* P, ut solet. 2. *rem* om P. 7. *erroribus et uirides teneri* P (*et uirides* linea ab al. m. subnotata) P: *erroribus et viles* superscr. 'alii *vires*' F. 9. *aut* ante *dicat* om F, non P. 10. *improbitati* F, non P. 11. *bibacitati* litteris *bib.* ab al. m. lineola subnotatis et superscr. *dic.* P, ut ex coni. edidere Bipontini, cum ante esset *libertati: bibacitati* F.

omnes philosophiae partes penitus hausisse. A. 4: *se in prima iuventa studium philosophiae acrius — hausisse.* H. IV 5: *e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit.*

Cap. 29. *infans delegatur Graeculae alicui ancillae:* meliorem et veteris rei publicae morem suis temporibus apud Germanos obtinere Tacitus tradidit G. 20: *sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.*

plerumque vilissimus — accommodatus: Suetonius in Claudio c. 3: *diu — sub paedagogo fuit, quem barbarum et olim superiumentarium ex industria sibi appositum, ut se quibuscumque de causis saevissime coërceret, ipse quodam libello queritur.*

sed lasciviae et dicacitati: ut *lascivia* respondet contrarium priori *probitati*, sic *dicacitas*, h. e. liberum et solutum iocandi genus, *modestiae*. Ex improbitate *impudentia*, quae statim nominatur, ex hac *sui alienique contemptus* consequitur. Recte igitur dicacitas pro bibacitate, quae nominis forma quamquam ad analogiam facta alibi non reperitur, reposita est.

histrionalis favor: de hoc v. ad I 16.

equorumque studia: dicit studia erga factiones circi. Plinius Epist. IX 6: *quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla.*

lum loci bonis artibus relinquit! quotum quemque invenies qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et inlecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur, nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur. Sed expetuntur quos rhetoras vocant; 30
quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam necesse est animum ad eam disciplinam qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum adsiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus in-

1. *relinquitur* F, non P. *ĩuenires* transfixo *r* P, *invenies* F, *inueneris* Puteolanus. 2. *qcquam* P. 4. *nec* P cum ceteris : *ne* I. Fr. Gronovius. cf. ad 4 35, H. 2 82. *ullas quidem* P : ceteri *quidem ullas*. 6. *salutationum* FP, alii *salutantium*. 8. *laboratur* FP : *elaboratur* veteres editiones. 10. *notitiã* P, sed lineola eadem manu transfixa est. 11. *insumitur* P : *insumere* F. 14. *dicturus*] *de curiis* FP : emendavit I. Fr. Gronovius. 15. *quo ausos* teste Schrautio F, non P. 18. *nobis* FP : correxit Rhenanus.

Nunc favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica. Dicit tunicam factionis prasinae aut venetae aut albatae aut russeae. Conf. *Ueber die Partheyen der Rennbahn von Fr. Wilken.* Berolini 1829. 4.

parum laboratur : qui aliqua re aut *ex* vel *in* vel *ab* aliqua re laborat, malo premitur et malum est nomen sexto casu adiunctum, velut III 25 *tunc legibus laborabatur*, A. 16 *discordia laboratum.* Hinc malo quodam pressi etiam absolute *laborantes* nominantur, ut XIII 39, H. II 24. Sed dicitur etiam, non quidem a Tacito in aliis locis sed tamen ab optimis Latinis auctoribus, de cura et opera laboriose adhibita et sustentata, et hoc intellectu quo minus id verbum nunc etiam Tacitus admiserit, nihil est quod impediat: nam *elaboratur* consulto videtur vitasse, ne laborem cum successu initum, sed nihil nisi laborem et studium significaret. Non bene comparatur

scribitur; in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert: se apud Quintum Mucium ius civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse; neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita est enim, optimi viri, ita. Ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad uti-

3. *referre* superscr. in fine *t* et *re* punctis subnot. P, *referre* F. .*Q*. P. 4. *Mutium* P. *achademicum* P. 5. *Diodorum* FP: correxit Lipsius. ex F *Diodotum* rettulit Schrautius, *Diodorum* Niebuhrius. *omnes* FP, non *omnis*. 6. *iis* P. *copia* P: F *copiam*. 9. *hercle* P, non *Hercule*. 10. *artis ingenuae* P: *ingenuae artis* veteres editiones. 11. *suptilitatem* P. 11. *ille* ante *moralis* in P est in rasura. 13. *est enim* FP, non *enim est*. 14. *exuberat* ante litt. *u* ab al. m. superscr. *h* P. 15. *ista* P.

ex G. 45 *frumenta* — *laborant*, quae dicendi ratio ad aliud genus referenda est; cf. ibi annotata.

Cap. 30. *statim dicturus*: dicit c. 35.

qui Brutus inscribitur: cf. annot. ad c. 18. Bruti Ciceronis eam partem significavit quam legimus c. 89—92.

ille rerum motus causasque: dicit τὰ περὶ φύσεως sive τὰ φυσικά, secutus divisionem philosophiae in tres partes discretae, quam primus instituit Plato. Conf. Senecae Epist. 89 §. 8: *philosophiae tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores, moralem, naturalem, rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa subrepant.* Adde Quintiliani XII 2 10.

is est orator — *apte dicere*: ducem sequitur Ciceronem de Orat. I 15: *quamobrem si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus*

litatem temporum, cum voluptate audientium possit. Hoc sibi 31
illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum intellegebant opus esse non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur. Haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia: nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec in vicem misceantur, de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum eorum quae nec in virtutibus nec vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit quid ira, promptius ad miserationem impellat,

1. *haec* P: F *hoc*. 5. *ut in his* P, *ut in iis* F, *ut his* Puteolanus. *imploreut* F, non P. 6. *et turpi* FP: *ac turpi* veteres editiones. 7. *haec enim est* P: *haec est enim* F. 10. *haec* P: editiones *haec ipsa*. *inuicem* P. 13. *nec in uirtutibus nec uitiis* P: *neque in virtutibus neque in vitiis* F. *cõtinētr* (hoc subducta lineola delendum notatur) *numerantur* P. 14. *ista* ab al. m. superscr. *illa* et *ista* punctis subnot. P. 15. *quid irae promptius et miserationem* P et ceteri: correxit Lipsius.

nomine, qui quaecumque res inciderit quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.

Cap. 31. *sed ut iis artibus pectus implerent in quibus — disputatur:* imitatur ducem suum Ciceronem, ipsum auctore Platone (cf. Phaedr. p. 260 sqq.) scribentem in Oratore c. 33: *nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis — sine ea scientia quam dixi graviter, ample, copiose dici et explicari potest.* Idem de Orat. III 30 extremo: *onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.*

in deliberationibus de honestate: deliberationes dicit quae fiunt in contione coram populo aut in senatu. *De honestate* nunc scripsit, ne iterum compareret *de honesto* paulo ante positum.

intellectum eorum quae nec in virtutibus — numerantur: haec Cynici vocabant τὰ ἀδιάφορα. Diogenes Laërt. VI §. 105: τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα λέγουσιν ὁμοίως Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ. Aristo Chius finem esse dixit ἀδιαφόρως ζῆν πρὸς τὰ

qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. Alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos. Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes adsumere, iisque prout res

2. *uersatur* P et ceteri: tacite correxit Rhenanus. 5. *uenas* FP: *habenas* Puteolanus. *postulabit* P: *postulaverit* F. 6. *om̄em orationem* puncto posito infra *m̄* P. 7. *astrictum* P. 9. *fidem* FP: correxit Puteolanus. 11. *pmouēdos* cum *p* caudato P. 12. *apertos* F, non P. 13. *achademici* P. 15. *iisque* FP, non *hisque*.

μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας. Conf. Cicero de Fin. III 16, Academ. II 42, ad Att. II 17.

ex his fontibus etiam illa profluunt sqq: cf. Ciceronis Orat. c. 4.

tenebit venas animorum: Cicero de Orat. I 52: *teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum apud quos aliquid agit aut erit acturus, mentes sensusque degustet.*

alios fusa: Cicero de Orat. II 15: *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens — persequendum est.*

paratos iam locos: loci illi communes non demum discendi sunt, cum causa inciderit cui apti videantur, sed quicumque aliquando usui possunt esse, eos ex Topicis Aristotelis et ceterorum Peripateticorum orator acceptos memoria tenere debet. Cicero Orat. 15: *facile igitur hic noster —, quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis.*

dabunt Academici pugnacitatem: ab Academicis discetur quomodo adversarii iuste et fortiter oppugnandi sint. Cicero de Orat. I 18: *hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando.* Quintilianus XII 2 25: *Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat.*

ne Epicuri quidem et Metrodori honestas — exclamationes: Metrodorus est Lampsacenus, discipulus et amicus Epicuri; Diogenes Laërt.

poscit uti, alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civitatem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. Ideoque et iuris scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammaticae, musicae et geometriae *arte* imbuebantur. Incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes quibus iuris notitia desideratur, pleraeque autem in quibus haec scientia requiritur. Nec 32
quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis, longeque interesse manifestum est, possi-

1. *alienum nō erit* (*nō* punctis subnotatum) P. 2. *neque Stoicorum* P: *nec St.* F. *civitatem*] *artem* P, ascripto in marg. *ciuitatem* ab al. manu: *civitatem* F et ceteri, ut videtur. 3. *haurire, omnes libare* Bekkerus et Waltherus: *audire omnes liberaliter* FP. *iuris* P: ceteri *iuris civilis.* 4. *grammaticae, musicae et geometriae arte* editor: *grammatice musice et geometrie* in rasura (fuit ter *ae*) P, *grammatice, musice et geometrice* F. 6. *pene* P. 7. *plerumque* ab al m. superscr. *ae* P, *plerumque* F, *pleraeque* Rhenanus. 7. *haec scientia* P: *haec quoque scientia* F, *hae quoque scientiae* Rhenanus. *requiritur* F: *reperitur* superscr. *quiritur* P, *requiruntur* Rhenanus. 8. *sufficēt* (h. e. *sufficeret*, ut scribitur in F): correxit Pithoeus (non Pichena, ut narrat Orellius). 9. *autem* FP et ceteri: *enim* tacite Rhenanus.

X §. 22. Cic. de Finib. II 28: *ipse Metrodorus paene alter Epicurus.* Exclamationes frequenter in scriptis Epicureorum: Cicero de Finib. II 27 88: *ait enim se, si uratur, 'quam hoc suave' dicturum.* Seneca Epist. 66 §. 17: *Epicurus quoque ait, sapientem, si in Phalaradis tauro peruratur, exclamaturum, 'dulce est et ad me nihil pertinet'.* Exclamare adeo proprium Epicuri, ut quae firmiter et identidem asseveraret, *clamare* dicatur a Cicerone Finib. II 16: *itaque, Torquate, cum diceres clamare Epicurum non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur* cet.

neque Stoicorum civitatem: in civitate Stoicorum neque oratores requiruntur neque ullae partes eloquentiae erunt: nimirum omnes verae virtutis et perfectae sapientiae studiosi sponte ac cito consentiunt et perpetua concordia agunt. Civitatem libris editis a Stoicis conditam, ut instituit Plato, noli cogitare: nam de talibus Stoicorum conaminibus nihil accepimus. In libro P *artem* Pontani errorem esse credo, in quem incidit oculis in proximum nomen *artes* intentis, correctum ab alia manu in margine aut ex ipso antiquo exemplari aut ex alio eius apographo.

grammaticae, musicae et geometriae arte *imbuebantur:* vulgatam lectionem *grammatice, musice et geometrice imbuebantur* corruptam esse non solum argumento est codex P, ubi *e* in rasura sic legitur ut ibi in trium nominum terminis *ae* fuisse appareat, sed multo magis usus Taciti, qui Graecas formas respuit, Latinas approbat. Cf. c. 30: *in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae,*

deat quis quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit. Idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere nec extitisse unquam confirmo, nisi eum, qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus

4. *ita*] *iam* P. 5. *aut leg. a* subnotato P, *aut leg.* F. 6. *isse et ut* P: tacite correxit Rhenanus et ita esse in F dicit Waltherus. *esse* FP: *etiam* veteres editiones, quod vitium Muretus ingenio suo sustulit. 7. *neque* F. 8. *nisi*] *n* superscr. *i* P.

non grammaticae — scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem — cognoverat. Genitivos fuisse in libro P manifestum ex forma *geometrie*, quae est pro *geometrię* (= geometriae). Intercidit ablativus, sive *arte* fuit, ut ego conieci, sive alius, v. c. *praeceptis*. Vocis *arte* per compendium *āte* expressae prior pars a praegresso vocabulo *geometriae*, altera a proximo *imbuebantur* hauriri facillime potuit.

Cap. 32. *ad tempus:* h. e. *interim*, *τέως* sive *εἰς τὸ παρόν*, donec necessitas inciderit addiscendi aliquid ex ceteris artibus et doctrinis. Sic IV 19: *dilato ad tempus* (interim) *Sabino*. Non recte interpretatur Doederlinius 'ut postulat tempus'. Simplex illud et uniforme intelligunt dicendi artem a cetera scientia seiunctam.

etiam aliud agentes: etiam cum aliud agimus atque id quod in ipsis artibus tractatur; sic orator philosophiae praeceptis et iuris scientia imbutus ornatu suo et cultu etiam tunc gaudet in dicendo, cum nihil de philosophia aut iure disceptatur. Fallitur Orellius scribens: 'ubi non in actionibus forensibus vel in declamationibus occupati sumus, sed in disputationibus litterariis cum familiaribus versamur'.

eminet et excellit (*ragt hervor und fällt in die Augen*): *excellere* plus est quam *eminere*: nam hoc est super rei alicuius superficiem aut caput prostare, illi motus significatio admixta est.

per omnes eloquentiae numeros isse: locutio *per numeros ire* (*in Takten schreiten*) a saltatione ducta est et sonorum numeris, non ab arte palaestrica ad rhetoricam translata: nam palaestrici quoque magistri suos *numeros* (*Gänge*) ex illis artibus ad suam accommodaverunt. De numeris palaestricorum Quintilianus XII 2 12: *palaestrici doctores illos quos numeros vocant non idcirco discentibus tradunt, ut iis omnibus quae didicerunt in ipso luctandi certamine utantur —, sed ut sit copia illa, ex qua unum aut alterum, cuius se occasio dederit, efficiant.* Perinde nostri temporis batuendi magistri ore gerunt *tertiam*, *quartam*, *quintam*, easque ex arte musica ad suam transtulerunt.

eorum vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur, ut ignorent leges, nec teneant senatus consulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? Et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum sed

2. *nec* P: vulgo *non.* 8. *pene* P. 9. *ego* P: F *ergo.* 10. *arbitratus in tantum* P, *arbitror in tantum* F, *arbitror: cur tantum* veteres editiones. 11. *recessimus* P. 14. *uerbis refert, quicquid* FP: *verbis, quicquid* antiquae editiones.

vis quoque quotidiani sermonis: *sermonem quotidianum* dicit confabulationem nulla arte cultam, sed negligenter et ex tempore fusam, quas *fabulas* vocavit c. 2. Nam usus domesticus et sermo quotidianus aliquando exquisitus est, qualem Cicero praedicavit in aliquot familiis (Brut. c. 58), sed saepius et plerumque sine cura et cultu. *Vis quotidiani sermonis* id est quod efficitur (der Einfluss) quotidiano sermone, qui caret arte et ornatu. Nimirum novi oratores tantum absunt ut multarum artium scientia ornati de causis eleganter et docte dicant, ut quotidiani sermonis habitu contenti et usi foeda vitia committant. Editores nunc mire suspiciosi et nodum in scirpo quaerentes varia coniecerunt, Rhenanus *faex* (ipse scripsit *fex*), Orellius *virus*, Doederlinius *usus*, particula *quoque* transposita post *foeda*.

ius civitatis: concinnitatis gratia hoc posuit, non *ius civile*, inter illa *senatus consulta* atque *sapientiae studium*. *Civitas* nunc pro *civibus*.

praecepta prudentium: prudentes accipe *iuris* (h. e. iuris privati vel civilis) *prudentes*, qui libris editis formulas actionum praescripserant; perinde *responsa prudentium* dicuntur.

quasi una ex sordidissimis artificiis: quemadmodum vetus eloquentia *domina* fuit pulcherrimo comitatu insignis, sic nova ad ancillae sordes detrusa est. Sed relicta imagine pro ancillis vel artificibus posuit ipsa artificia (τέχνας, *Handwerke*), imago autem hoc saltem effecit, ut *una* poneretur, non *unum*.

studiosissimum Platonis auditorem fuisse: ea fama per epistolas

Academiae spatiis consecutum. Sunt aliae causae, magnae et graves, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi, quos, si forte haec audiverint, certum habeo dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.

33 Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera expecto, ut quemadmodum ex te didici quid aut illi scirint aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuvenes iam et forum ingressuri confirmare et alere ingenia

1. *achademiae* P. 2. *quas uobis* superscr. *a* P, *quas uobis* F. v. *aperiri* ultima litt. *i* in rasura est in P. *equum* P. 4. *quos* Pithoeus: *qd* lineola ducta per *d* (non *quo*, ut narrat Orellius) P, *quod* ceteri. *audiuerint* P: *audierint* F. 9. *liniamenta* P. 10. *sūt*, litt. *u* in priore parte puncto subnotato ut fiat *sint*, P, *sint* F: *sunt* editiones usque ad Rhenanum, qui tacite correxit. 11. *scientiae* F et antiquae editiones usque ad Rhenanum. 12. *foecund.* P. 13. *quod* F, non P. *scirint* Heinrichius ad Iuvenal. XV 166: FP *scirent*, vulgo *scierint* auctore Schurzfleischio. 14. *resciamus* F, non P. 15. *et forum* P: *forum* F. *ingressuri* P: *ingressi* F.

Demostheni subditas dispersa videtur: Cicero Orat. 4: *idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet quam frequens fuerit Platonis auditor.* Haec esse coniecerim *ἀδέσποτα ὑπομνήματα*, quae antestatur Hermippus Peripateticus apud Plutarchum Demosth. 5: *Ἕρμιππος δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο τὸν Δημοσθένη συνεσχολακέναι Πλάτωνι καὶ πλεῖστον εἰς τοὺς λόγους ὠφελῆσθαι.* Eiusdem famae mentio fit a Polemone apud Diogenem Laërt. III §. 46, Cicerone Brut. 31, Quintiliano XII 2 22.

Cicero his — verbis: Orat c. 3: *fateor me oratorem, si modo sim aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis extitisse.* Quintilianus XII 2 23: *Marcus Tullius non tantum se debere scholis rhetorum quantum Academiae spatiis frequenter ipse testatur.* De frequentia testimonii Quintilianum memoria fefellit.

a vobis: vitium *vobis* aut ex scriptura *auobis* aut ex antiquiore *AVOBIS* originem duxit.

Cap. 33. *vestigia et lineamenta:* vestigia proprie pedibus exprimuntur, lineamenta ad os sive vultum pertinent.

forum ingressuri: qui causas

sua soliti sint. Neque enim tantum arte et scientia sed longe magis facultate et usu eloquentiam contineri nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur.

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent, Messala quasi rursus incipiens, Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum. Quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiae accedat. Per quae colligitur eandem esse rationem et percipiendi quae proferas, et proferendi quae perceperis. Sed si cui obscuriora haec videntur

1. *sūt*, litt. *u* puncto supposito ut paulo ante, P. *tantum* editor: codices *dum*. *inscientia* P. 2. *et usu eloquentiam* Tyrwhittus: *et eloquentia* FP, *eloquentiam* Rhenanus. 3. *ii* FP. 4. *ann.* P. 6. *videtur* F. 7. *persequor* F. 9. *tot aut reconditas tam* (in P ante *tam* ab al. m. superscr. *aut*) FP: *tot reconditas aut tam* Puteolanus. 11. *eloquentiae*] malim *eloquendi*. 13. *percipis* P.

forenses suscipere volebant, sive accusantium sive defendentium partes amplexuri.

tantum arte et scientia: corruptionem *dum* pro *tantum* ita evenisse iudico ut, cum in antiquo exemplari pronuntiandi vitio *tādum* exaratum esset, proximus scriba vel corrector emendaturus redderet *dum*. Ne quis opinetur sic dicendum fuisse *arte tantum*, cavebitur exemplis: III 57: *tantum infamia usurus;* H. II 64: *domus suae tantum adversa sensit;* O. 2: *tantum Catonem cogitasset.* Orellius et Doederlinius coniecerunt *dumtaxat*, sed tum debuit *arte dumtaxat*, non *dumtaxat arte*. Cf. G. 25: *exceptis dumtaxat iis gentibus qui regnantur.* Plerique editores Puteolanum secuti particulam expunxerunt.

vis eloquentiae: ex facultate dicendi sponte oritur non vis eloquentiae, sed ipsa eloquentia, h. e. *vis eloquendi.* Hoc *eloquendi* cum aberratione admodum frequente *eloquenti* expressum esset, inde ut corrigeretur *eloquentię* pronum erat.

Cap. 34. *deducebatur — obtinebat:* conf. Cicero Laelio 1: *ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem;* idem Bruto 89: *ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae P. F., qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat.* Eundem morem laudant vel commemorant Cicero pro Caelio 4, Horatius Epist. II 1 106, Persius V 30—44, Quintilianus XII 11 6.

altercationes — iurgiis: altercatio interrogando et respondendo

isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum quae propriae oratorum videntur.

34 Ergo apud maiores nostros iuvenis ille qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem qui principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse sive in iudiciis sive in contionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque exciperet et iurgiis interesset, utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. Magnus ex hoc usus multumque constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discri-

1. *illud* in rasura P (fuit *istud*, non *istuc*) et F: *id* veteres editiones. 2. *paratiorem* Lipsius: P *paratum*, F *aperte*. 3. *proprie et oratorum* F, *proprie et ornaturũ* in rasura P (in huius marg. *circa oratoriũ*, hinc Puteolani *circa oratoriam*): *propriae oratorum* Broterius, *propriae esse oratorum* R. Agricola. 7. *optinebat* P. 9. *cont.* P, non *conc.* 10. *exciperet — interesset* FP: correxit Bekkerus. 11. *magnos* P et editiones usque ad Rhenanum, qui tacite correxit. 12. *multumque* P: ceteri *multum*.

peragitur, quae ubi fit maiore animi contentione et non sine acerbitate, *iurgium* est. Altercationis exemplum habet Cicero ad Att. I 16 §. 8 et 10, praecepta tradit Quintilianus VI 4 1 sqq.

exciperet — interesset: duplicem maculam (*excipere — interesse*) dextre detersit Bekkerus. Nam infinitivos si tenemus, existit sententia longe ineptissima, apud maiores iuvenem *didicisse* oratorum excellentium altercationes auribus excipere eorumque iurgiis interesse, quasi hoc quemquam mortalium *discere* oporteat, quasi quisquam docendus sit ut audiat altercantes et intersit iurgiis eorum. Praeterea in vulgata repetitum *interesse* magnopere offendit: *interesset* paulo post *interesse* positum minus odiosum. Quod sequitur *utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret* breviter dictum pro *atque, ut sic dixerim, pugnare in proelio disceret.* Sic in Germ. 2: *et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus* pro *et immensus ultra atque, ut sic dixerim, adversus Oceanus.* Orellius (in singulari huius dialogi editione) et Waltherus praestantiam et veritatem huiusce emendationis non intellexerunt. Haec a me olim in compendiaria editione annotata Orellium nunc permoverunt, ut certam emendationem in verborum contextum reciperet. Doederlinius infinitivos tenuit et supplevit *soleret*, quod fieri nequit. Iuncturae illius *utque* pro *atque, ut* exempla apud Tacitum praeterea haec notavi, in hoc libro c. 14: *Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior oratio.* H. I 39:

mina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant; habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret; nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes, sed auditorium semper plenum, semper novum,

8. *discipliceret ci* punctis subnot. P. 10. *sudibus* FP: emendarunt Lipsius et P. Faber Semestrium lib. sec. p. 243 ed. Paris. 1575. 11. *semper plenum, semper nouum* P: *semper novum, semper plenum* F.

cum — plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur quorum tempus effugerat; H. II 49: *noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit;* in Annalibus III 13: *petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum;* ibidem c. 28 ex mea restitutione: *acriora ex eo vincla — utque, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* Idem Tacito vindicavi A. 33: *excepere orationem alacres, utque barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis.*

stulte — contrarie: Quintilianus VIII 3 57: *rerum vitia sunt stultum, commune, contrarium, supervacuum.*

ferro, non rudibus dimicantes: Cicero de Opt. gen. or. 6: *non enim in acie versatur et ferro* (Isocrates), *sed quasi rudibus eius eludit* (legendum *ludit*, ut suasit Schützius; e adhaesit ex proximo *eius*) *oratio.*

ut nec bene dicta dissimularentur: est idem quod *ut ne bene quidem dicta dissimularentur*, usu dicendi quem notavi ad II 82. Haec scribens Tacitus respexit contraria paulo ante posita: *ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et adversarius exprobret, ipse denique advocati aspernentur.* Falluntur editores qui inde a Rod. Agricola et Lipsio mancam esse orationem opinantur. Immo nihil deesse etiam ex proxime sequentibus clarum. Nam cum a *faventibus* bene dicta non dissimulari per se planum esset et dubitationi non obnoxium, in subsequentibus expositum hoc est, quomodo etiam ab *invidis* sive a diversis subselliis bene dicta agnoscantur, unde patet non nisi de bene dictis modo factam esse mentionem. Repudiandum igitur Agricolae *nec male nec bene dicta*, etiam Pithoei *nec bene nec male dicta*, quae vel per se Taciti stilum parum assequuntur; detrahendum est etiam crucis signum ab Orellio rara securitate appositum.

nonodecimo aetatis anno: in verbis Ciceronis, ubi Crassus de se narrat (de Orat. III 20) *quippe*

ex invidis et faventibus, ut nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis; inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius corroborari. Atque Hercule sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et adsuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo contionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicumque causae par erat. Nonodecimo aetatis anno Lucius

1. *nec bene dicta* P: *nec breviter dicta* F. *dissimularent* F, non P. 5. *hercule* P, non *hercle*. 9. *conc.* nunc P. 11. *nono decimo* P. *L.* P.

qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim, annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim, Tacitus legit *undeviginti*, ut Ciceroni restituendum suasit Lambinus: hoc enim iuste dubitari nequit, quin Tacitus sua ex ipsis Ciceronis verbis sumpserit; cf. annot. ad c. 18. L. Crassus natus est a. 614 a. u. (613) Gaio Laelio et Quinto Servilio consulibus, ut traditum a Cicerone in Bruto c. 43; iam si natus annos *undeviginti* Carbonem accusavit, qui consul fuit a. 634 (633), hunc proximo ante consulatum eius anno ad iudices adduxit, fortasse ambitus reum ex comitiis consularibus a. 633. Sin aetatis anno *vicesimo primo* accusationem suscepit, reum ex consulatu Carbonem fecit a. 635. Hoc statuit Weichertus Poetar. Latin. reliq. p. 109, Beierus ad Cic. Off. II 13: ego alterum praeferendum puto. Nimirum in verbis Ciceronis (Brut. 43: *accusavit Gaium Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescens*) de hac accusatione scriptis. Carbonem *eloquentissimum hominem* deprehendimus, sed virum *consularem* tam frustra quaerimus quam in illis de Orat. III 20 aut in Verrem III 1 prolatis: quamquam hoc ad celebrandam virtutem Crassi imprimis aptum fuit. Neque hoc significatum est Off. II 13: *nam Lucius quidem Crassus, cum esset admodum adolescens, — sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, et qua aetate qui exercentur laude affici solent, — ea aetate Lucius Crassus ostendit id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.* De ea re Crassus apud Ciceronem de Orat. I 26: *adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Quinto Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu vidit.* Unum autem in hac re haud negligendum. Nam Carbonem demum post consulatum in iudicium vocatum esse consequeretur, si verum esset quod ore hominum ferebatur, eum sumptis cantharidibus vitae finem posuisse (Cic. ad Fam. IX 21: *Gaius (Carbo) accusante Lucio Crasso cantharidas*

Crassus Gaium Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio Gaium Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt quas hodie quoque cum admiratione legimus. At nunc 35 adolescentuli nostri deducuntur in scenam scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt. Sed ut dicere instituerum, deducuntur in scholas, in quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferant. Nam in loco nihil reverentiae, sed in quem nemo

1. *C.* P. *dolobellam* P. 2. *C.* P. *multum* FP : *multo* veteres editiones. 3. *aetate* P : *aetatem* editiones usque ad Rhenanum, qui correxit. 4. *hodie q̃q;* P, *hodie quoque* Vaticanus 1862 : alii *hodieque*. 5. *scenam* P : *se in* F, *scenas* Rhenanus, ante quem erat *scena*. 6. *Cicero tempore* F, non P. 8. *Crasso*] *M. claudio* superscr. *crasso* P, *Marco Crasso* F : praenomen sustulere Schurzfleisch et Heumann. 10. *quibus* FP : *in quibus* Schurzfleisch et alii.

sumpsisse dicitur: is et tribunus plebis seditiosus et Publio Africano vim attulisse existimatus est), aut in exilium post accusationem concessisse, ut narrat Valerius Maximus III 7 6, sed ex his rumoribus alter alteri contrarius.

uno et vicesimo Caesar Dolabellam: Caesar adversus Dolabellam, composita Lepidi seditione a. 677 repetundarum a se postulatum, tres orationes habuit. Suetonius Caesare 4 et 55. Gellius IV 16. Asconius in Ciceronis Scaurianam p. 26 ed. Orell. Velleius II 43. Plutarchus Caes. 4. Natus erat Caesar a. d. quartum idus Quintiles anni 654, unde liquet aetatis anno *tertio et vicesimo* Caesarem ad accusationem Dolabellae accessisse. Itaque a Tacito ratio temporis nunc falso subducta est.

Asinius Pollio Gaium Catonem: Asinius Pollio natus a. 678 Gaium Catonem, tribunatu plebis functum a. 698, accusavit a. 700, qui defensus a Licinio Calvo et Marco Scauro absolutus est: Cicero ad Att. IV 15 §. 4 et 16 §. 5. Senecae Controv. III 19. *Calvus Vatinium:* Calvus natus est a. 672, ut tradit Plinius N. H. VII 50, Vatinium in iudicium vocavit a. 700, ut vidimus ad c. 21.

Cap. 35. *deducuntur in scenam scholasticorum:* verbum *deducuntur* consulto elegit. Nam ut apud veteres iuvenis qui foro et eloquentiae parabatur a patre vel propinquis *deducebatur ad oratorem qui principem in civitate locum obtinebat* (cap. 34 init.), ita nova iam deductio et minus apta in locum prioris successit.

ut ait Cicero: de Orat. III 24, ubi Crassus dicit: *novos magistros nihil intelligebam posse docere nisi ut auderent. — Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae lu-*

nisi aeque imperitus intrat. In condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur. Ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae; ex his suasoriae quidem, tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum, aut quidquid in schola

3. *ipse* P. 5. *rhetores* nunc P: F *rhetoras* teste Schrautio. *controuersae* P. 6. *his* P: F *iis*. *etsi täquã* v. *etsi* punctis ab al. manu subnot. P, *etsi tanquam* F: *etsi* delevit Muretus. 7. *deleguntur* ab al. m. superscr. *a* P. *controuersae* P. 8. *per fidem* F: *perfidiae* P.

dus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. Censura L. Crassus et Cn. Domitius functi sunt a 662 (92). Plinius N. H. XVII 1. Gellius XV 11, qui edictum censorium tunc fixum servavit. Suetonius de Clar. rhet. 1. Valerius Maximus IX 1 4. Macrobius Saturn. II 11.

exercitationes magna ex parte contrariae: exercitationes verum profectum magna ex parte remorantur. Cf. c. 39: *ipsam — curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur.* Probationem continent verba *nempe enim duo genera — incredibiliter compositae;* quod ut magis appareat, post *controversiae* non punctum posui, ut vulgo fit, sed mediam distinctionem. Quintilianus II 2 1 suasorias appellavit *deliberativas materias*, controversias *iudiciales*.

declamatio quoque adhibeatur: intelligitur ex proximis *declamatio abhorrens a veritate.*

tyrannicidarum praemia — pestilentiae remedia: eandem exercendi pravam consuetudinem graviter vituperat Petronius cap. 1: *num alio genere Furiarum declamatores inquietantur? Qui clamant 'Haec vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi; date mihi ducem qui me ducat ad liberos meos: nam succisi poplites membra non sustinent'. Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis quae in usu habemus, aut audiunt aut vident, sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes quibus imperent filiis ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentia data ut virgines tres aut plures immolentur.*

vitiatarum electiones: dicit virginem a raptore compressam aut mori eum qui stuprum intulerit

quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur; cum ad veros iudices ventum

rem cogitant, nihil humile vel abiectum eloqui poterat. Magna eloquentia sicut flamma, materia alitur et motibus ex- 36
citatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi adsequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc

2. *prosequuntur* FP: *persequantur* Puteolanus. *ventum* FP: *ventum est* editiones veteres. in P est spatium vacuum octo versuum, ascripto ab eadem, ut videtur, manu in margine: *deerant in exemplari sex pagellae vetustate consumptae.* totus liber in P undetriginta folia sive 57 paginas (nam ultima vacua est) complet. in F annotatum est: *multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur.* 4. *cogităt* P: ceteri *cogitare.* *uel abiectum* P: ceteri *nihil abiectum.* 6. *flama* P. *moribus*, litt. *r* eadem manu transfixa et superscr. *t*, P. 10. *r. p.* P. *illa* FP: *ista* editiones antiquae. 12. *mistis* P.

velle aut matrimonio cum ipsa iungi. Erat frequens ac nobile declamationis argumentum. Conf. Quintiliani Declam. 309: *stupratae datur optio eligendi mortem raptoris aut nuptias.* Seneca Controv. I 5: *rapta raptoris aut mortem aut indotatas nuptias optat*; II 11: *raptor patrem suum non exorans*; III 23: *mutanda optio raptore convicto.* Cf. eiusdem Excerpta controversiarum IV 3: *patre exule filia rapta.*

rem cogitant, nihil humile: haec et sequentia usque ad finem eloquitur Maternus, quemadmodum exitus dialogi ostendit, non Secundus, quae Ul. Beckeri aliorumque sententia fuit. Maternus oratorum veterum prae novis praestantiam ex turbida veteris rei publicae conditione explicaturus paulatim assurgit et, postquam incitamenta antiqui oratoris et praemia percensuit formamque iudiciorum et consuetudinem prius minus adstrictam descripsit, postremum (c. 40) quod sentit aperte pronuntiat, eloquentiam esse alumnam licentiae, ideoque apud antiquos, cum licenter agerent, eam artem viguisse, sed iam, cum amota licentia modeste viveretur, fractam esse notabilem prioris aevi eloquentiam. Qui Secundi orationem huic operi insertam fuisse existimant, falsam sententiam ex cap. 16 hauserunt. Sed non est ipse Secundus qui se dicturum ibi promittit, sed Maternus pollicetur se et Secundum executuros eas partes, quas intellexerint Messalam non tam omisisse quam ipsis reliquisse; quae est honorifica amici commemoratio, nihil amplius. Sed gravius est

leges adsiduae et populare nomen, hinc contiones magistratuum paene pernoctantium in Rostris, hinc accusationes potentium reorum et adsignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et adsidua senatus adversus plebem certamina. Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur, quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores adsequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant; hos et praeturae et con-

1. *conc.* P. 2. *pene* P. 5. *r. p.* P. 10. *autoritatis* P, ut solet. 11. *pbabat* (*p* caudatum, id est *probabat*, ut F), sed prius *b* puncto subnotatum, P: *parabat* Pithoeus ac Lipsius.

quod ex fine dialogi liquide apparet Secundum non esse locutum. Nam Maternus post finitam orationem assurgens Aprumque complexus fore dicit, ut ipse Aprum poetis, Messala eundem antiquariis criminarentur: sed Aper ad Maternum ac Messalam conversus 'ego' inquit 'vos rhetoribus et scholasticis (criminabor)'. Vides omnes qui locuti erant commemorari, Secundum ceterosque qui audierant silentio transmitti. Aliud falsae illius opinionis adminiculum ad c. 40 subruere placet.

Haec a me pridem exposita vera esse iam comprobavit codex Perizonianus omnium optimus et antiquissimus. Intercidit autem finis orationis a Messala habitae, tum praeparatio et principium sermonis a Materno in medium prolati. Omnia vero quae Maternus explicavit, serio et ex animi sententia dicta sunt, non ludibrii et irrisionis causa proposita.

Cap. 36. *materia — clarescit:* eloquentem promovent et excitant motus civitatis et animorum irritationes: sed imago incendii ad civitatem vehementi motu quassatam accommodatur.

ea consecuti sunt: ea dicit quae eloquentiae ope in civitate efficiunt, ut innoxios defendant, nocentes in iudicium adducant. Doederlinius de praemiis eloquentiae cogitavit, non recte, ut subsequentia ostendunt.

plura sibi adsequi videbantur: cum agerent ferrentque cuncta, magna potentia gaudebant, sed cum ipsi erranti populo obnoxii essent, specie magis potentiae quam ipsa fruebantur; hinc dictum *videbantur*, ut paulo post *magnis cumulare praemiis videbantur.* *quantum — persuaderi poterat:* subintelligendum, *recte se habere*, non *eum supere*, ut dicit Doederlinius. Nam loquitur de iis quae a populo accipiuntur aut repudiantur.

paene pernoctantium in Rostris: dicit eos qui saepe ad serum diei, saepe primo mane ad populum locuti sunt.

sulatus vocare ultro videbantur; hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. Quin immo sibi persuaserant neminem sine eloquentia aut adsequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur; cum parum esset in senatu breviter censere, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur; cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent; cum testimonia quoque in iudiciis non absentes nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat; et quomodo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur. Ergo non minus rubore quam praemiis 37 stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur; ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent; ne tamquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur. Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in anti-

1. *quidem* P: F *quidem q.* teste Schrautio (*quidem quod* inde refert Waltherus). 3. *regerent*] *cogerent* P. *imo* P. *sibi* P: ceteri *sibi ipsi*. 7. *qui* — *tuerentur* P: F *quis* — *tueretur*. 9. *respondere* P, sed *ere* in litura. *testimonia* P: F *testimonio*. *iudiciis*] *publicis* P et ceteri: *iudiciis* correxit Heumannus. 10. *absentis* F, non P. 11. *magna* et *accedebat* om F, non P. 12. *quomodo*] *commoda* cum ceteris P: correxit Acidalius. 13. *sic* Acidalius (non demum Schurzfleisch, ut narrant Waltherus et Bekkerus): codices *sed*. 15. *stipulabantur* FP: correxit Rhenanus. 17. *transissent* FP: tacite correxit Lipsius. 19. *in* ante *antiq.* om P. *antiquorum* P: correctum inest F.

ad populum producerentur: 'velut a tribunis, ut dicerent de re quae ageretur ad populum; ut Apuleius produxit Ciceronem consule Antonio; quo tempore Philippicam VI dixit'. Ernestius.

in iudiciis: corruptela *publicis* ex forma contracta *iudicis* (*iud-icis*, *publ-icis*) emersit. Ante de curia et senatus consilio, nunc de foro et iudiciis tam privatis quam publicis verba fiunt. Itaque non aptum tam Cuiacii *iudiciis publicis*, quod recipere non debuit Orellius, quam *publicis iudiciis*, a Rod. Agricola perperam suppletum et probatum a Lipsio.

per tabellam: *tabellam* accipe codicillos obsignatos in iudicio aperiendos et recitandos. Eos mittere sub Caesaribus concessum erat.

quariorum bibliothecis adhuc manent, et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt. Ex his intellegi potest Gnaeum Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam multum interest utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus trucidatis. Quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, in quo nihil tale patimur, ita cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et inlustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes inlustrant quas

1. *bybl.* P. *cum*] superscr. *nūc* in P. 2. *XI.* P. 3. *epistolarum* P, ut solet. 3. *his* P: *iis* F. 4. *Gn.* P. *M.* P. 6. *metellos sed et* (ex geminatione litt. *s et*) P. 9. *accedat* F, non P. 10. *reorum* FP: alii *rerum*. *causarū* eadem manu correctum ex *curarū* P. 12. *comiciorum* P. 13. *expilatis* P: *de expilatis* F. *civibus*] *comitibus* FP: correxit Puteolanus. 15. *habendus est* P: *habendus* F. *in quo* FP cum aliis: *quo* editiones veteres.

Cap. 37. *a Muciano contrahuntur:* est M. Licinius Mucianus, clarus ille Vespasiani amicus et strenuus adiutor imperii Vespasiano conciliandi, qui pace parta otium et ingenium litteris dicavit, eo nomine saepius a Plinio in Naturali historia laudatus. *Actorum libri* ea, opinor, complexi sunt quae coram populo atque in senatu memorabilia magna contentione et egregiis orationibus disceptata erant.

tribus Epistularum: in his epistolis viri administrandae rei publicae principes de rebus in senatu aut contione tractatis sententiam suam cum amicis communicaverant. Inde hausisse Tacitum quae profert c. 18, suo loco monitum est.

de furto aut formula et interdicto: componit rem furto ablatam et possessionem turbatam; cf. annot. ad c. 20. His privatis causis statim adiungit publicas, ex quibus significavit *ambitus* et *repetundarum* quaestionem atque *perduellionis* iudicium.

adversus tutores suos composuit; nec Ciceronem magnum oratorem Publius Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Non quia tanti fuit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui quae facilius turbidis et inquietis temporibus extitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? Plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae conditio. Nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quoque maiores adversarios acriores-

2. *P.* P. 4. *.r. p.* P. 5. *et uberem* litt. *e* in *et* superscr. *v* et *e* subnotato eadem manu P. 7. *nos* deest P. 8. *existit* coni. Doederlinius. 10. *condicio* P. 12. *quoque — sibi ipsa* editor: *quoque maior aduersarius et acrior qui pugnas sibi ipse* P, *quo maior adversarius eo acrior per pugnas sibi ipsas* F: *quo maiores adversarios et acriores pugnas sibi ipsa* Boetticher, *quo maior adversarius et acriores pugnas sibi ipsa* Waltherus et Bekkerus.

Publius Quintius defensus aut Licinius Archias: utrumque in causa privata defendit, alterum ut bona recuperaret, hunc ne civitatem amitteret. Orationes etiamnum leguntur. *Catilina — Antonius:* observes, lector, optimas quasque et apud veteres maxime celebratas ex orationibus Ciceronis ad nos pervenisse.

non quia tanti fuit: in prima persona post *non quia* coniunctivum Tacitus constanter posuit, velut XIV 43: *non quia dubitarem;* H. I 15: *non quia propinquos aut socios belli non habeam;* ibidem c. 29: *non quia meo nomine tristiorem casum paveam;* A. 46: *non quia intercedendum putem imaginibus.* Sed hoc non continuo ad tertiam personam transferendum est, ubi singularis illa modestiae significatio minus requiritur.

quoque maiores adversarios acrioresque — ipsa desumpserit: vitia *maior* et *acrior* ex truncata antiquiore scriptura *maiorẽ* et *acriorẽ* (nam hac nota in fine posita plerumque *m*, aliquando etiam *s* consignatur) tertium et quartum (*adversarius* pro *adversarios, ipse* pro *ipsa*) sponte pepererunt. Ex eodem fonte quintum provenit, dico particulam *et* post *adversarios* insertam, postquam *acrior qui* pro *acrioresque* substituta erant.

* * * *ut secura velint:* hiatum a me significatum recte acceperunt Doederlinius et Orellius, ac prior etiam hoc vere monuit, supplementum a me olim propositum *ut dubia aliis, sibi secura velint,* in tempus excogitatum esse. Ipse iam eo inclino ut integrum versum deesse statuam, qualem refingere conatus sum in annotatione superiore. Scilicet describentis oculi ab altero *ut* ad alterum aberrarunt, eoque interpositum sermonis membrum omissum est. Repudi-

que pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea
38 natura est * * * ut secura velint. Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Gnaeus Pompeius astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur; apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod

2. *nobilitatis* ultimo *i* superscr. *v* P, *nobilitatus* F: correxit Lipsius. 3. hiatus signa sunt ab editore: intercidit versus sic fere explendus: *ut alios periclitari, alios periculis iactari, sibi ut secura velint.* 4. *aptior est ita erit eloquentia. tamen* (in F *tanto* pro *tamen*) FP: correxit Rod. Agricola. 6. *horas* deest P, *horas* ς F. 7. *dicendo* FP: *dicendi* veteres editiones. 9. *haec* F: *hic* P. *Gn.* P. 12. *quanta* superposito in fine *o* P.

anda autem Rhenani coniectura *ut secura nolint*, item Agricolae interpolatio *ut dubia laudent, secura nolint:* nam *velint* nulli suspicioni obnoxium est. Eodem igitur vitio laborat Acidalii inventum *ut dubia laudent, secura malint.*

Cap. 38. *aptior est veritati:* h. e. ut verum exploretur. In corrupta scriptura *ita erit* explendum est *ita verit* (*u* interiit post *ita*), unde litteris in ordinem repositis sponte exit *veritati*, ut coniecit Agricola. Sed ex hac prima corruptela sponte consecuta est nova, *eloquentia* pro *eloquentiam.*

intra paucissimas horas: respicit sui temporis consuetudinem, qua ex praescripto legis Pompeiae a. 702 latae accusator duabus, reus tribus horis perorare cogebatur. Dio XL 52: *χρόνον τε τῷ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῷ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσε.* Cicero in Bruto c. 94: *cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis ad causas simillimas inter se — veniebamus quotidie.* Conf. Plinius Epist. VI 2: *an nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus ipsis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi et supra modum tardi?* Nomen *horas*, quod in exemplari Germanico *oras* exaratum esse coniicio, ante proximum *per-orare* omisit Pontanus.

omnia in foro: in foro et in publico, non in auditoriis et tabulariis (cap. 39). Aliter accepit Doederlinius qui annotavit: '*in foro*, ac non in domibus principum, ut mox defensio Deiotari regis in domo Caesaris'. Sed Messala antiquum tempus et novum componit, non varia antiquitatis momenta.

omnia apud praetores: ex adverso cogitat de sui temporis quaestionibus coram patribus et in cu-

maius argumentum est quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et adsidua senatus tranquillitas et maxima principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat.

2. *optinent* P. *aliquorum* P: ceteri *aliorum*. 6. *urbinae* P, *urivae* F: correxit Lipsius. 9. *maxima* P: vulgo *maximi*. 10. *alia pacaverat*] *deparauerat* primo *a* superscr. *u* P.

ria habitis; conf. III 12, IV 6 et annot. ad A. c. 6.

causae centumvirales: conf. ad cap. 7.

aliorum iudiciorum: cogitat praecipue de iudiciis publicis sive quaestionibus perpetuis, tum de causis (privatis) coram recuperatoribus haberi solitis. H. Meyer in Orat. Rom. fragm. p. 214 *illorum* correcturus erat et explicuit quae apud praetores fiebant: sed nunc non componuntur nova iudicia cum veteribus, sed unum veterum iudiciorum genus cum aliis tam publicis quam privatis.

Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur: Asinius Urbiniae heredes adversus petitorem Clusinium Figulum, qui se filium esse Urbiniae ferebat, tuebatur. Quintilianus VII 2 26: *in lite Urbiniana petitor dicit, Clusinium Figulum filium Urbiniae, acie victa in qua steterat, fugisse, iactatumque casibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse atque ibi agnosci: Pollio contra, servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienae se familiae venali immiscuisse ac rogantem ut eis serviret emptum.* Adde eiusdem IV 1 11, VII 2 4. Haec causa centumviralis, ut ceterae omnes quae ad nostram notitiam venerunt, hereditaria erat: nimirum in hereditatis controversiis saepe accidit, ut de iure magis quam de facto quaereretur: eiusmodi autem causae in iudicium centumvirale adducebantur.

maxima principis disciplina: *maxima disciplina* est quae magna molita et aggressa est: *maximi*, ut in vulgo librorum legitur, assimilandi aberratione natum videtur. *Maxima principis disciplina* egregie convenit priori *continuum populi otium* et *adsidua senatus tranquillitas.* Simile est quod legimus c. 40, *severissima disciplina.*

sicut omnia alia pacaverat: Orellius ex P *omnia* dedit pro vulgatis *omnia alia*: equidem sequi nolim. Nam corrupta quae in P sequitur forma *deparauerat*, ipsa orta est ex *alia pacauerat:* quippe pronominis *alia* prima littera a praegresso vocabulo absorpta est (*omnialia*): ex reliquis (*lia*) *li* pro

39 Parvum et ridiculum fortasse videbitur quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut ridear. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus astricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? Quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? Nam quomodo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat

1. *videtur* FP: *videbitur* Ursinus. 2. *ridear* P: ceteri *rideatur.* 3. *penulas* FP. 4. *virum* F, non P. 5. *tabulariae* F, non P. 9. *ipsa* F, non P. *quinimo* P.

d et *a* pro *e* acceptae sunt. Trossius novis opibus ita abusus est ut formam neque Latinam neque, si Latina esset, aptam ceteris adoptaret, dico *depacaverat.*

Cap. 39. *paenulas istas, quibus astricti et velut inclusi:* ne prave acciperentur verba *quibus astricti* de *paenulis* ipsorum oratorum, caute et *ἐπεξηγητικῶς* addidit *et velut inclusi:* loquitur enim de paenulis quas gerunt plerique in corona assistentium, cum ad antiqua iudicia nemo nisi logatus accessisset. Quemadmodum *astricti* (*eingeschnürt*) h. l. dicuntur qui impediuntur hominibus sibi proximis, perinde *constrictus* in re simili est apud Ciceronem Miloniana c. 20: *cum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset.* Nimirum ut Milo uxore in rheda iuxta sedente *constrictus*, sic orator paenulatis spectatoribus ipsum circumstantibus *astrictus et velut inclusus* dici potest. Sic movendae sunt difficultates quas inexplicabiles offendunt interpretes, dum memorari oratorum paenulas opinantur. Nimirum adeo patronos, cum causas agerent, paenulis indutos fuisse, id nemo unquam tradidit et contrarium ex Quintiliani verbis XI 3 131 et 137—144, ubi de cultu oratoris loquitur et non nisi togam et tunicam commemorat et vitia gestandae togae describit, dilucide agnoscitur. Doederlinius ad solvendam hanc quaestionem scribit: 'paenula pauci' (oratores) 'nonnunquam illo saeculo utebantur, commoditati cum damno dignitatis indulgentes'. At vero quod vulgo fiat, non quid pauci audeant, Messala commemorat. Alii in quibus est Heinrichius Comment. ad Iuvenal. V 79, *paenulas* per hyperbolam dici togas astrictiores asserunt, repugnante Latini sermonis usu. Ipsa paenula apud priores in itinere adhibebatur, arcendae pluviae commoda, pallio monachorum non absimilis, capitis velamento (*capitio*, *Caputze*) instructa.

in quibus — explicantur: explicari apte dictum de controversiis, h. e. de rebus quae impeditae sunt et implicatae. Theodisce est *entwirrt werden.* *Tabularia*

iudex, quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est. Frequenter probationibus et testibus silentium impatiens indicit. Unus inter haec dicenti aut alter adsistit, et res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro; qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus ac municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret, cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. Satis constat Gaium Cornelium et Marcum Scaurum et Titum Milonem et Lucium Bestiam et Publium

1. *quando*] *qn̄* superscripto *quā* P: *quam quando* v. *quam* superposito *cām* F, *causam quando* Waltherus et Bekkerus. 2. *impatiens* editor: P *p̄ronus*, alii *patronus*. 7. *ac municipiorum* P: alii *et municipiorum*. 9. *.po. ro.* P. 10. *C.* P. *M.* P. 11. *T.* P. *L.* P. *P.* P.

(*Bretterbuden*) intellige in tempus strui solita, arcendo solis ardori et ad prohibendam imbrium vim.

quando incipias: hoc acerbius interrogatur quam *causam quando incipias*, quod ex interpolata libri F scriptura novi editores (Waltherus, Bekkerus, Doederlinius) concinnaverunt. Scilicet prooemium orationis adeo contemnit et aspernatur iudex, ut oratorem, dum in eo versatur, ne incepisse quidem significet. Ceterum interpolata illa scriptura nunc ex vestigiis libri melioris et agnoscitur et revincitur.

silentium impatiens indicit: silentium dum indicit iudex testibus ab oratore citatis, etiam huius cursum impedit vel sistit. De *iudice* haec verba, perinde ut priora, accipienda esse manifestum est et minime dubium. Adversae partis orator *patronus*, ut pro *impatiens* libri scripti offerunt, neque dici potest neque huic unquam licuit probationibus et testibus adversarii sui silentium indicere. Equidem hunc fuisse corrumpendi modum et progressum existimo. Nominis a me restituti (*impatiens*) prima syllaba in antiquo exemplari aut interiit hausta a proxime priore littera *m*, cum *ın* (= *m*) expressa esset, aut consignata *ī* neglecta est ante proximum verbum *īdicit.* Iam quod reliquum erat (*pat-iens*) hoc in fine obscure scriptum *pat-ronus* valere proximus scriptor librarius opinatus est. Olim *patroni* nomen pro glossa verbis *unus inter haec dicenti aut alter adsissit* in margine ascriptum, mox ceteris insertum conieci, sed glossa esset admodum sinistre et falso attexta.

Gaium Cornelium: maiestatis crimine accusatus a P. Cominio Spoletino in iudicium venit a. 689, defensus a Cicerone duabus orationibus, quarum supersunt fragmenta. Conf. Cic. Bruti c. 78. §. 171.

Marcum Scaurum: e praetura Sardiniae repetundarum reus deferente Triario a. 700, a Cicerone

Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque Hercule eiusmodi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis ora-
40 tionibus censeantur. Iam vero contiones adsiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a Publio quidem Scipione aut Lucio Sulla aut Gnaeo Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque et *ceterorum pronis* auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non de

4. *egerint* litt. *i* subnotata et superscr. *v* P. 5. *conc.* P. 7. *P.* P. 8. *Lucio* adiecit editor. *Sylla* P, *Sila* F. *Gn.* P. 10. *et ceterorum pronis* editor: *et histriones* cum ceteris P.

defensus. Extant eius orationis fragmenta et Commentarius Asconii.

Titum Milonem: Milo de vi accusatus est a. 702, a Cicerone frustra defensus. Ciceronis oratio non in iudicio habita est, sed post scripta et edita.

Lucium Bestiam: Calpurnius Bestia, e petitione praeturae ambitus reus a. 698, a Cicerone defensus est. Cicero ad Quintum fratrem II 3, Philipp. XI 5 et XII 8.

Publium Vatinium: conf. ad c. 21.

Cap. 40. *Lucio Sulla:* praenomen Sullae, compendio *L.* expressum in libro antiquiore, a proximo scriba neglectum est. Nam omnes tres qui in exemplum referuntur viri nobiles et clari aut simplice nomine aut binis vocandi erant (cf. ad XIII 30): Taciti autem studium concinnitatis non permisit, ut inter Publium Scipionem et Gnaeum Pompeium suo praenomine Sulla careret. Sic paulo ante quinque nobiles Romani omnes praenominibus suis appellati sunt. Cf. VI 46: *Gaio Caesari forte orto sermone Lucium Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit.*

populi quoque et ceterorum pronis auribus uterentur: vocabulo *ceterorum* significavit ordinem equestrem, ex nobilibus quotquot invidebant viris illustribus et principibus, etiam eos qui ex municipiis et coloniis in urbem convenerant. Corruptela librorum manu scriptorum *histriones* ex compendio *c.ro2↓‹pnis*, opinor, originem duxit. Heumanni supplementum *adrectioribus* pro tradito *et histriones* vel ideo non admittendum videtur, quod vocula innoxia et citra dubitationem sana (*et*) attentatur. Idem hoc monendum habeo adversus Doederlinii coniecturam *istius pronis* pro *et histriones*, ne quid dicam de pronomine *istius* non apte adiecto.

admovebant: auctore Heumanno plures editores statuunt post hoc verbum ingentem hiatum esse. Sed nihil excidit: nam Maternus de eodem argumento, quod modo

otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, adrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur. Ne Macedonum quidem ac Persarum aut ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia (ut sic dixerim) omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro

2. *est* P: F *et*. *illa* FP: *ista* editiones antiquae. 5. *arr.* P, ut solet. 7. *accipimus* P: F *accepimus*. 8. *ne* Ernestius: *nec* FP. cf. ad 4 35, II. 2 82. 9. *aut illius* FP, *ac ullius* veteres editiones.

tractavit, disserere pergit, nisi quod ab hoc loco paulo vehementius artem dicendi a se improbatam aggreditur. In prioribus exposuit quemadmodum apud maiores libertatis extremum artem dicendi provexerit: iam universe pronuntiat eam esse huius artis naturam ut in bene constitutis civitatibus non oriatur. Quapropter in civitate Romana, donec erraverit, eam floruisse, sed iam, cum concordia redierit, necessario fractam esse notabilem antiqui temporis eloquentiam. Moneo veram lacunam, quae est in c. 35, diligenter in libris indicari, tam in Farnesiano quam in Vaticanis, sed hanc ab Heumanno fictam ab iis, ut par est, ignorari. Errat Dronkius, cum in diurnis Zimmermanni a. 1835 p. 541 defectum hic observari in libro Farnesiano narrat. Imposuit ei vacuum spatium editionis Bekkerianae et Waltherianae.

Haec a me olim exposita iam comprobavit codex Perizonianus, in quo nullum defectus alicuius indicium est.

non de otiosa et quieta re loquimur: h. e. res de qua loquimur (eloquentia) non otii est quietisve. Fallitur Doederlinius scribens '*de otiosa — re*, h. e. republica; sive opus videatur, *rep.* vel *RR* h. e. *re Romana* corrigendum est'.

sine obsequio, sine servitute: quae neque obsequi suadentibus et hortantibus neque servire imperantibus potest. Non est opus Pithoei *severitate* neque Doederlinii *non sine servitute.*

severissima disciplina et severissimae leges: non sine pondere a declamante poëta idem nomen mutata forma repetitur. Conf. 41: *minimum usus minimumque profectus*; ibidem *quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem.* Hoc Sche-

pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. Sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit ut pateretur et leges, nec bene
41 famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit. Sic quoque quod superest antiqui oratoribus, forum, non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum est. Quis enim nos advocat nisi aut nocens aut miser? Quod municipium in clientelam nostram venit nisi quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat? Quam provinciam tuemur nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri quam vindicari. Quodsi inveniretur aliqua civitas in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator sicut in-

3. *siculi domitus* FP, *siculi indomitus* Puteolanus. 4. *latiores* cum ceteris P: tacite correxit Rhenanus. *tuta* P et ceteri: *tanti* tacite Rhenanus. *.r. p.* P. 5. *bene* superscr. *bonae* P. 6. *formam* P: *famam* emendatum in F a sec. m. et a Mureto. 7. *antiquis* cum ceteris P: correxit I. Fr. Gronovius. *horum* F: P *forum*. *emendare* FP: correxere Faërnus et Lipsius. 8. *qd* (*q* cum lin. transversa) *enim qd* (*d* cum lineola superne) *nemo nos* P: correctum inest F. 10. *civitatem* cum ceteris P: *clientelam* Pithoeus.

lii coniectura (*sanctissimae leges*) oblitteratura erat.

quae certo imperio contenta fuerit: certum imperium opponitur erranti ac vago, quale est in liberis civitatibus, in quibus omnia omnes possunt et pro arbitrio fluctuantis populi nihil stabile certumve obtineri et contingere potest. Conf. G. 32: *certum iam alveo Rhenum — Usipii ac Tencteri colunt.*

Rhodii quidam: cf. Cic. Brut. c. 13 et 91.

nullus magistratuum modus: hoc ἐκ παραλλήλου eius enuntiati quod antecedit, *nulla superiorum reverentia.* Nam ut inferioribus deerat reverentia superiorum, ita ipsi superiores sive magistratus sine modo agebant eoque reverentiae detrimentum sua culpa faciebant: nam verba *nullus magistratuum modus* ita accipio, ut vitium in magistratibus Maternus notaverit.

Cap. 41. *sic quoque:* h. e. sic quoque ut nunc res se habet, sive nostris quoque temporibus. Is significatus adiuvatur verbis *quod superest antiqui*, h. e. quod superest ex aevo priore. *forum:* dicit causas forenses et privatas etiam tum in foro iudicari solitas.

aut nocens aut miser: qui iniuriam facit aut patitur. *in clientelam nostram:* cf. c. 3.

quodsi inveniretur — medicus: desiderat poeta statum, qualis fuit apud vetustissimos mortalium aurea aetate gaudentium. Conf. III

ter sanos medicus. Quomodo minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus, quae firmissima valitudine ac saluberrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? quid multis apud populum contionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? quid voluntariis accusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus seculis aut isti quos miramur his nati essent, ac deus aliquis

1. *quomodo* editor: *quomodo inde* cum ceteris P: *quomodo tamen* veteres editiones et vulgo. 2. *iis* FP, non *his*. 3. *valit.* P, non *valet*. *oratorum horum* FP: *horum* tacite delevit Rhenanus. 4. *obscuriorque* P: F Schrautio referente *obscurior*. 6. *optima* P et ceteri: correxit Rhenanus. 7. *conc.* P. *multi* P: F *multum*. 10. *orōibus defensionibus* P, sed linea subducta significatur prius nomen delendum esse.

26: *vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro scelere, eoque sine poena aut coërcitationibus agebant.*

quomodo minimum usus: inde quod in libris scriptis post *quomodo* aditur, id nihil nisi *διττογραφία* syllabarum *modo* mihi videtur esse: scilicet cum in antiquo libro *m̄*, h. e. *modo*, expressum esset, in eo *in̄*, h. e. *inde*, proximus scriba se agnoscere poterat opinari. Quod si cui minus credibile videatur, is illud *in̄* ex repetitione subsequentis litterae (*minimum*) prodisse statuat.

in obsequium regentis paratos: universe loquitur et cogitat regem vel principem summa iustitia ornatum, populum egregia morum integritate et rara modestia praeditum. Talem fere civitatis formam esse sub principe Vespasiano in subsequentibus Maternus significavit. Idem vero cum adversus tyrannos declamaverit ideoque a Domitiano interfectus sit (v. Dio LXVII 12), haec non serio sed irrisionis causa dixisse creditus est. Lege Strodtbeckii commentationem: *ostenditur Materninae personae in Dialogo de oratoribus vultus ironicus.* Heilbronae 1831. Huius sententiam probavere Waltherus ac Doederlinius. Sed qui tyrannos et dominos Orientis aversatur, eum ab imperio boni et moderati Caesaris abhorrere et praeferre turbidae rei publicae statum et sollicitae vitae quotidiana discrimina minime inde consequitur. Immo Maternus ut poeta otium et quietem praeter cetera optavit: iis autem cum tempora liberae civitatis Romanae, quibus praestantissimi oratores excelluerunt, prorsus carerent, haec improbabat, haec minime omnium desiderabat. Itaque

vitas ac vestra tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset. Nunc, quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem, bono seculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur.

42 Finierat Maternus. Tum Messala, Erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de iis rursus conferemus. Ac simul adsurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poëtis, Messala antiquariis criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum adrisissent, discessimus.

1. *uitas ac uestra* P : *vitas ac vestras* F, si Niebuhrio fides, *vitas ac vestra*, si Schluttigius verum vidit. 3. *nunc qm̃* P. 5. in F (non etiam in P) post *utatur* vacuum spatium, nimirum ad indicandum finem quaestionis et disputationis. 6. *cum Messala* FP : *tum Messala* correctum ab antiquis editoribus. 7. *de quibus* FP : *quibus* editores ante Rhenanum. 9. *iis* FP, non *his*. 11. *cũ antiquariis* P et ceteri : *antiquariis* Puteolanus. 13. *arr.* P.

animi sui sententiam libere et aperte, ut decebat hominem probum et simplicem, professus est, neque Tacitus adhibuit artificium, quo sine summo obscuritatis vitio uti non poterat.

Cap. 42. *tum Messala:* eadem dicendi forma c. 25 et 28. Doederlinius vitium libris scriptis traditum *cum Messala* admisit et probatum ivit exemplo c. 14: *vixdum finierat Maternus, — cum Vipstanus Messala cubiculum eius ingressus est*, sed his verbis non approbari ut Latine dicamus *cum Messala* pro eo quod est *cum Messala dixit* vel *respondit*, satis liquet.

Messala antiquariis: cum ante *antiquariis* in scriptis libris ex verbis proximi versus *cum adrisissent* repetitum videtur. Quod fieri facile potuit, si in vetere libro prior versus a voce *antiquariis*, alter a *cum adrisissent* inciperet.

discessimus: 'in fine autem libelli, ut cuivis videre est, multa desunt, atque adeo praecipua dissertationis pars'. Lipsius. Credere noli confidentius quam verius affirmanti. Nihil hic deest. Sermonis argumentum accurate et pleno tractatum est, et quidem eo disputationis ordine eaque variatione, quae sub finem capitis primi proposita est.

ADDITAMENTVM

AD DIALOGI CAP. 3 ET 11 DE MATERNO POETA EIVSQVE DOMITIO SIVE NERONE FABVLA PRAETEXTA [1].

Quo anno *Dialogus de Oratoribus*, a Cornelio Tacito iuvene conscriptus et editus, habitus esse fingitur, h. e. anno post Christum natum septuagesimo quinto sive sexto Vespasiani principis consulatu (cf. c. 17), unus ex interlocutoribus, Curiatius Maternus orator et poeta, praeter aliquot tragoedias Graeco more compositas *duas* praetextas scripserat et recitaverat, *Domitium* unam, alteram *Catonem*. Catonem proximo die quam colloquium de oratoribus habitum esse fertur recitaverat ac liberius quae sentiret in ea fabula elocutus apud potentium animos offenderat. De hac re Marcus Aper patronus causarum et amicus Materni apud Tacitum (c. 3) protulit quae sequuntur: *adeo te tragoediae istae non satiant*, *inquit Aper*, *quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas*, *cum te tot amicorum causae*, *tot coloniarum et munici-*

1. De Materno fabulisque ab eo compositis quae hoc Additamento disputantur, olim a me exposita sunt in tertio capite praefationis opusculi sic inscripti: *Octavia Praetexta. Curiatio Materno vindicatam, ad libros antiquos recognitam, brevi adnotatione instructam edidit Franciscus Ritter Westfalus.* Bonnae MDCCCXXXXIII. 8. Illic capitis inscriptionem hanc posui: *Materni praetextae Domitius et Cato, tragoediae more Graeco Medea et Agamemnon et Thyestes.* In ceteris perpauca nunc addita sunt aut mutata.

2. Diu erat posteaquam Cilnius Maecenas *Octaviam* parum celebratam scripserat. Persius praetextam *Vescio* (v. Suetonii vita Pers.) sibi fecerat iuvenis, sed in vulgus ea non edita est.

3. Nominis formam *in Nerone*

piorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina, Graecorum fabulis adgregare. Recitationem praetextarum *novum negotium* Aper appellat, quod hoc fabularum genus in litteris Latinis tunc fere oblitteratum et post longum temporis intervallum a Materno resuscitatum erat[2]. Sed cave Taciti verba prave accipias ita, ut quemadmodum Catonem, sic etiam Domitium proxime recitatam esse credas. Nam Domitium pluribus annis ante conscriptam esse et lectam alter ostendit eiusdem operis Tacitini locus, ubi Maternus ipse haec verba facit c. 11: *ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone*[3] *improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie, si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum.* Fabula quae *Neronis* nomine in his commemoratur, primum nonnisi praetexta potest esse, non tragoedia e Graecis conversa, ut nomen eius ostendit, tum, quia Cato et Domitius unae erant, quas ex genere praetextarum adhuc Maternus recitaverat, id quod ex verbis cap. 3 modo transcriptis perspicitur, Domitium et Neronem duo nomina eiusdem operis esse consequitur. Idem ante me recte intellexit Neukirchius in libro suo De fabula Togata Roman. p. 93, Ecksteniu Prolegom. in Dial. de Oratoribus p. 8, Welckerus in Tragoed. Gr.

non mutandam fuisse cum alii viderunt, tum Welckerus (Tragoediae Graec. secund. cycl. ep. dispositae t. III p. 1462) nuper ostendit. codex Perizonianus *in nerone͠* exhibet, eaque vera est scriptura leviter vitiata: nam circumflexus nota saepe temere imponitur formis ablativi in *e* aut *u* desinentibus. idem liber perbonus pro *fregi, et* nudum *fregi* praebet, quod ex *fregei* et hoc rursus ex *freg'et* ortum existimo; certe particulam *et* orationis concinnitas postulat, quamvis infirma codicum auctoritate munitam: quod enim Bekkerus ex libro Farnesiano et Waltherus ex eodem fonte *fregi, et* rettulerunt, id errori tribuendum esse puto, et puto quidem primum propter contrarium Schrautii testimonium, tum propter scripturam illam libri Perizoniani, qui Farnesiano in plerisque consentit. de nominis *Vatinii* forma infra copiosius disputabitur.

t. III. p. 1464. Sed nomen duplex eiusdem fabulae minus recte, si quid video, adhuc explicatum est. Nam quod statuit Neukirchius suoque assensu comprobat Ecksteinus, plenum indicem fuisse Domitium Neronem, id nullo modo probari potest, cum is, qui fabulae nomen dedit, Nero Romanus imperator, ante suam adoptionem usque ad annum aetatis *tertium decimum* (cf. Tacit. XII 25 et 58, XIII 6) sive a Chr. natu quinquagesimum *Domitius Aenobarbus*, mox a Claudio principe in familiam et nomen Claudiorum adoptatus continuo *Nero Claudius* neque unquam Domitius Aenobarbus vocaretur. Ex diversis autem temporibus nomen gentile *Domitium* et familiae vocabulum *Neronem* a Materno commixtum esse, id neque credi neque iuste explicari potest. Bene igitur fecit Welckerus, quod hac via non contentus aliam circumspexit (v. Tragoed. Gr. t. III. p. 1464), quamvis, ut mihi videtur, et ipse a vera aberraverit. Quippe contumeliae causa *Domitium* huic fabulae indicem factum esse putat, non *Claudium Neronem*. Sed quae opinioni firmandae protulit, ea nimis infirma sunt. Etenim si mater Neronis Agrippina succensuit (eo provocavit Welckerus), quod filium suum a Claudio iam adoptatum alter et verus Claudii filius Britannicus etiam tum *Domitium* salutavit, non *Neronem* (v. Tacit. XII 41), haec Neronis adoptionem a Britannico reprobari et non agnosci putavit sive se putare simulavit idque indigne tulit[4]: in ipso tamen Domitii nomine nihil prorsus contumeliae inerat. Etiam quod Nero sub finem principatus indignatus est, sese crebris edictis a Vindice *malum citharoedum et Aenobarbum* (Sueton. Ner. 41) appellari, nihil ostendit aliquem Domitii nominis contemptum. Iam vero si Domitius post obitum Neronis scripta est et recitata, ut statuit Welckerus, quid tandem contumeliae huic nomini adhaerescere potuit in eo, qui nomine Neronis Claudii apud omnes homines cognitus erat et infamis?

4. Suetonius paulum a Tacito discrepans eandem rem sic rettulit Ner. 7: *Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Aenobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est* (Nero).

Has igitur nomina Domitii ac Neronis explicandi vias cum tuto ingredi non possimus, aliam anquiramus et eam quidem quae haud longe repetatur. Scilicet Domitius ei fabulae nomen fuit, quod is qui posthac Nero cognominatus est eo tempore, quo res argumento huius praetextae conserta agebatur, nondum *Nero Claudius*, sed tunc *Domitius Aenobarbus* vocatus est, quod puero *Domitio*, non principi *Neroni*, primae partes ibi demandatae erant. Quod antequam longius persequar, lector respiciat velim paulisper ad locos illos supra ex Dialogo Tacitino c. 3 et 11 huc transcriptos. In priore Marcus Aper loquitur et is vero nomine amici sui fabulam Domitium appellat: in altero Maternus pervulgata licentia utitur, cum eum, qui suo nomine *Domitius* vocatus est, nomine post assumpto *Neronem* appellavit [5]: hoc enim nomine facilius et citius quem diceret audientibus in memoriam redegit. Sin contra verum fabulae nomen *Nero* fuisset, nihil erat cur Marcus Aper *Domitii* nomen in oratione sua poneret.

Sed haec explicandi ratio tum demum bene se habebit, cum, quomodo puer Domitius primas partes in praetexta Materni sustinere potuerit, probabiliter ostenderimus. Id igitur nunc agamus.

Satis notum est et a Tacito (XI 12) Suetonioque (Ner. 6). traditum, primam Domitii aetatem multis periculis obiectam fuisse, si quidem Valeria Messalina Claudii Caesaris uxor et matri Neronis Agrippinae semper infensa ipsum tamquam Britannici aemulum odio persequebatur. Infestus eius in Domitium animus favore populi Romani, hunc ut unicam Germanici subolem venerantis ac foventis, multum irritabatur. Quapropter saepius in eo erat ut extrema in Agrippinam et filium eius auderet. Emanavit etiam in vulgus missos a Messalina qui Domitium puerum meridiantem strangularent, sed eos divino auxilio ab atroci incepto repulsos esse. De qua fama Suetonium l. c. haec narrantem audiamus: *gratia quidem et potentia usque eo floruit* (Domitius), *ut emanaret in vul-*

5. eadem venia Tacitum usum esse VI 15 a me ibi monitum est.

gus missos a Messalina uxore Claudii qui eum meridiantem quasi Britannici aemulum strangularent. Additum fabulae est eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Conf. Tacit. XI 11: *vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata: nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est.* Hoc ipsum *unum* est ex puerilibus Domitii annis quod argumentum praetextae suppeditare potuit. Inde igitur recte colligemus, ipsam hanc rem sive famam populi a Materno Domitii scriptore propositam et pertractatam, pueroque Domitio decem annos nato (eam enim aetatem fere assecutus erat, cum sicarii Messalinae mittebantur vel missi ferebantur) primas agendi partes assignatas fuisse.

Postquam hoc lucis supra obscuram Domitii scenam diffudimus, deinceps dicendum erit, si fieri potest, qua ratione poeta argumentum suum dispositum dederit et quo tempore eam fabulam Romae recitaverit. Ac sane utrumque ostendi potest eo loco in auxilium adhibito, quem ante ex Taciti Dialogo (c. 11) testem citavimus. Ibi enim Maternus hac recitatione carminum gloriam ingredi auspicatum se esse profitetur, additque a sese tunc fractam esse *improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam.* Sed quoniam *Vatinii* nomen I. Frid. Gronovii iudicio (Observat. III 4) his verbis illatum est, in codicibus autem omnibus[6] *vaticinii* legitur, ante, ne incerto fundamento disputatio nostra fundetur, huius coniecturae veritas vindicanda est. Ac scio quidem a viro ingeniosissimo mihique amicissimo, cuius iudicium in his rebus magni facio, a Welckero nostro lectionem *vaticinii potentiam* ita defensam esse, ut *vim poesis Neronianae* iis verbis nove denotatam eamque a Materno, non multo post obitum Neronis recitata et edita Domitii fabula in Ne-

6. cum Bekkerus ad illum Taciti locum scribit '*Vatinii* habere videtur F', nimium, opinor, tribuit infido Niebuhrii silentio: nam neque Schluttigius apud Waltherum neque Schrautius hoc ex eo libro enotavit, et iam codex Perizonianus quoque sive Leidensis cum ceteris omnibus formam *vaticinii* praebet.

ronis contumeliam scripta, fractam esse assereret. Lege eius Tragoed. Graec. t. III p. 1462 sq. Quippe ad explicandum insolitum hunc *vaticinii* significatum Welckerus hoc statuit, eam vocem ex ore adulatoris aulae Neronianae repetitam esse. Verum enim vero quamquam *vates* saepe dicitur is qui est poeta, quod opinioni suae tuendae Welckerus attulit, inde tamen non consequitur *vaticinium* ab homine Latino pro *poesi* poni potuisse. Etenim *vaticinium* non a *vate* dictum est, sed a verbo *vaticinari* derivatum et intellectu *passivo* praedictum id denotat *quod vaticinando editur vel editum est (Orakelspruch)*, quemadmodum altera nominis forma item a *vaticinando* facta, *vaticinatio*, activo intellectu actum vaticinandi (*Weissagung*) indicat. Sicut autem nemo, ne poeta quidem, *vaticinari* dixit id quod est poemata pangere, neque *vaticinationem* pro carminum confectione ullus unquam admisit, ita *vaticinium* pro carminibus dictum esse sive a Materno sive ab adulatore Neronis, id fidem excedere mihi videtur. Alterum quod oppono Welckeri coniecturae hoc est, nullam inesse Taciti verbis significationem qua admoneamur vocem *vaticinii potentiam* ex ore alius hominis a Materno repetitam esse. Postremo in hac verborum interpretatione *Domitii* nominis ratio satis explicari nequit. Iam si scriptura *vaticinii potentiam* teneri non potest, neque alia explicandi via quae melius traditae lectioni conveniat quam haec a nobis modo refutata adhuc excogitata est neque inveniri potest, facile apparebit leniorem aegri loci medicinam quam Gronovianam proferri non posse. Origo autem corruptionis haec videtur fuisse, ut is, qui ex libro unico unde nostri codices omnes orti sunt primus novum fecit, *vatinii* formam parva littera initiali incurrens et de homine nihil cogitans ne nomen quidem Latinum se legere putaret ideoque, haud opportune verbi *vaticinandi* recordatus, confidenter *vaticinii* corrigeret. Gronovius quidem ad veram vitii correctionem deductus est partim imagine illa Vatinii, quam in Annalibus (XV 34) Tacitus egregie delineavit, partim quod hominis nomine opus esse ad verum loci intellectum probe sentiebat. Cetera vero quae

ad Taciti verba luce illustranda necessaria erant parum perspexit. Ea igitur nos iam in supplementum proferemus.

Si Maternus, id quod ipse apud Tacitum profitetur (neque quidquam arguit coram amicis aequalibus eum mentitum aut minus vere locutum esse), recitatione Domitii *potentiam Vatinii*, foedissimi in aula Neronis ostenti, *fregit*, aut ipsum Vatinium aut hominem moribus illi similem in ea fabula induci oportuit. Ipse induci non potuit, quod Claudii Caesaris temporibus, unde argumentum fabulae sumptum esse ante vidimus, Vatinius obscurus fuit et ignotus. Emersit ex sordibus et tenebris suis homo detorto corpore conspicuus moribusque infamis demum sub principatu Neronis magnamque potentiam postremis annis eius imperatoris nactus est. Ad summum fastigium imperatorii favoris evectus iam erat anno post Christum natum sexagesimo quarto, in cuius rebus tradendis Vatinii mentionem Tacitus in hunc modum fecit XV 34: *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias adsumptus; dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit ut gratia pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret.* Ex sutrinae tabernae sordibus protractus et inter Caesaris familiares receptus nihil promptius egit quam ut nobiles *(optimum quemque)* ac senatorii ordinis homines apud principem criminaretur. Ad hunc ipsum identidem dicere solitus est *μισῶ σε, Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς (ordinis senatorii) εἶ.* Dio apud Xiphil. LXIII 15. Eiusmodi facetiis scurrilibus non solum alios apud Neronem insectatus est, sed etiam studiorum sacra, h. e. veram carminum artem, Materno profanare iste videbatur. Itaque duplici de causa poeta audax et ingenuus Vatinium ex ingenti pessimorum aulicorum numero elegit, in quem non recta via sed ex obliquo impetum suum dirigeret. Quod hac fere via instituisse videatur. Nefarius quidam Valeriae Messalinae adulator, detorto corpore facetiisque scurrilibus insignis, libidinosissimam mulierem gravis periculi admonuit, quod ipsi filioque Britannico a Domitio, Agrippinae filio et Germanici nepote, flore nobilitatis et populi

Romani deliciis immineret. Monuit quanta esset nobilitatis et antiquae gentis apud animos hominum vis, quid valeret apud populum Romanum grata Germanici memoria, cuius unica suboles Domitius ab omnibus et haberetur et diligeretur. Ea occasione large invectus est in nobiles et antiquae familiae homines, admixtis fortasse dictis acutis quidem sed parum decoris. Qua via Maternus hoc assecutus est, ut Vatinium non modo hominem malitiosum et abiectum adulatorem pingeret, sed eundem simul verum inimicum et unicum adversarium Neronis ostenderet. Vatinium enim in isto Claudianae aetatis adulatore homines facile agnoscebant. Messalina vero (sic progressum fabulae mihi cogito) magni domus suae discriminis commonefacta familiarem istum interrogavit, quomodo huic malo medendum esset. Ipsi ad deterrima prompto tutissimum visum est mittere qui Domitium meridiantem strangularent. Placuit idem Messalinae. Sicarii iam usque in cubiculum, in quo puer Domitius medio die quiescebat, progrediuntur, sed ingenti miraculo ab uno vel duobus draconibus in fugam reiecti sunt. Haec non agi coram oculis spectantium (*spectantes* cum dico in fabula recitanda tantummodo et legenda, haud stricte proprieve eam vocem accipiendam esse patet), sed a sicariis enarrari Messalinae eiusque adulatori poeta, opinor, instituit. Inde miratio et desperatio, et postremo acerba persuasio, Domitium ope divina conservari in eumque nihil triste cum aliqua eventus spe patrari posse. Is fabulae finis videtur fuisse. Neronem vero, qui aut recitationi ipse interfuit aut editam Domitium cupide legit, ab hac die Vatinii pigere coepit, hominemque contemptui publico expositum ab aula sua et amicitiae consuetudine removit. Plura quidem ex his coniectura nituntur, sed summum totius rei caput minime nutat, dico Domitium puerum in eo opere monstratum et fabulam vivo etiam tum Nerone recitatam et fractam ab hoc inde tempore Vatinii potentiam. Nam quod Maternus apud Tacitum de successu primae suae fabulae narrat, rem esse in facto positam atque in ea mentione nihil fictum esse vel auctum, id ultra omnem dubitationem certum

firmumque consistit. Scilicet Maternus apud amicos aequales et rerum quas ipse memorat bene gnaros loquitur et idem a Tacito talis inducitur, ut de semet ipse non nisi pudice et modice verba faciat.

Sequitur ut auxilio eiusdem loci, de quo diu iam disputavimus, Domitii fabulae recitatione vulgatae tempus accuratius definiamus. Iam primum certe post annum a Christo nato sexagesimum quartum Domitius recitata est: hoc enim anno favore Neronis eximio Vatinius etiam gaudebat. Lege Taciti Annales XV 34 et 35. Posthac usque ad medium annum sexagesimum octavum Nero rebus Romanis illudere perrexit. Sed neque anno sexagesimo quinto neque priore parte anni sexagesimi sexti Vatinius ex familiaritate Neronis cecidisse putandus est: nam Annales Taciti, quantum eius operis nobis servatum est, usque ad medium fere annum sexagesimum sextum perdurant, neque tamen Vatinii de Neronis favore deiecti mentionem iniiciunt, quam rem silentio a Tacito transmissam esse quominus credamus, impedit aliorum et similium eiusdem operis locorum comparatio, veluti XIII 1 et 14, XIV 65, XVI 18—20. Neque vero anno sexagesimo septimo, quo Nero per Graeciam peregrinatus est et coronas gymnicas meruit, Domitii recitatio accidit. In Graeciam Nero transiit mense Novembri anni 66 et inde reversus est sub initium anni 68 et eiusdem anni mense Martio de motu Vindicis audivit. Vid. Reimari annot. ad Dion. LXIII 8 et 22. Itaque intra id temporis intervallum, quod a medio anno sexagesimo sexto usque ad Novembrem eiusdem anni aut ab initio anni sexagesimi octavi usque ad mensem Martium effluxit, Domitii recitatio et fracta Vatinii potentia includenda videtur. Ac sane ab anni sexagesimi sexti fine in rebus et malis Romanorum nullus comparet Vatinius: quippe neque inter eos commemoratur qui validissimi in amicitia principis Neronem extremo anno 66 in Achaiam proficiscentem comitati [7] sunt

7. Quod crebra illa Vatinii vox (cf. p. 252) per occasionem itineris Achaici a Xiphilino Dionis epitomatore profertur, inde non consequitur cum Nerone Vatinium in hanc terram profectum esse.

(fuere Tigellinus et Sporus et Galvia Crispinilla, post etiam Helius libertus, ex probis hominibus Cluvius Rufus), neque inter eos qui Romae interim omnia agebant rapiebantque (Polyclitus et Helius), neque unus eorum fuit qui Neronem postremo discrimine aut deseruerunt (Nymphidius et Tigellinus) aut fugientem secuti sunt (Phaon, Epaphroditus, Sporus). Conf. Dio apud Xiphilinum LXIII 11—14 et 18—19 et 27. Suetonius Nerone c. 48—49. Atque idem Vatinius anno post Christum natum sexagesimo nono etiam diserto testimonio in numero mortuorum ab Othone relatus est[8]. Itaque a vero certe non longe aberrabimus, si Domitium aut sub finem anni a Christo nato sexagesimi sexti, cum Tiridates Armeniae rex Romam venit ac ludi et dies festi plurimi celebrati sunt (Dio ap. Xiphilinum LXIII 1—7, Suetonius Ner. 13 et 30, Plinius N. H. XXXIII 16), aut anni sexagesimi octavi principio, cum Nero ex itinere Achaico rediit iterumque ludi plurimi facti sunt (Dio LXIII 20 et 21), si tunc, inquam, hanc Materni fabulam recitatam esse statuamus. Atque haec temporis nota ceteris egregie iam convenit, quae de Materni studiis accepimus. Scilicet Domitius prima eius fabula fuit et huius recitatione carminum gloriam auspicatus est; mox et causis agendis operam dedit et Medeam tragoediam conscripsit et Agamemnona edidit[9], denique Catonem praetextam recitavit sexto Vespasiani consulatu, h. e. anno post Christum natum septuagesimo quinto, proximo die ante quam colloquium illud a Tacito descriptum habitum esse fertur. Eodem tempore

8. Tacit. H. I 37: *septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii et aegialii* (lege *et Helii*) *perierunt* (scribe *perditum ierunt*). neminem ex his, cum Otho loqueretur, in vivis fuisse vel hinc satis manifestum est, quod nemo aut ad disquisitionem senatus paulo post vocatus aut a populo ad supplicium expostulatus est. cf. Hist. I 72 et 73, IV 6—8 et 10 et 40—44.

9. Medeam in Materni tragoediis Aper apud Tacitum in Dial. c. 3 disertim memorat et cap. 9 eandem respicit in mentione Iasonis personae ex Medea sumptae: *cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur?* quemadmodum in his verbis *Iason* ex vera Materni fabula nominatur, sic etiam *Agamemnonis* personae commemoratio eiusdem nominis tragoediam Materni fuisse comprobat. cf. Welckeri Tragoed. Graec. t. III p. 1461.

tragoediae novae et Thyestes inscribendae argumentum apud animum suum dispositum iam habebat [10].

Qui vero praecipuus huius de Domitio disputationis fructus habendus videtur, is in eo positus est quod nunc demum luculente apparet, quomodo Maternus vivo Nerone Caesare ipsum in fabula praetexta primas partes sustinentem inducere et tamen sine manifesto vitae periculo libertatem vocis suae tueri et ab adulando abstinere posset. Nam liberrimi spiritus hominem, qualem ex Taciti dialogo cognovimus vitaeque exitu sese ipse probavit, coram Nerone in adulationes prolapsum esse nunquam credemus. Nimirum puerum Domitium, florem iuventutis ac nobilitatis, amores populi Romani descripsit, Claudium Neronem principem eiusque immanitatem, quae multo post cognita est, nihil curavit. Quod Nero laetissimam spem de se olim conceptam foede fefellit, id sua ipsius culpa factum erat, et hoc Maternus prudenter ignorare et reticere voluit. Sed nihilo minus hac sua fabula satis ausus est ac multum periculi adiit: Vatinium enim praepotentem in amicitia saevi principis nisi inde deiecisset, ipse incolumis perdurare vix potuit. Itaque primo poeticae professionis ingressu Maternum nostrum virum fortem et liberum et audacem offendimus, qualem eundem rursus deprehendimus sub principatu Vespasiani, cum fabulam recitavit praetextam, qua Catonis Uticensis nobile letum et constantiam et libertatis amorem exposuit eoque vel Vespasiani patientissimi senis amicis displicuit (cf. Dial. c. 2 et 3 et 10); eandem liberae vocis audaciam iam in iuvene Materno postremis Neronis temporibus incurrimus, qua senex multis annis post Domitiani Caesaris iram meruit et ultimo supplicio punitus est: v. Dio apud Xiphilinum LXVII 12.

10. Tacit. Dial. 3: *quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi.*

INDEX HISTORICVS.

Numeri nude positi ad Annales referuntur, quibus H praepositum est, ad Historias, G ad Germaniam, A ad Agricolam, O ad dialogum de oratoribus.

Index annotationis.

Corrigenda

in contextu operis:

vol. I pag. 293 vers. 4 lege *id* pro *in*
— II — 6 — 8 — *coniugalem* pro *coniugatem*
— — — 90 — 12 — * * * ; — ; * * *
— III — 239 — 9 — *servili* — *servilii*
— — — 290 — 10 — *iuvenum* — *invenum*
— IV — 138 — 6 transfer numerum capitis ad vers. 7.

in ceteris *):

vol. I pag. IX prooem. A vers. 14 lege 1169 pro 1069.
— — — 5 comm. B — 18 — *bello* — *belli*
— — — 14 — A — 6 — *sua* — *suo*
— — — 23 tit. paginae — *a C.* 14 pro *a C.* 13
— — — 37 comm. B vers. 4 a fine lege *quibus* pro *quo*
— — — 43 — A — ult. lege *Geminum* pro *geminum*
— — — 48 — B — 4 — II 119 — I 119.
— — — 73 — B — 9 — II 2 — II 1
— — — 104 — A — 3 — *pratum* — *partum*

*) Littera A ostendit laevam paginam commentarii, B dextram. Sigla *not.* refertur ad codicum notationes inter orationem contextam et commentarium.

vol. I. pag. 129 comm. A vers. 6 lege *Germanice* pro *Germanici*
— — — 136 — A — 3 — *Cinypho* — *Cinyphe*
— — — 138 — B — 3 — *Apollinis* — *Apillinis*
— — — 158 — A — ult. — *aggeri* — *aggeris*
— — — 194 not. — 2 — *ad c.* — *adc.*
— — — 197 comm. A — 2 — *questibus* — *quaestibus*
— — — 209 — B — 12 — *non* — *von*
— — — 211 tit. paginae — III — II
— — — 218 comm. B vers. 11 — *Maeandrum* — *Meandrum*; perinde v. 12
— — — 221 — B — 5 — *ac* — *et*
— — — 221 not. — 2 — 13 — 4
— — — 237 comm. A — 3 — *Zonaram* — *Zonoram*
— — — 239 — A — 12 — *ab* — *ad*
— — — 239 — A — 25 — IV 43 — IV
— — — 264 — B — 22 — *exprobrari* — *exprobari*
— — — 265 not. — 4 post *inceptum*) adde *M*
— — — 268 comm. A — 24 verba *duobus* — *rumore* corrige ex annot. ad II 2 82 et 4 38.
— — — 278 not. — 1 adde 1. *paratae M.*
— — — 297 comm. B — 13 lege *particulae* pro *particula*
— — — 336 — B — 15 — *resciscere* — *rescicere*
— — — 350 — B — 2 a fine verba *postremo* — *stetit* corrigenda sunt ex Agr. cap. 16.
— — — 353 — A — 8 lege *κατηγορηθείς* pro *κατγηορηθείς*
— — — 362 — B — 4 — *συνωμοσίας* — *συνομωσίας*
vol. II pag. 18 comm. B vers. 1 lege *grata* pro *ignara*
— — — 21 — A — 19 — *clade* — *Clade*
— — — 23 — A — 8 — *argentif.* — *aurif.*
— — — 29 — A — 8 — *promptu* — *prompto*
— — — 33 — not. — 1 — insere 5. *domum est ab editore.*
— — — 48 annot. prima cap. 6 tertio loco (ante *quo uxorem*) collocanda erat.
— — — 87 comm. B vers. 13 lege *caliginosi* pro *calliginosi*
— — — 96 — A — 3 — *῞Αλιε* — *Αλιε*
— — — 109 — A — 7 — *post* — *gost*
— — — 117 — A — 5 — *vitium* — *Vitium*
— — — 139 — B — 5 dele comma ante *αἱρεῖσθαι*
— — — 181 — B — 13 lege *erat* pro *erant*
— — — 200 — A — 5 Iac. Gronovius non *pluraque* exhibuit, sed *plura quam.*
— — — 211 — B — 6 lege *qui* pro *aut*
— — — 224 — A — 19 — 22 — 23
— — — 234 — A — 6 — *ptibias* — *p̄tibias*
— — — 253 — A — 12 — *flumini* — *flumine*
— — — 269 — B — 17 — XII 3 — XII 1
— — — 287 — B — 11 — *Iulii Civilis* et mox *Claudium.*
— — — 288 — B — 12 annot. *pulcherrimum* — *esset* ad cap. 50 pertinet et praecedenti anteponenda erat.
— — — 291 — B vers. 15 lege *proditio* pro *seditio*
— — — 297 — B — 12 — *iussis* — *iussit*
— — — 303 — A — 15 — *elumbis* — *elum bis*
— — — 314 — B — 16 — *dicimus* — *decimus*
— — — 317 — A — 17 — *alteram* — *alterum.*

vol. II pag. 320 comm. B vers. 14 verba *aut cohibere* — *pressere* corrigenda ex annot. ad II 4 2.
— — — 322 — A — ult. lege *et* pro *ac*
— — — 336 — B — 13 — *hoc* — *hac*; ibidem per errorem contenditur a Tacito scribi *intemplare* pro *intentare*: nusquam enim in Florentinis illud legitur, sed semper *intentare*; cf. 1 27, 3 28 et 36. II 1 69, 2 18, 3 31, 4 41.
vol. III pag. 10 comm. A vers. 16 pone comma pro priore colo
— — — 20 — A — 3 — — post *hauriri*
— — — 20 — A — 7 lege *deposuerat* pro *deposuit*
— — — 75 — B — 11 — **abC** — ABC
— — — 118 — B — 3 annot. *gravabantur* — *grave* ante duas antecedentes collocanda erat.
— — — 170 — A — ult. lege *quadam* pro *quaedam*
— — — 234 — B — 1 — *depellitur* — *depelleretur*
— — — 272 — A — 11 — *describendum* — *describendam*
— — — 310 — B — 15 — *nomen* — *subiectum*
— — — 320 — B — 8 — 2 — 3
— — — 373 brev. — 8 a fine dele punctum post *Civilis*
— — — 391 comm. A — 14 lege *ὑπον.* pro *ὑπον.*
— — — 395 — B — 2 dele uncum post *gladiis* et pone post *hastisve*
— — — 408 — B — 1 lege *weyse* pro *wegse.*
vol. IV pag. 2 brev. vers. 11 lege *amicitias* pro *amicitia*, deleto commate
— — — 10 comm. B vers. 13 lege *veterem* pro *veteram*
— — — 29 — A — 5 a fine lege *diligentius* pro *deligentius.*
— — — 30 — A — 12 — *ab* — *ob*
— — — 74 — B — 10 — *quod* — *quo*
— — — 97 — B — 6 — *ac* — *et*
— — — 143 — not. 6 — *Al' erat Domitianus mg Γ* pro *Al' erat Domitiano moris mg Γ.*
— — — 144 comm. A vers 6 lege *Forma* pro *Formam*
— — — 146 — A — 6 a fine lege *interpretarentur* pro *interpretabantur*
— — — 151 — A — 9 a fine — *Philipp.* pro *Phillip.*
— — — 158 brev. — 10 — *amorem* — *amorum*
— — — 168 comm. A — 13 — XIV — XIII
— — — 175 — A — 11 — *simili* — *simile*
— — — 182 — B ult. — *Handii* — *Haudii*